This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


VIGO ET
TAGALULTUY
DE CIRUGIA
617
V65j
R

IOANNIS TAGAVL-

TII AMBIANI VIMACI, PARISIEN-SIS MEDICI, DE CHIRVRGICA institutione libri quinque.

His acceſſit ſextus liber de materia chirurgica, authore Iacobo Hollerio Stempano, medico Pariſienſi,

Ex libris Augustini Gouesta, Chirurgi.

Ex libris Iacobi Morelli Chirurgi

PARISIIS.
Apud Chriſtianum wechelum, ſub ſcuto Baſilienſi, in vico Iacobæo: & ſub Pegaſo, in vico Bellouacenſi. M. D. XLIII.

Cum Priuilegio.

Ex libris Francisci Morelli et Amicorum

Extraict des regiſtres de Parlement.

La court (ueue la requeſte a elle preſentée par Chreſtien wechel, marchant libraire iuré en l'uniuerſite de Paris) a permis, & permect audict Chreſtien wechel faire imprimer, & uendre certain liure en medecine, Intitulé Ioannis Tagaultij de chirurgica inſtitutione libri quinque. quibus acceſsit liber ſextus, authore Iacobo Hollerio. defendant a tous libraires & imprimeurs de ce reſſort, icelluy liure imprimer, ou faire imprimer, et expoſer en uente ſans l'adueu dudict wechel, dedans troys ans prochain uenans, ſur peine de confiſcation d'iceulx liures, & amende arbitraire. Faict en parlement le douzieſme iour de Iulliet, l'an mil cinq cens quarante deux.

Berruyer. Collation eſt faicte.

Primus liber huius præſentis operis iam eſt ſermone gallico à quodã docto uiro donatus, qui & reliquos uertere aggredietur.

Chriſtianiſſimo Galliarum

REGI FRANCISCO, EIVS NOMINIS PRIMO, IOANNES TAGAVLTIUS medicus .S. .D.

INTER eximias præclaraſq; animi dotes, ac virtutes propè diuinas, quibus cæteris principibus tantum antecellis, quantum dignitate, opibus, potẽtiaq; & imperii magnitudine illis omnibus p̃ſtas: ea mihi potiſſima ſemper viſa eſt, Chriſtianiſſime ſimul & inuictiſſime rex, quòd nullum vnquàm temporis momentum præterlabi ſinis, quo non aliquid cogites aut agas, bono ac ſalutari principe dignum. Siquidem quicquid ocii ac temporis à neceſſaria cura corporis tibi ſupereſt, tu id omne vel reipub. tuę ſapiẽter moderandæ, vel honeſtis atq; optimis diſciplinis (quę ſecũdas res ornant, aduerſas ſolantur) tribuis: vt ne in venatione quidẽ ipſa, qua colligẽdis & animi & corporis viribus interdũ veteris, tibi temperes, quin vel de principatus tui adminiſtratione, vel de ferarum quas perſequeris, aut ſtirpium quæ tũc ſe oculis obiiciunt, aliarúmue rerum natura, ferè ſemper diſputes. Quo fit ut Mineruã non minus quàm Dianam errare in mõtibus & ſyluis ſubinde experiaris. Sed & in menſa illa tua regia, frequenti principum, illuſtriumq; virorum Cardinaliũ & Epiſcoporum conſpectu ac conſeſſu, ſemper aliquid ardui, doctiq; & honeſti, contra morem & exẽplum aliorum principum, non eorum modo qui nunc ſunt, ſed qui multis antehac ſæculis fuerunt, è media philoſophia atq; antiquitate depromitur: vt rectè æſtimanti ea ſapiẽtiæ verius officina, quàm epulũ regium poſſit videri. Aut. n. humanæ, eędemq; graues & te principe dignæ, aut diuinæ, quæ animũ ad religionẽ informant, in ea recitantur hiſtoriæ, aut de omni genere artiũ, atq; diſciplinarum diſputatur. Hinc factum eſt, vt Gallorum reſp. inde adeo quòd illi prę fuiſti, virtute honeſta, religione ac pietate integra, iure et legibus ęqua, opibus firma, copiis locuples, et gloria ampla, ſemper fuerit. In hac autẽ aſſidua literarũ cõcertatione, tu quaſi arbiter honorarius, inter doctos homines de rebus cõtrouerſis, vt olim in encycliis & ſcholis ſuis (ſi parua magnis cõferre phas eſt) facere ſolebãt, magiſtri ac phi

loſophi illi veteres, non minore eloquẽtia quàm dignitate iudicium interponis,grauiterq; decernis. Quid quòd tu omnẽ omniũ artium materiam,rationẽ,& inſtrumẽta, in numerato habes,atq; appoſitis nominibus exprimis. In quo Themiſtoclis,Mithridatis,Cyriq; Perſarũ regis memoriã facile ſuperas, vel obſcuras potius. Sed & cũ de re medica (vt aliquid de ipſa ſeparatim dicamus) diſputatio incidit, incidit aũt frequenter, tu res medicas nõ aliter tractas quàm qui omni vita nihil aliud egerit. Nec aliter ſtatuis,quàm qui in ea diſciplina cõſenuerit: vt et pręceptiones artis,& medicamẽtorũ,pręſertim ſimpliciũ nomina & vires,ipſamq; corporũ anatomẽ (cuius ſpeculatione incredibiliter delectaris) ad vnguẽ teneas, conſilia curãdi ſapientiſsimè diſtinguas,vim remediorũ adnotes,quid vnũquodq; proſit,quid noceat,aptè & acutè definias. Quãq; verò hoc bonarum artium ſtudium, quod nũquàm intermittis, præpoſterè nati quidam, & ab omni ingenii cultu alieni, tanquã parum regiũ irrident atq; dãnant. Tu tamen,Princeps longè maxime ac ſapiẽtiſsime, regiarum virtutum fundamẽtum,& clariſsimũ boni ac ſalutaris principis ornamẽtum ponis,verè cũ Platone nobiliſsimo totius Gręcię philoſopho diiudicans,non aliter fœlices fore reſpublicas, niſi ſi aut philoſophis cõmitteretur imperium, aut quibus imperium cõtigiſſet,philoſophiam ſequerentur. Salomõ cum pro Dauid patre ſuo regnare cœpit,tantũ ſapientiã à Deo poſtulauit, qua rectè iudicare & populũ ſibi cõmiſsũ ſapiẽter gubernare poſſet: atq; hic nihil aliud inculcabat filio ſuo quàm amorẽ ac ſtudium ſapientiæ. Nec abs re quidẽ: nã fato ſceptra cadunt, doctrinę aũt gloria perẽnis. Quod tu etiã animo reputãs,nihil vnquàm charius,nihil antiquius duxiſti,ſapiẽtię ſtudio,atq; aſſidua eiuſmodi bonarũ artiũ tractatione: ex qua tãtos iã progreſſus in omni virtute,atq; omni diſciplinarũ genere feciſti, vt Imperatores illos,& belli duces clariſsimos,Alexãdrũ magnũ, Iuliũ Cęſarẽ,Octauiũ Auguſtũ,Scipionẽ Africanum, nõ minus literarũ ſciẽtia,q̃ bellicis artibus p̃ſtãtes,facilè ſupaueris. Sed et hac doctrinę cupiditate,qua ſemp tot⁹ ſic flagras,tu nõ ſolũ eorũ quibus imperas fortunis & corporibus,verũetiã aĩmis excolẽdis, multarũ rerũ vſu ac ſciẽtia edoctus,prudẽter ac ſapiẽter (quod verè eſt imperare) cõſulis proſpicisq;: dũ ſcilicet infinitos propemodũ homines,ac nobiles maximè,certatim ad ſtudia literarum tuo exemplo excitas atq; incendis. Regum enim mo-

res,

res,reliqui ciues ferè ſequuntur. Hinc non abs re tanquàm ad certiſſimum rei literariæ præſidium,externi etiã homines,qui arte aliqua præſtãt,ad te vnum vndiq; confugiunt, téq; muſarum patronum,ac fautorem eximium agnoſcunt & prędicãt. Quæ res effecit,princeps humaniſsime,vt depulſo metu, aucta ſpe,hoſce de chirurgia cõmentarios tibi conſecrarẽ,vt ſcilicet in iſta tua felici agricultura,qua ſemina omniũ bonarum artiũ, in hunc fœcundiſsimũ agrum tuum, tum etiam in totũ terrarum orbẽ,diſpergis,aliquã operæ partem ſuſtinerẽ: vtq; aliquid ex clariſsimo tuo nomine patrocinii nãciſcãtur,auſpicatiusq; in vulgus prodeant. Sed ad id etiam me vehementer impulit,quòd haud ita pridẽ, ſermone in menſa illa tua ſemel atque iterum de chirurgia habito,quod in reliquis literis,grẽcis,latinis,hębreis cœperas,idẽ in hac quoq; arte,q̃ manu medẽ,te facturũ ſpopõdiſti, téq; vnum aut etiã alterum doctũ, & longo iam vſu exercitatum medicum inſtituturũ, qui chirurgiã Lutetiæ Pariſiorũ diligẽter ac fideliter interpretentur. Atq; hoc quidem tuũ tam ſanctum támque ſalubre inſtitutũ nobis aliquãdo retulerunt ἀρχίατρος Burgenſis,Capellanus pater,& Guillelmus Milletus,medici tui clariſsimi,ſimul et fideliſſimi. Fecerat idẽ quoque paulò ante ampliſſimus Cardinalis Bellaius,vir omni virtutum ac ſcientiarum genere cumulatiſſimus,ac reip. Gallicæ lõge amãtiſsimus. Qui omnes me vehementer aliquoties hortati ſunt, vt chirurgicam hanc lectionem maturè aggrederer, eam quidem tibi futuram quàm gratiſſimam affirmantes,teq; ſtatuiſſe vnum aut alterum eius artis profeſſorẽ,Lutetię inſtituere: arbitratus ampliſſimo huic ac præpotenti tuo imperio,rem non vtilem modo,ſed & ap primè etiam neceſſariã futuram. Quippe quòd deinceps chirurgos non parum multos haberes in regno tuo, vulneribus & fracturis ritè curandis,luxatisq; decenter in ſuam ſedẽ reponendis, maximè idoneos. Ceterum tametſi hac medicinæ parte,nulli ſæpe non ſit opus,nobilioribus tamen & principibus viris,atq; iis etiam omnibus qui caſtra ſequuntur & militiæ addicti ſunt,in primis neceſſaria eſt. Hi enim dũ equis ad celeritatem diſpoſitis huc atque illuc excurrunt,dum ludis equeſtribus exercentur,dum in bello cum hoſte confligtantur, & dimicant,fracturis & luxationibus, vt interim vulnera taceam,nunquàm non expoſiti ſunt: quibus,niſi rite tractentur, vel ſubinde periclitãtur,vel membris ſic affectis, ſuo tandem

robore deſtit utis, reliquum vitæ tempus, miſeri & imbecil-
les trahunt. Sed vt vnde digreſſa eſt redeat oratio, q̄ nondum
hæ noſtre chirurgicæ inſtitutiones erant abſolutæ, tãtiſper di-
ſtuli clari ſſimorum, quos ſupra nominaui, virorum, hortationi
parere, quoad hoc, qualecunque eſt, opus abſolueretur. Dum
autem cudendo nimis cunctatur typographus, hominẽ vt a-
liis medicinæ partibus prę̄ſtantẽ, ſic chirurgiæ peritia egregiè
inſtructum, Vidum Vidium Florẽtinũ, doctiſſimi vndequa-
que viri, ac prę̄ſtantium ingeniorum ſtudioſiſſimi, D. Caſtel-
lani Tutelenſiũ epiſcopi, ſingulari iudicio cõquiſitũ, maximo
rei chirurgicę ſtudioſorũ, atq; eorũ qui deinceps chirurgiæ p̄-
ſidio indigebunt, cõmodo, in hanc præclariſſimã vrbẽ miſiſti,
qui partem hanc medicinæ, propè deſertam & iacentẽ, quo
ad fracta ſaltem & luxata pertinebat, ſuſciperet, atque extol-
leret. Librosq̄; Hippocratis (qui primus hanc artem excoluit)
inextricabilibus penè ſententiis, ob fœcundã & obſcuram ni-
mis breuitatem, vbiq; ipſi medicinæ parenti familiarẽ, ne di-
cam affectatam, refertos: & ab eo nuper cũ doctiſſimis atque
accuratiſſimis Galeni commẽtariis, latinos factos, magna ſer-
monis elegantia, et rerum copia, interpretaretur. Quod ſi hic,
aut alius quiſpiã, pari doctrina & eruditione prædítus, in hoc
docẽdi curriculo perſtiterit, bonis chirurgis, vt medicis, Gal-
liam tuã breui refertam iri confidimus. Quod non mediocri
mortaliũ bono, & cũ ſempiterna quoq; nominis tui gloria e-
ueniet. Quandoquidẽ effectus chirurgiæ (quæ Celſo authore
pars eſt Medicinæ vetuſtiſſima) inter cæteras artis medendi
parteis euidentiſſimus eſt, & maxime neceſſarius, nedum vti-
lis. Siquidem in morbis cum multum (inquit ille) fortuna cõ-
ferat, eademq̄; ſæpè ſalutaria, ſæpè vana ſint, iure dubitari po-
teſt ſecunda valetudo, medici ne induſtria, an corporis bene-
ficio cõtigerit. In his quoque affectibus in quibus medicamẽ-
tis extrinſecùs admotis maximè vtimur, quamuis p̄fectus eui
dẽtior eſt, tamen ſanitatẽ & per hæc fruſtrà quæri, & ſine his
reddi ſæpè manifeſtũ eſt. Sicut in oculis vel Phlegmone, vel
lippitudine arida, aut ea humorũ defluxione, quã epiphorã
appellant, laborãtibus quotidie deprehẽdimus, qui à medicis,
collyriis, aut alterius generis medicamẽtis, diu vexati: ſine his
aliquãdo ſaneſcũt. At in ea parte q̄ manu curat (χειρουργικὴν Grę-
ci nominant) euidens eſt omnem profectum, vt aliquid ab
aliis adiuuetur, hinc tamen potiſſimum manare. Quot enĩ

mor-

morbos,eoſdemq; grauiſsimos,in ruſticis & vrbanis,qui delicatiores ſunt & medicinã auerſantur,quotidie videmus:ſine illa victus ratione tã exacta, nulliſq; adhibitis medicamentis, naturæ dũtaxat beneficio,euinci,& ꝓfligari? At ſi cui vel crus vel brachiũ fractum ſit,vel luxatus humerus,aut quiſpiã articulus:nunquã ſine manus opera,& chirurgi induſtria ad ſanitatẽ ꝓducetur. Itaq; cum tãta ſit eius artis dignitas,vſus,neceſſitas,quis hoc tuũ tam ſalubre de conſtituendis chirurgiæ ꝓfeſſoribus,inſtitutũ non maximopere probauerit? Opus ſanè & liberali & magnifico principe dignũ, & quo Romanorum olim imperatorũ exẽpla,& laudata conſilia reuocabis. Hi enĩ medicis(quos Reip. ſalutares & neceſſarios nouerãt) ampliſsimũ ſtipẽdiũ ducena & quinquagena annua feſtertia,cẽtena verò Rhetoribus & poẽtis,reliquarumq; diſciplinarũ ꝓfeſſoribus pendebãt. Intellexerũt nimirũ illi ſemp Auguſti imperatores,inter diſciplinas excellẽtibꝰ illuſtriũ hominũ ingeniis inuentas, & incredibili grauiũ virorũ cura & induſtria perfectas,expolitasq;, Medicinã principẽ ac reginã exiſtimari ſine controuerſia debere. Hæc .n. & honeſtatis ſplendore & vtilitatis magnitudine,& iucunditatis illecebris,reliquas oẽs vincit,rebuſq; humanis ceu altera ſecundum Deũ vitæ parens & vindex apprimè eſt neceſſaria, atq; ideo nõ ſolum à Philoſophis,aut Medicis,ſed & ab ipſis quoq; Imperatoribus,Regibus,atq; ẽtiã Põtificibus,aliquãdo nõ oſcitãter exculta. Neq; enim puduit illos primi ordinis viros ſtudiũ atq; induſtriã in eo genere diſciplinæ nõnunq̃ collocare. Et vt aliquot exẽpla proferamus: Auguſtus Cæſar,cõpoſitione medica à ſe inuẽta lubenter vtebatur,quam poſteà pleriq; medici in ſuos libros tránſtulerunt. Tyberius paſtillum(græci Trochiſcum vocãt) ad herpetas,Galeno teſte,cõpoſuit. Nero imperator illaudatus quidem, ſed tamẽ apprimè doctus,partẽ ſtudii in hoc genere doctrinæ poſuiſſe fertur. Hadriani & Iuſtini antidota noſce ab eis accepto,hodie quoq; apud medicos celebrantur. Princeps Arabs Auicẽna in remediis medicis à ſe cõſcriptis, teſtimoniũ Kabithi regis locis aliquot laudat. In Serapionis cõmẽtariis Iacibuſſa Medorũ rex, & Kemud item Rex,velut medicinę teſtes memorãtur. Lyſimachus,Gẽtius,Eupator,& Clymenus reges,medicæ artis non ignari,ſua ipſorum nomina plantis indita,æterno æuo memoranda reliquerunt. Taceo Iubam Mauritaniæ regem, qui herbam Euphorbiam nomi-

ne,miris laudibus celebrauit.Prętereo & Archelaũ, Hieronẽ, Attalum, & Philometora reges,qui de plantis græcè ſcripſerunt.Ex Pontificibus aũt Nicolaum quintum, & Euſebiũ arte & profeſſione medicos fuiſſe,in hiſtoriis noſtris legimus. Ac de re quidẽ eiuſmodi apud multos tam veteres quàm noſtræ ætatis ſcriptores, facundia & eruditione percelebres,in commendationem dignitatis & excellentiæ medicæ artis, ac medicorum,longè plura literarum monumentis tradita ſunt, quæ hoc loco referre & longum eſſet & minimè neceſſariũ, eóq; magis quòd id iã cumulatè pręſtitit Andreas Tiraquellus tuus in curia Pariſienſi conſiliarius,vir optimis quibuſque diſciplinis inſtructiſſimus,ac linguæ vtriuſq; græcę & latinæ, Iuriſq; prudentiæ, quã ſumma cũ humanitate & morũ integritate cõiunxit, peritiſſimus:in opere quod de nobilitate & Iure primigeniorũ mox in lucẽ eſt æditurus.At verò non eſt, REX illuſtriſsime ac ſapiẽtiſſime,quòd peregrina iã exẽpla cõmemorem, cùm tu nulla in re veteribus cedas, adeò vt qui in poſterũ medicinã, ac bonas oẽs diſciplinas (quæ te principe & authore ſuo ſplendori reſtitutæ ſunt) authoritate principum cõmendare volent,non habebunt neceſſe veteres illos clariſſimos Cæſares,Alexandros,Tyberios,Hadrianos,Iuſtinos,vel reges alios,aut Pontifices amplius requirere,ſed te vnũ nominabunt,qui diſciplinarũ omnium intelligẽtia,& amplitudine ſtabilis ac præpotentis imperii,veterũ nemine ſis inferior.Fœliciſsimã igitur Gallorum rẽpublicã iudico,quæ te regẽ tã prudentem,tamq; ſalutarẽ,omnibũſq; virtutibus & diſciplinis ornatiſsimũ,diuino numine cõſequuta, rebus omnibus ad beatè degendã vitam cõferentibus,ita abundat,vt hodie vniuerſi terrarũ orbis tractus omnes, & omnẽ antiquitatẽ ſuperet.Sed multò adhuc fœlicioręẽ fore confidimus, ſi te diutius incolumẽ,& quotidianis reip. vulneribus medentem, eiuſq; partes oẽs illuſtrantẽ habuerit. Quamobrẽ Deum optimum maximũ precor,vt populũ ab eo tibi cõmiſſum annos adhuc quãplurimos,hoc ſalutari imperio regere poſſis.Quo enim ii plures erũt,plus ad cumulũ fœlicitatis huius ampliſſimi ſimul & Chriſtianiſſimi regni haud dubiè ſemper acceſſerit.Vale.

HIrurgicen Guidonis Cauliaci, abhinc centum & ſeptuaginta annos, tãto apud medicos iuxta ac chirurgos in precio habitã, ſeptennium ferè eius artis candidatis prælegi. Quam cum tot paſſim errorũ ac mendarum portentis ſcatentem, támque inculta, ſqualenti atque impura barbarie conſperſam, ne dicam conſpurcatam, reperiſſem: tum in animum induxi meum, opus eiuſmodi, ab illis quibus ita refertum erat erroribus repurgare, et à uocabulis illis ſordidioribus, atq; ex intima ferè plebeij ſermõis fæce acceptis, ſi quandò per ocium liceret, pro mea uirili parte, uindicare. Videbã enim pleróſq; oẽs, qui in diſciplinis humanioribus et elegãtioribus literis probè erant inſtituti, fœdã eiuſmodi, atq; impuro nimis ſermõe traditam chirurgiam auerſari, ab eiúſque lectione, uel in ipſo ueſtibulo aditúque, perterritos, ſtatim ſe ſubducere: Nimirum exiſtimantes (nec abs re quidem) diſciplinam omnem detracto cultu orationis ſordeſcere. Contrà autẽ conſiderabam, chirurgicos hoſce commentarios, remedia quàm plurima, ad eos affectus quæ manus operam deſiderant, longè optima & efficaciſſima continere: ac methodo tum ad rectè docendum, tum ad facilè diſcendum aptiſſima conſcriptos eſſe. Itaque operis huius non pœnitendi, nec uſque adeò (ut exiſtimo) aſpernandi prouinciam, eo cõſilio ſubiui, ut ipſum à mendis, quibus ſcatebat, fœdioribus uindicatum, uelut reformarem, & quanta maxima poſſem diligentia ac fide recognitum, in lucem proferrem. Plurima igitur ex Galeno & Hippocrate à Guidone ipſo deſumpta, deprauatè ac perperàm ex uetere illo barbaro interprete citata, uel ex doctis & fidelibus latinis interpretibus in ſenſum germanum reſtituimus, uel ad fidem græci exemplaris in Romanum ſermonem fœliciùs conuertimus: eáque non rarò, ſi quando obſcuriora adparebant, ſermone magis dilucido explicuimus: quæ uerò breuitas ſuppreſſerat, aut ambigua effecerat, ſic expreſſimus, ut omnis ambiguitas tolleretur. Corruptas morborum penè omnium, de quibus diſſerebat, & remediorum præſertim ſimplicium uoces propè innumeras, abiecimus, & alias magis germanas, lectas, & proprias tũ græcas tum latinas in locũ illarum ſuffecimus. Adhæc, locos quàm plurimos denſiſſimis obſcuritatis tenebris obductos, penitúſque retruſos in lucem clariſſimam, non mediocri labore, & diligentia reuocauimus. Græcas item dictiones, & latinas ſanè multas cum barbaris & Arabicis aliud longè ſignificantibus turpiſſimo errore confuſas diſtinximus & explicuimus. Romanas quoque etymologias, græcis uocibus ineptiſſimè attributas, reiecimus: & ueram illis interpretationem ex probatis authoribus iuxta linguæ utriuſq; proprietatẽ adiecimus. Quæ falſò erãt ab eo poſita, (erant aũt nõ parum multa) emendauimus, & rationibus firmiſſimis

miſsimis, adiectis etiamnum claſsicorum authorũ ſentẽtijs ad rẽ uel maximè facientibus, refutauimus. In reliquis, q̃ craſſam nimis, ſupinámque barbariem reſipiebant, ea paulò terſius ac nitidius, ne lectori ſordeſcerent; expreſsimus. Deniq; Guidonis cõmentarios de chirurgia conſcriptos, ex puriſsimis Græcorũ, uidelicet Hippocratis, Galeni, Pauli Aeginetæ & Aëtij Amideni fontibus, ac longè eruditiſsimis atq; elegantiſsimis Cor. Celſi de re medica libris, ita locupletauimus & illuſtrauimus, à mendíſque illis ſordidioribus, ac portentoſis erroribus, quibus paſsim deformati erant, expurgauimus, ut nõ iam amplius Cauliaci illius opus, ſed noſtrum meritò ab oĩbus dici & æſtimari poſsit. Quod et me etiam tacẽte facile uidebũt, ac (niſi iniqui fuerint æſtimatores) ingenuè fatebũtur, quicũq; noſtras has inſtitutiones chirurgicas accuratiùs pluſtrauerint, et eas cũ ſcriptis Guidonis cõferre nõ fuerint grauati. In quibus (fateor) ordinẽ illũ à Guidone cõſtituũ (quòd nobis, ut ſuprà diximus, longè optimus uideretur) ubiq; ferè obſeruauimus. De quo nõnihil mõ, quando id p̃ſens locus poſtulare uidetur, cbiter dicemus. Itaq; à definitiõe eius ipſius de quo agitur, iuxta Philoſopborũ p̃ceptũ, ſemp auſpicamur. Mox q̃d iã definitione explicatũ eſt, in ſuas differẽtias diuidimus. Poſt hæc cauſas, ſigna & iudicia cuiuſq; ſubijcimus. Denique uniuerſalẽ curãdi rationẽ apponimus. His ſic abſolutis, differentiæ illæ primæ ac (ut ita dicã) genericæ, ꝓpria etiã definitiõe circumſcribuntur, & deinceps in ſuas ueluti fibras finduntur, q̃ notis cuiq; peculiaribus ſcitè deſignãtur: ꝓſagia deinceps cuiuſq; ꝓpria notãtur. poſtremò curãdi methodus particularis deſcribitur. Quo ſanè ordine uix alius (meo quidẽ iudicio) ſtatui aut excogitari melior potuiſſet. Cæterũ nos tantũ uniuerſalẽ methodũ eorũ affectuũ, qui chirurgiæ ſubiecti ſunt, hic ſequuti ſumus: quòd hæc abũde ſatis ſit, ijs qui in rationali medicina ꝓbè ſunt inſtituti, & corporũ ægrotantiũ, ac ſingularũ partiũ affectarũ tẽperaturã, ſiũ, cõnexũ, ſubſtantiã, figurã, actionẽ, uſum, & ſi q̃ ſunt alia, ex ſcriptis medicorũ, ſed Galeni maximè, didicerunt. Itaq; ſuperuacaneũ iudicaui de ijs rurſus affectibus, quatenus in ſingulis partibus incidere cõſueuerũt, diſſerere. Anatomẽ quoque (cuius cognitio in primis chirurgo eſt neceſsaria) ꝓtermiſimus, ꝙ hæc in longè eruditiſsimis ac ꝓpè diuinis Galeni cõmẽtarijs de uſu partiũ corporis humani, & libris eiuſdem de anatomicis adminiſtrationibus, ac quibuſdã etiã alijs, ſumma tũ arte tũ eloquentia cõſcriptos (ut reliquos taceam, qui hac de re noſtra memoria ſcripſerũt) ampliſsimè ac fideliſsime doceatur & exponatur. Verũ enĩ uero cum in eiuſmodi libris plurima ſint, quæ ualde multis ſubobſcura, quædam uerò alijs prolixè nimis dicta, & parum ad chirurgum pertinentia uidentur, ſi in poſterum cognouerimus noſtros boſce commen-

tarios

tarios ab huius artis chirurgicæ ſtudioſis hominibus probari, atque ut his accedat anatome (quod iam ſubodorati ſumus) deſiderari, quæ iam ante annos aliquot, ea qua fieri potuit breuitate & facilitate in hanc rem, quantum ſatis eſt chirurgo, conſcripſimus, alia æditione ſuperis benè fauentibus ne quid huic operi deſit, in publicum emittemus. Quod autem ad ſtylum attinet, quo in hoc opere, quod totum ad docendum res, eáſque non indignas cognitu, eſt accommodatum, uſus ſum: non tam religioſus fui, ut illum tam anxium uerborum delectum, támque ſplendidum orationis cultum & ornatum ubique obſeruarem, qualem ab omnibus qui in communem utilitatem aliquid ſcribunt, exigere ſolent delicatuli iſti lautioris eloquentiæ inſtitores, qui omnem dictionem, atque orationẽ ut putidam auerſantur ac reſpuunt, quæ ex Tulliana officina deprompta non ſit: cum tamen Tullius ipſe non requirat eloquentiam à philoſopho: quam etiam neque Seneca uſquàm deſiderat, niſi cum paruo conſtat, cúmque ultrò adeſt, ut res magnas (inquit) magnificè proſequatur. Cæterum etſi res ipſæ etiam quas hic tractamus, orationis cultum & ornamenta dicendi admitterent, ne uacabat quidem, dum hæc horis ſuciſiuis commentabamur, ut ſingulas tum uoces, tum ſententias ita ſuperſtitioſè expenderem, & adeò curioſè perſequerer. Sed nec licet nobis etiam eſſe tam diſertis, qui ſeueriores Muſas colimus: quíque non ad ingenij oſtentationem ſcribimus, aut ut uberem famæ meſſem nobis comparemus, ſed publicam duntaxat ſtudioſorum utilitatem ſpectamus. Atque huius ſanè rei nos ſubinde admonuit Iacobus Syluius, arctiſſima conſuetudine uel ab ipſa ferè ſtatim ineunte adoleſcentia mihi ſemper coniunctiſſimus: uir cum omni arte ingenua, liberalique doctrina, tum medicinæ ſcientia præſtantiſſimus, ut copioſæ & eruditæ eius lucubrationes abundè teſtantur. Itaque, ſi recte iudico, effeci ut ſtylus noſter neque nimis neglectus, neque anxiè nimis & ambitioſè elaboratus, ſed temperatus & mediocriter cultus uideri poſſit: quanquàm duobus poſtremis libris & paulò cultior ſit & æquabilior, quippe quòd in eis aliquantum plus laboris & diligentiæ quàm in reliquis adhibuerimus, & quos ſequeremur authores optimos habuerimus. Cæterum alia æditione, ſi detur interim nobis ocium, hoc, qualecunque eſt, opus acriùs recoquendi, & diligentiùs caſtigandi, futurum confidimus, ut in eo ſtyli diſparitas nulla, ſed eadem ubique, quoàd fieri poterit, æquabilitas (quod artis benè dicendi, atque etiam interpretandi primum caput eſt) reperiatur. Sed iam ſatis multa de præſentis operis materia, methodo, déque toto labore noſtro dictum ſit: qui an à nobis fruſtrà uel rectè ſuſceptus ſit ac perfectus, aliorum eſto iudicium. Reſtat ut paucis dicamus, cur liber ſextus, ad quem toties lectorem quinque noſtris prioribus remittimus,

timus,noſtro nomine non fuerit euulgatus. Id fuit in cauſſa,quòd dum importunis amicorum efflagitationibus urgerer,ut quæ de re chirurgica ſcripſeram,ea ederem, non putabam ſextum librum adiungendum: propterea quòd rudem duntaxat & impolitam quandam ſyluam cõgeſtam habebam eorum quæ ibi tractanda erant:quam negocijs plurimis & familiaribus & publicis occupatus haudquaquàm recognoſcere poteram. Itaque id oneris Iacobo Hollerio,lectiſſimo medico doctiſſimóque philoſopho,& arte dicendi inſtructiſſimo, dedimus, qui ſic opus rude & inchoatum à me limauit,expoliuit,locupletauit & conſummauit,ſicque totum immutauit,ut cùm ad me rediret, meum eſſe nequaquàm agnoſcerem. Quocirca ſub illius nomine,potiùs quàm noſtro,quicquid id erat cenſuimus euulgandum:ne hominem mihi amiciſſimum debita laude,meritáque gloria fraudaremus. Tu lector utriuſque labore fruere, & Vale.

Si quæ errata (quæ pauca & leuia ſunt) typographi incuria commiſſa occurrent, docti & æquanimi lectoris diligẽtia facilè corrigi poterũt.

PETRI CRVSELII MEDICI IN operis huius commendationem Hendecaſyllabum.

Ars chirurga diu malis magiſtris
Lanfranco, Albucaſi, Guidone, Bruno,
Rollando, Rogero, Vigonióque,
Indignam malè paſſa ſeruitutem
Cæcis delituit gemens tenebris,
Olim iam medicas duas ſorores
Emerſiſſe uidens: gradu citato
Ad claros ſtudiis uiros, & uſu
Illuſtres medico Lutetianos
Tendit ſuppetias petens, opẽmque.
Cunctantur reliqui: Tagaultus unus
Afflictæ lachrymas dolens, uicémque,
Et ſordes, habitúmque non herilem,
Ornatu decorat nouo, reducens
Denſis è tenebris, ut æmulari
Germanas meritò queat ſorores.
Sic putres Arabum lacus repurgat.
Nam quod Cous habet ſenex, quod ipſe
Huc ſpectans tot habet libris Galenus:
Hẽc totum poteris uidere Lector
Deſcriptum methodo breui. Proinde,
Summo, iudice me, eſt honore dignus
Vindex pæoniæ Tagaultus artis.
Quo chirurgia tam bono magiſtro,
Et doctore tibi expolita prodit.

INDEX IN SEX LIbros ſequentes, cuius numerus prior paginam, poſterior lineam denotat.

Bſceſſus apertio Pag.39. Lin.32

Abſæſſus aperiendi ratio 28.34

Abſæſſus à quibus fiant humoribus 14.26

Abſæſſuum iudicia 20.37

Abſæſſus qui dicantur Galeno 16.17

Abſæſſus quid 1.5

Abſæſſus quando ſecandi 28.23

Abſæſſus unde 15.9

Abſæſſuum curatio in uniuerſum 27.13

Aceti uſus in malacticis 372.5

Aceti uſus in ſcrobis 111,10:& 372.24

Acetum 360.2

Acetum nullum incidit & deterget 370.9

Acria ubi uitanda 389.37

Acrimonia quomodò auferatur à medicamentis 389.38

Acrochordines quæ 7.24:& 67.37

Acus forma & qualitas qua ſutura fit 160.36

Adenæ 32.35

Adeps & ſebum differunt 370.32

Adeps recens laxat, uetus diſcutit 367.23

Adeps uetus quomodò fit recens 371.23

Adglutinatio diuiſorum duplex 157.37

Adglutinatoria deligatura 158.15

Adipes anodyni 409.8

Adipes peptcam uim habentes 376.14

Adoleſcens ex cerebri uulnere curatus 132.11

Adſtringentia calida 359.16

Adurentia mediamenta 46.12

Aëris ambiẽtis noũe qd intelligẽdũ 204.37

Aeris ærugo 286.33

Aeris ſquamma 287.30

Aerugo quid 69.24

Aerugmoſa bilis 55.6

Affectus cum luxatione cõplicati 345.10

Affectui contumaci & minus calenti remedia 368.20

Affectuum cum bulare complicatorum curandi quatuor intentiones 271.21

Agaricus conuenit conuulſis ex craſſis & pituioſis humoribus 183.23

Albara 8.33:& 9.18

Albara Punicorum eſt leuæ Græcorum & Celſi 8.34

Aldaron trochiſcus 51.4

Alhaſaphum 10.11

Alkali quid 407.7

Almatim Ἀλίατννα, Græcorũ terminthi 12.16

Almiſmar 68.14

Aloë uulgaris 399.17

Alphi duplices 8.38

Alphitidon facta fractura 320.8

Althæa officinis biſmalua 353.10

Alterationes tres in animalis corpore fiunt 264.6

Alteram 280.7

Alumen 287.9

Ἀμυκτικὰ quæ 403.16

Anadendromalache 109.5:& 110.36

Analogia in tumoribus præter naturã 18.23

Ἀνασόμωσις cauſæ 213.27

Andronis trochiſcus 47.38

Aneuriſma quando fit 230.24

Ἀνώδυνα quæ 408.25

Antecedentes tumorũ cauſæ 14.12:& 262.3

Ἀνάλυσις 380.29:& 381.1

Antidotarium quid 356.30

Anthraces qui 31.33:& 43.8

Antimonium 287.3

Antiſpaſis 25.6:& 227.18

Ἀντίτασις 331.35

Ἀπεψίατος ulcus 387.17

Apertis uaſis conuenit aſtringentia 411.14

Aphoriſmi 49.& 50.lib.6 interpretatio, 348.35

Ἀποκοπὴ 320.11

Ἀποκρουσικὰ 357.27

Apoplexia 186.14

Ἀποσκλήματα quæ 16.34

Apoſtema aliter à Græcis, aliter à recentioribus accipitur 1.1 & deinde

Apoſtematis abſoluta definitio, & definitionis examinatio 3.10

Apoſtematis curatio eſt extractio materiæ extraneæ quæ ipſum faciebat 28.19

Ἀπόδρασις 320.10

Aquæ aluminoſæ uis ad pituitoſos abſæſſus 91.38

Aquæ fortes 407.35

Aqua uitæ 198.27
Aquosi tumores 15.13
Aquosi tumoris curatio 83.24
Aquosum apostema 82.15
Arabibus aliqua laus deferenda 355.16
Arœotica uius naturæ sine 366.2
Ardor alicuius partis quomodo extinguatur 363.25
Argentum uiuum sublimatum fistulis callosis utile 312.4
Arsenicū usus & mensura 100.17
Arsenicum sublimatum 51.6:& 231.11
Arsenicum sublimatum uiuum à corrupto optime separat 297.30:& 315.12
Arteria incisa aliquando unitur 139.24
Arteriarum uulnera 225.20
Artialis non conuenit uersi ferri & auteriorum 379.33
Artialorū doloribus conueniēs oleū 410.17
Asses unde 82.23
Asses à maiore frigiditate fit quàm tympanites 83.10
Aspanar 171.10
Astrictionis mensura 358.29
Atheroma 87.20
Atheromata sub quo genere tumorum continentur 6.24
Atheromatis curatio 101.24
Attractylis collectica summè 399.20
Attrahentia aduentitio calore 363.30
Auersio sanguinis duplex 227.6
Auersio cum uacuatione sanguinis 227.11
Auicennæ locus de incisione medullæ interpretatus 248.34
Auicenna myrmecias confundit cum herpetibus 64.7
Aureum Mesuæ sarcoticon 391.26
Autoris antidotarij institutum & consilium in libro describendo de materia chirurgica 357.10

Barbarum Galeni 400.25
Battitura æris 287.31
Belulam ferramentum 148.29
Bilis atra 54.26
Bilis duplex 54.31
Bilis quid 54.28
Bocium 88.20
Borago 171.9
Bothor 3.37:& 7.37
Bothores iuncturarum 12.14
Brachij caput quomodo luxetur 346.19
Bronchocœle 85.13
Bubo 88.34:& 269.39

Cacochymia quid 25.4
Cacoëthe ulcera 55.34:& 281.26
Cacoethe ulcera iuuantia 385.24
Cæsim & peraßim plagis factis medicamentum enhæmum necessarium 275.30
Cadmia 286.22
Calamentum officinarum 279.19
Calcis modus lauandi 245.18
Calidicon trochiscus 51.4
Calli curatio 404.34
Calli in osse fracto conueniens proportio 420.5
Calli i osse fracto magnitudo decēs 335.25
Calli in osse fracto materia 334.34
Calli ossis generari incepti notæ 335.1
Calli siue πώρου concreti signa 420.3
Calore quæ trahunt 384.23
Calor facit motum immodicum 193.16
Callos aufert helleborus 404.31
Callosis labris hulcerum medicamentum conueniens 410.19
Callosis ulceribus cōueniēs medicam. 289.31
Callos quæ minuunt 339.15
Callū iusti firmantia in osse fracto 420.7
Callus 7.30:& 404.32
Callus ossis dicitur, cuius interuentu ossis fracti partes adalligantur 139.5:& 325.29
Callus quantum differt à clauo 68.27
Caluaria fracta solidescit triginta quinque diebus 323.33
Calx uiua quid 230.36:& 276.25
Cambil 280.14:& 288.13
Canær à carcinomate differt 7.11
Cāerosis ulceribus quæ imponūtur 384.35
Canær quid 113.21
Canær quando curationem, quando non admittit 115.17
Canær ulceratus cur lupus uocetur 317.22
Cancri exulcerati 55.34
Cancri signa 114.7
Cancri signa, sārrho Guido tribuit 106.12
Cancris medicamenta topica quæ conueniant 117.18
Cancris quibus adblandiendum uera cura omissa 316.1

INDEX.

Cancri ulcerati notæ 314.12
Cancri unde 105.29
Cancros aliquãdo Celſus gangrænã et ſphacelũ appellat 322.13:& 331.16
Cancroſa ulcera purgantia 385.20
Caninum cerebrum oſſa fracta quatuordecim diebus ſolidat 418.15
Canis rabici notæ 219.10
Canis rable ſæpius capitur 219.5
Cantharides quid mali adferant 406.33
Caphura 360.2
Capitellum quomodo fiat 407.11
Capitis luxationes 346.1
Capitis ulcera cõiungens 399.35
Capnos græcè fumaria latine dicitur 108.2
Capparis cortex 288.7
Carbunculi 31.33
Carbunculi acratio 44.26
Carbunculi iudicia 44.10
Carbunculi notæ 43.17:& 44.7
Carbunculi qui peſſimi 44.11
Carbũculis conuenũs medicamen 372.38
Carbunculũ maturans et rũpens 45.29
Carbunculus unde oritur 43.10
Cariarum decoctũ pepticũ eſt 376.24
Caries 258.6
Caries lignorum 389.27
Carnem detrahunt quæ uehementer exiccant & natura acria ſunt 209.27
Carnẽ fuere ẽ naturæ opus 202.3:et 387.21
Carnẽ minuẽtiũ ſupereſcentẽ q̃dã ualẽtia q̃dã ibeallora,et iter hæc q̃dã media 210.6
Carnæ replent ſiccantia et detergẽtia 303.15
Carni generandæ quæ obſunt 387.31
Carne regignẽdæ quis ſanguis aptus 201.36
Carnis excreſcentias reprimẽs med. 386.35
Carnis generationi duplex adeſt excrementum 202.17
Carnis mutatæ à uenenato trilo notæ 151.26
Carnis ſupercreſcentis detractio,naturæ opus non eſt 209.25
Carnoſi uulneris diuiſio 194.17
Carnoſi uulneris ſimplicis in carne ſumma accepti,curatio 195.6
Carnoſum ulnus et eius differẽtiæ 194.5
Caro tẽperamẽtum proprium ſeruare debet priuſq̃ hulcus curari poſſit 273.18
Κάταγμα 247.24:& 319.21
Καταγματικὰ 390.9
Καταγματικὴ deligatio 415.32
Cataplaſma ad phlegmonas ex fluxione natas conueniens quale 65.35
Cataplaſma ex orobi farina 46.8
Cataplaſmata unde fiunt 360.21
Κατὰ πλάτος acratio 244.12
Cathæretica quæ 208.8
Cathæretica,& eorum poteſtas 404.1
Catharticis quõ utendũ in ulceribus 383.2
Catharticorũ ulceri ipoſitorũ ꝓbatio 384.11
Catheter quomodo trahit 364.20
Cathimia 286.22
Κατ᾽ ἴξιν 34.12
Cautas omnis præter naturã impleri poſtulat 201.6
Caui ulceris implẽdi indicatio à temperamento,tum corporis totius ægri, tum laborantis particulæ ſumitur 203.11
Caui uulneris am amißione cutis utriuſque & carnis ſubiectæ geminus curandi finis. 200.34
Caui uulneris acratio iuxta uulgarem chirurgorum modum 206.14
Καυλικὸν fractura 326.6
Caules rubri 92.22
Cauſa cõiuncta nihil differt à morbo 16.8
Cauſæ duæ tãtũ morb. ſecũdũ quoſdã 15.31
Cauſæ externæ curationem non indicant ſed affectum 128.28
Cauſa effectrix in omni morbo primum tollenda 282.31:& 293.29
Cauſæ influxiõis in partẽ aliquam 24.13
Cauſæ inuẽtio eſt principiũ curatiõis 23.32
Cauſæ tumorũ præter naturam generales 12.32
Cauſæ tumoris præter naturã ſpeciales 14.5
Cauſtica dum admouemus,uidendum ne uicinæ partes inflãmatione tentẽtur 315.15
Cauſtica qualiter admouenda 276.35
Cauſticorum diuerſi modi 405.27
Caſticum ruptorium. 30.17
Cauteria dum adhibentur quomodo muniendus locus 406.5
Cauteria fiunt leniora auro & argento quã ferro & ære 405.38
Cauteria hæmorrhagijs cõueniẽtia.413.30
Cauteria ubi periculoſe adhibentur 379.10
Cauũ uulnus priuſquã impleri poſſit, oportet

partialã ſiue carnẽ ſubiectam ad naturalẽ ſuũ habitum reducere 204.10
Κέγχριας 63.8
Centaurij facultas 244.30
Centaurij minoris radix 244.38
Κεφαλικὰ 390.8
Cephalicorum materia 390.24
Cera alba quæ 360.37
Cera & reſina confuſa ualent ad ſuppurandum 376.23
Cera quali utendum in ceratis 360.35
Ceratum καταγμαλῶδες 417.23
Ceratum humidum 330.38
Ceratum myrtinum 360.32
Ceratum è pſyllio 360.24
Ceratum refrigerans 60.17
Ceratum roſaceum 360.26
Cerebri uulnera 131.24
Cerebri uulnera aut lethalia 132.30
Cerebrum promptiſſimè compatitur neruoſis partibus inflammatis 193.4
Κεφάλαιον 370.26
Cerota unde fiunt 360.21
Chalaſtica medicamenta quæ 27.15
Χαλασμικὰ fiunt interdum ἐκτιτρωσκὰ 375.13
Chaladis 286.28
Chalcanthum 230.34:& 286 36
Chalcitis 286.28
Chalatis cruda cruſtas inducit 286.30
Chironia ulcera 281.29
Chironijs ulceribus conueniens med. 290.24
Chironijs ulceribus & malignis quid utiliter inſpergatur 389.29
Chironijs ulceribus med. conueniens in mollibus corporibus 292.2
Chironium ulcus Celſo quod dicitur 281.27
Chirurgia non temere adhibenda in cancris 118.37.
Chirurgorum imperitia in ulceribus quibus admota ſint medicamenta plus ſatis acria 270.3
Chirurgicus nõ purgabit, uenamq; incidet ãtra medici conſilium 59.16:& 168.3
Chœrades 7.5:& 86.25
Chœradibus conuenientia 367.25
Cholera naturalis 53.37
Χολὴ ξανθὴ 53.38
Chryſocolla 287. 25
Cicatricem inducturo quid faciendũ 207. 33
Cicatricem per accidens inducentia 208.5
Cicatricis inducendæ methodus 206.33
Cirrhum medic. 305.25
Claui Auicennæ 68.10
Clauicula quomodo luxetur 346.8
Clauis conueniens medicamen 372. 38
Clauus 7.24:& 68.10
Climia 286. 22
Κνκμὴ 248. 27
Coagulum 364. 2
Cochlearum carnes 364.12
Collectio in tumoribus fit bifariam 16.30
Κολλητικὰ quæ 397.12
Colleticon Dini 401.15
Colleticon è centaurio minore 401.11
Colleticorum utendi modus 402.1
Colcotar 286.28
Κόλπος 298.11
Colubri lapis quomodo acquiritur 367.33
Concoctionem iuuans drageta 80.3
Concreſcere quæ debent, oportet mollia & humida eſſe 325.14
Congeſtio 12.33
Conferua quid 418. 21
Confracta uniens med. 419.17
Conſolida maior 47.6:& 170. 7
Conſumptiua quæ 208.8
Continentes ulcerum cauſæ 262.10
Continentis cauſæ definitio 15.29
Conti uulgo probæ dicuntur 299.2
Conuulſioni ex plenitudine febris ſuperueniens bonum 184.21
Conuulſio uniuerſalis 178.34
Conuulſio partialaris 178.38
Conuulſis à quacunq; cauſa ſemper cerebrum corroborandum & quomodo 185.22
Conuulſis remedia continuo adhibenda, interpoſitis tamen breuibus interuallis &c. 181.35
Coriandrum 360.31
Cornua uerruacarum genus dictum Auicennæ. 7.28:& 68.25
Corpora quæ medicamenta leniora requirãt, quæ fortiora 370.5
Corpora dura uehementiora requirunt remedia, mollia contrà 51.15
Corporis figura multifariam uulnerati 143
Corroſiuorũ uſus in pituitoſis affectis 100.5

Corruptelæ particularum indicia 19.35
Contundendo ſoluentia unitatem 226.11
Contuſa caro in gangrænam degenerans quomodo tractanda 212.29
Contuſum uulnus quomodo curetur 211.1
Coſtæ fracturæ diuerſæ 324.11
Coſta fracta quot dierum ſpatio ferrumẽ acapiat 323.37
Cotyledon 60.14
Coxa diebus quinquagenta conualeſcat 324.3
Cranio fracto, quæ imminere mala portendunt 324.17
Craſſa & uiſcida molliri uolunt 369.27
Craſſa & uiſcida ſecans medicamen & diſcutiens 368.19
Criſes tumorum ſequuntur analogiam humorum ex quibus conflantur 18.22
Croœa bilis 55.9
Crocus 376.35
Crocus utilis in anodynis 40.35
Cruẽtis utile quacũque corporis parte 400.19
Crus fractũ ne breuius fiat quid faciẽdũ 323.2
Cruſtæ à cauterijs factæ quãdo & quibus detrahendæ 406.10
Cubitus fractus diebus 30. conualeſcit 323.35
Cubitus, manus, femur, in omnes partes luxatur 346.24
Cuarbitulæ uſus in magnis morſibus uirulentorum animalium 223.31
Cuarbitula quomodo trahit 364.18
Cuniculoſa ulcera omnia uulgus fiſtulas nominat 298.8
Curandi ratio optima tripliciter indicatur 27.27
Curatio morborum commoda non ex nomium, ſed rerum recta opinione contingit 194.36
Curationis ordo in ulcere 30.11
Curationum communis indicatio in tumoribus præter naturam 110.17
Curatio propriè eſt rei præſentis 128.36
Curatio tumorũ in uniuerſum 22.7
Curatio tuta tria requirit 27.29
Cutis habenda ratio in glutinatione uulnerum 397.25
Cutis reggni non poteſt 206.36
Cynogloſſon 170.8
Cyſtis fellis uulnera 134.23
Cyſtis membrana dicitur, quæ integit excrementa 89.18

Dacrydion 58.31
Dartræ Gallicæ 11.12
Declinatio in tumoribus præter naturam 18.36
Defœdationes cutis unde 14,27
Defenſiua quæ 361.19
Delegandi fracturarũ modus recentiorũ Hippocrati damnatus 322.17
Deligatio ad repellentiũ genꝰ refertur 361.20
Deligatio ferularũ quando ſoluenda 334.16
Deligatio tuta oſſis repoſiti 328.31
Deligatura conueniens membro atrophia affecto 361.23
Deligatura cõueniens oſſi fracto 250.30
Deligaturæ duabus faſcijs factæ ratio atque explicatio 329.37
Deligaturæ indicatiões unde ſumãtur 160.10
Deligaturæ inſtrumenta 415.1
Deligatura fracturæ conuenit cum uulnere 336.26
Deligatura in œdemate 76.8
Deligatura retinens qũo fiat 159.27
Deligaturarum tres differentiæ 158.12
Deligatura ulceribus conueniens 294.37
Delirij ex uulnere curatio 193.20
Delirijs opitulãtur res frigidæ odoratæ 193.
Delirium quid 192.25 (33
Deliteſcentiæ regreßionis tumorũ iudicia 20.2
Deriuandum quando in uulneribus 169.16
Deriuatio 227.16
Detergentia 29.33
Detergẽtia quatenꝰ uulnera requirũt 202.25
Διάβρωσις 226.1
Διὰ χαλκίτεως 400.10
Διὰ χαλκίτεως præparatio ad rheumata 361.4
Διὰ χαλκίτεως uſus in neruo uulnerato 245.36
Diachylon ireatũ & commune confert œdematis 96.6
Diachylon Meſues prodeſt pituioſis tumoribus 96.9
Διὰ χυλῶν tria genera, & eorum diuerſus uſus 374.10
Διαχοπραγίας medicamen 403.18
Dia ireos 392.3
Διὰ λαδάνου Critonis 394.25
Διὰ λαδάνου emplaſtrum 289.31

Diapalma 118.3:& 245.38
Diapedesis cauſæ 213.29
Diaphoreticorum uſus, canon 369.5
Diaphragmatis uulnera 133.21
Διάπλασις 416.16
Diapompholigos unguentum 118.5
Διαπυητικὰ debent eſſe emplaſtica 375.5
Digerentia ſiue reſolutoria domeſtica 215.30
Digerentibus quando utendum, communis canon 293.34
Diphryges 287.4
Διπλώματα 402.22
Directum in oſſe fracto reponendo quid dicatur 326.8
Diſaſſa quæ dicantur 140.2
Dolia 148.27
Dolor durãs q̃ ſymptomata inuehat 408.20
Dolores aerrimos calor & frigus faciunt 408.32
Dolor fluxionem proritat, & phlegmonem excitat 196.14:& 274.4
Dolor in fracturis quomodò curatur 336.1
Dolor in uulneribus quomõ ſedetur 173.20
Dolor ſedandus, læſæ particulæ dolorem faciens 193.26
Dolorum cauſæ 408.19
Dothienas adiuuans medicamen 368.36
Dracontion morbus ſiue dracunculus 7.31
Dracontij radix curat maligna ulcera 385.12
Dropacum uſus 402.16,& 26
Dubeiata 6.24
Duritiei in particulis cauſæ 109.24
Duritiei omni conueniens medic. 365.18
Δυσελκὲς ulcus 398.13
Ecchymoma quod 213.6
Ecchymomatis propria curatio 214.36
Ecchymomatis ſpecies 213.35
Echecolla per ſe hærent 375.19
Εκπυητικὰ 375.5
Ecthymata 10.33:& 64.27
Εκτιλωτικὰ quæ 404.33
E directo ſecare uenam quid 35.14
Ἐγχώνιος figura 332.2
Ἕλκος ὀλυκρόν 267.13
Ἑλκωτικὰ quæ 361.33
Elleborus albus 178.10
Elongatio ligamentorum 344.20
Elychnion tarſicum 76.4
Emphyſema quid 5.15
Emplaſtra diuerſa ad hæmorrhagias 413.6
Emplaſtica medicamenta quæ ſint 229.28
Ἐμπλαστρώδη epulotica 393.17
Emplaſtrum album epuloticum 396.10
Emplaſtrũ albũ epuloticũ Auctuar. 396.14
Emplaſtrum Auicennæ ad tumores uulnerum & phlegmonas 174.26
Emplaſtrum Auicennæ ad ſordida ulcera 297.12
Emplaſtrum ex cancris 118.26
Emplaſtrum ex malis punicis 45.22
Emplaſtrum ex metallicis 238.37
Emplaſtrum de arnoglоſſa 45.19
Emplaſtrum Galeni conferens ſtrumis, parus, parotidibus &c. 95.31
Emplaſtrum Guidonis de limacibus ad œdemata reſoluenda 96.34
Emplaſtrum Gulielmi de Saliæto 52.13
Emplaſtrum nigrum 198.35
Emplaſtrum nigrum Ariſti 377.24
Emplaſtrum Raſis ad œdemata 75.28
Emplaſtrum uiride Andromachi 377.36
Emunctoria 32.35
Ἔνατμα quæ 396.13
Enhæma qualia 304.2
Epidermis 54.7
Ἐπίδεσμοι 330.30
Ἐπιδέσεως καταγμάτων 416.19
Ἐπιδρεπάρεσις 380.28
Ἐπικαιρον uultus 398.11
Epilepſia quid, & quantum diſtet à conuulſionibus alijs 179.6
Ἔπιλυσις quid 366.37
Epinyctides 9.37
Epinyctis unde dicta 10.4
Ἐπίπασα epulotica 393.17
Ἐπιπαστικὰ quæ 361.33
Epulotica quam faultatẽ habeant 207.37
Epulotica recentiorum 396.1
Epulotica quãdo & quomõ utimur 396.27
Epuloticorum natura, & eorum triplex genus 392.23
Epuloticorum remediorum diſtinctio, & ex ea utendi modus 393.1
Epuloticum album è ceruſa & lithargyro 395.8
Epuloticum album Galeni 395.24
Epuloticum emplaſtrum nondum tamen ſanans

INDEX.

nans cacoëthe ulcera 289.15
Epuloticum medicamentum quod 207.17
Erethrias terra 280.15:& 288.12
Eroſio ſi non cedat mitioribus medicamentis, uſtio adhibenda erit 295.29
Eroſio uenis ubi accidat 226.16
Error interpretis Auicennæ in dictionibus, myrmeciæ & formicæ 6.15
Eryſipelas non legitimum & eius ſpecies 54.12
Eryſipelas quid 53.30
Eryſipelatis curatio 5.12
Eryſipelatis exulcerati curatio 61.29
Eryſipelatis refrigerationis terminus 59.34
Eryſipelatis ſummaria curatio explicata apho riſmis 62.1
Eryſipelatis ueri cauſæ 56.1,& deinde iudicia & ſigna
Eryſipelatωn genus qui tumores referunt 6.12
Erythrodanum 170.2
Eſchara quid 230.26
Eſcharotica,& quibus conueniant 404.8
Eſcharotica recentiorum 413.35
Eſſentia tumoris præter naturam tria in ſe continet 22.29
Eſſere 10.7
Eſthiomenica corruptio 23.37
Eſthiomenos herpes 63.19
Euphorbium 363.18
Exanthemata 10.33:& 64.28
Exarthrema 344.12:& 345.5
Exeſis uaſis conuenium ſarcotica 411.14
Exaſis utile quacũq; corporis parte 400.20
Exicantia affatim 288.8
Exiatio uulua duos habet ſcopos 283.21
Exitura 75.12
Exituræ Arabibus ſunt abſceſſus Latinis,Græcis ἀποσήματα 4.2
Exituræ Auicennæ quæ 1.7
Exituræ unde 15.9
Expulſoria deligatura 159.6
Extenuatorũ membrorũ inſtauratio 421.10
ἕλκος ulcus 398.14

FArina hordeacea 376.5
Faſciæ latitudo & lõgitudo pro uulneris & partis ratione uariatur 160.1
Faſciarum latitudinis modus 329.14
Faſciarum longitudo 329.28:& 330.16
Febres à quibus fiant humoribus 14.28
Febris leui uulneri ſuperueniens eſt perniciоſa 175.21
Febris quomodo excitatur in conuulſis ex plenitudine 184.25
Febris uulneratum prehendens quomodo curanda 175.14
Fermos Auicennæ quid 106 25
Fermentum 363.37
Fermentum quomodo potenter mollit,coquit & digerit 367.27
Femur fractum non neceſſariò breuius fit 322.34
Ferro quando utimur,quæ partes uitandæ ſunt 379.5
Ferrum teli quomodo eximatur 148.26
Ferrum infixum quo inſtrumento commodè extrahatur,& quod uiæ terebræ inuerſæ Guidonis eſſe poſſit 155
Ferulæ fracturis quando apponũtur 332.25
Ferulæ quales eſſe debeant 333.7
Ferulæ quomodo applicandæ oſſibus fractis 251.1
Ferularum uſus 333.6
Fibulæ Græcè ἀγκτῆρες 157.9
Fibulæ quando imponendæ uulneri 157.24
Fibulæ quatenus utiles 161.34
Fibula ubi adhibenda 399.1
Figura partis rectiſſima quæ 332.1
Fiſtulæ quomodo noſcantur 307.5
Fiſtula quid,& qucmodo ex ſinu fiat 295.8:& 306.19
Fiſtulæ qucmodo incidantur 381.5
Fiſtularum curatio 308.35
Fiſtularum uera curatio quæ 312.33
Fiſtula unde ſit dicta 306.26
Flatibus uentris conueniens oleum 410.9
Flatuoſi tumores 15.12
Fluxio 12.32
Fluxionis auerſio quibus perficiatur 35.10
Fluxionum auerſio qucmodo fiat 24.30: & 33.21
Focilia quæ 248.26
Forceps ad amplianda uulnera in carne 156
Foræps ad globos & tela barbatula educenda 154
Forcipes Albucaſis ad extrahenda tela 153
Formicæ Auicennæ 62.32,& 64.4
Formicæ genus uerruarum 68.31

Fractura 247.25:& 319.19
Fracturæ cũ uulnere curatio ex Celſo 338.6
Fracturæ curatio generalis 325.4
Fractura brachij, tibiæ, aut femoris quomodo deliganda 329.15
Fracturarum cauſæ 321.12
Fracturarum generalis diuiſio 318.1
Fracturarum prognoſtica 321.36
Fracturarum ueterinariarum aliquot præſagia 323.13
Fraudulentum ulcus 296.20
Fugillæ Auicennæ 85.16:& 89.3
Fuligines ſarcoticæ 389.22
Fumus terræ 108.2
Fuſcus color 106.6

GAlla omphacitis 288.3
Gallicus morbus quando primùm irrepſit 12.1
Gallicus morbus ueteribus ignotus 11.38
Gangliorũ per chirurgiam curatio 95.15
Ganglium 7.3:& 86.4
Gangræna 31.34:& 48.18
Gangrænæ & ſphaceli curationis capita 52.23
Gengrænæ ſigna 49.26
Genitalibus inſpergitur utiliter colophonia cum thure 389.27
Gentianæ radix quandoque penialli loco imponitur 165.4
Genu in tres partes luxatur 346.20
Glandoſæ puſtulæ 12.11
Glandulæ 32.35:& 269.19
Glandula unde dicta 85.31
Glaucum eſt memitha 67.8
Gloſſocomi formula 342.1
Glutinandi ratio 398.22
Glutinantia remedia recentiorum 400.31
Glutinantium facultas 198.14:& 207.25 & 300.14:& 394.14
Glutinantium finis 303.32
Guidonis error in myrmecijs & formicis 64.8
Gypſum 360.4

HAemorrhagiæ cauſæ 411.11
Hæmorrhagiæ uaria remedia 412:9
Hæmorrhagia quando cauterijs ſiſti debeat 412.14
Hæmorrhagia trifariam ſiſtitur 226.38
Halitus oris grauis & fœtens quare oppreſſis lue uenerea 371.6
ἅλοι 68.13
Hepatis uulnera 133.2
Hernia gutturis 85.13
Herpes 62.23
Herpes & eryſipelas ulceratum differunt 64.14
Herpes exedens 55.31:& 63.1
Herpes miliaris 63.6
Herpes puſtuloſus 63.18
Herpetas inueteratas curantia 66.33
Herpetis curatio 64.31
Hiera picra conuenit conuulſis ex craßis & pituitoſis humoribus 183.23
Hiera Ruffi 116.32
Hipp. non fuit ambitioſus in fracturis nominandis 320.18
Hirudines ſuperfidem ſugunt 364.19
Hiſpanica lues 12.4
Hordeatum uel hordeum mundatum eſt ptiſſana hordeacea 171.5
Humores propriè qui 14.31
Humores uniuerſi in uenis aut arterijs continentur 14.38
Hydrea 10.9
Hydrophobia 219,18
Hydrophobiæ notæ 220.24
Hydropicorum aquas elidentia 364.14
Hydropicorum uulnera quare difficulter ſanantur 140,12
Hyoſcyamus anodynum familiare 41.3
Hyperſarcoſis 209.12
Hyperſarcoſis ablatio 276.9
ὑποδεσμίδες 329.17:& 322.14 & 330.34
Hypopia 213.36
ὑπνωτικὰ 408.36
ὑπόξυσις quid 380.27
Hypoſphagmata 213.37

IChthyocolla 287.25
ἰχὼς quid 202.21:& 263.18
Iciuni inteſtini uulnera 135.3
Ignis ſancti Antonij 49.2
Imbecillitas partium ab intemperie prouenit 272.17
Impages quid 165.8
Impetigo 8.14
Incantamenta, inſuſurrationes, & coniurationes ad tela extrahẽda nõ conducũt 152.2

Incarnatiua deligatura 158.14
Incarnatiua ſutura ſit quinque modis 160.23
Incarnantium ordo 304.10
Incidens materia quibus conueniat 366.20
Incrementum in tumoribus præter naturam 18.30
Indicatio communis omnium tumorum præter naturam 108.10
Indicatiões communes tumorum præter naturam quibus uarientur 22.15
Indicationũ primariũ differẽtiæ duæ 203.16
Indurationis tumorum indicia 29.38
Induratis tumoribus utile cataplaſma 41.17
Inflatio eſt apoſtema uentoſum 79.23
Inflationis curationis capita 81.35
Inflationum cauſæ 78.18
Inflationum ſigna 78.35
Inflationum curatio 79.6
Inflammatio fracturis adiuncta quomodo curatur. 336.1
Intemperierum uulnerum ſigna & curationes 175.1
Intemperierum in ulcere ſummaria conſideratio 273.1
Ioannis Tagaulij laus 357.4
Ionthi 9.31
ἰὸν ξηρὸν 288.29
ἴσχαιμα uetrum 413.22
Iſchiadicis ubi ignem adhibemus 379.34
Iudicij ferendi formula de uulneratis 137.5
Iugularium uenarum uulnera 134.17
Acertæ caput 69.21
Læſio melior quàm mors 174.16: & 185.31
Lana ſuccida uino auſtero inſuccata 359.37
Lapis lazuli Græcis Cyaneus dicitur 108.4
Larigna ꝙ terebith. ſubſtitui pŏt 388.25
Laxatio 344.19
λέπις χαλκοῦ 287.31
Lepra 8.27
Lepræ med. conueniens 400.20
Lepra Halyab. quid ſit 9.19
Leuce Græcorum et Ceſi eſt Punicorum alba ra 8.34
Leucophlegmatia unde 82.18
Leucophlegmatia ad œdematum ſpecies refertur 7.8
Lichene 8.13
Lichinia 164.1
Lienis ſcirrhis conueniens med. 370.28
Licnis uulnera 135.9
Ligamenta ualentiſſima tolerant remedia. 236.9
Limacum carnes 364.12
Linamenta 164.1
Lithargyrum nutritum 396.16
Lixiuium ficulneum 407.17
Lolium iuraia Francis dicitur 50.27
Lupia quid 86.36
Lupiæ curatio 94.3
Lupia reæntiorum, Auiennæ glandula, Græcorum ganglion idem uidentur 94.32
Lupus morbus 87.5
Lupus cancer ulceratus dicitur 317.22
Luxatæ partis dolor uitandus & inflammatio arcenda 350.34
Luxatio cum fractura ſine ulcere 352.37
Luxatio cum fractura & ulcere 353.1
Luxatio peſſima 347.30
Luxatio quid 344.9
Luxationum cauſæ 346.33
Luxationum curandarum ſumma 352.16
Luxationum curatio, & eius præcipua indicatio 349.14
Luxationum generalis diuiſio 345.1
Luxationum ſigna 347.5
Agnes 464.9
Magnum & paruum in uulneribus quomodo accipiendum 398.10
Μαλακτικὰ 369.11
Malactica quatenus à pepticis differunt 375.20
Malacticῶν applicandi modus 370.22
Malagmata quomodo conſinguntur 370.25
Malicorium 288.4
Malum terræ 288.8
Malũ punicum ulceri inflammato utile 275.9
Mamma 276.26
Marciaton frig. doloribus conuenit 410.23
Marginem nonnulli ſubluxationem nominant 344.17
Materia fiens in tumoribus & facta quæ ſit 13.35
Matricis uulnera 134.23
Maturantia 39.3
Maxilla inferior ſolùm luxatur in anteriorem

teriorẽ partem 345.26
Maxilla,iugulum,ſcapula, os tali,calx,manus,planta fracta inter decimũ quartũ et uigeſimũ primũ diẽ coeunt 324.1
Maxilla ſuperior immobilis in omni animante excepto crocodilo 345.25
Medicam ẽta acrimoniam lotiõe deponunt 245.16
Medicamenta καθαρτικὰ ulcerum,deterge ant modiæ & ſicant 282.33
Medicamẽta hyperſarcoſin tollẽtia 276.10
Medicamenta ignis uires habentia 66.14
Medicamenta quare uaria miſcentur 375.29
Medicamentũ unum idemque non eſt conueniens oĩbus corporibus 284.35
Medicum prudentem eſſe conuenit in uictu inſtituendo 172.22
Medicus præſentiens de longinquo obuiam it malis 166.9
Medullæ & adipes quando acrimoniam cõtrahunt 363.8
Medulla panis 173.35
Medulla recens laxat,uetus diſcutit. 367.23
Medullarũ natura & ordines 371.26
Medulla taurina ob acredinem non emollit 371.30
Μέγα uulnus 398.12
Mel anacardinum 403.28
Melancholia fit ex ſanguine et pituita ſuperæ lefactis in corpore 104.24
Melancholiæ differentiæ 103.25
Melancholicus humor in cancro quomodo uacuandus 116.16
Meliceria 263.23
Meliaridas,atheromata, ſteatomata exedentia 102.10
Melicerides ſub quo genere tumorum contineantur 6.29
Meliceridis curatio 101.24
Meliceris 87.29
Melligo uuæ paſſæ 376.37
Mentagra 11.17
Meſuæ laus 190.10
Metallica elota morſum demittunt,ſed minus ſicant 287.12
Metallica quomodo tenuiora fiunt 364.31
Μεταυγαστικὰ 402.20
Miſy 286.38
Modice ſiccantia metalla 286.19
Mollientium particularis materia 370.15
Morbilli 10.32:& 64.20
Morbis extremis extrema competunt remedia 315.7
Morborũ uerus curator quis 128.1
Morphea 8.33:& 9.17
Morſus animalium duplici conſtat differentia 217.12
Morſus an ſit factus à cane rabido,quomodo probetur ex Oribaſio 219.35
Morſus hois quando uirulentus 217.25
Morſus omnis uirulenti gemina curandi indicatio 221.16
Morſus uirulenti ſigna 218.20
Morſus uirulentos quæ animalia inferant 217.14
Mortificatio alicuius partis quid 32.36
Mortificationis cauſæ 49.4
Mortuus ſanguis quis 216.2
Μότοι 229.26:& 231.38
Myrmeciæ 7.23:67.27
Myrmeciæ educi quomodo debent 70.6
Myrmecijs conuenientia 69.5
Myrrha oſſa nudata carne ueſtit 250.17
Myrrhis 170.4
Ναρκοτικὰ 408.36:& 410.27
Narium fractura mala 224.15
Nata tumor 7.1:& 88.26
Νάρθηκες 333:36
Naturaliter ſe habentia ſui cuſtodia,perſimilia indicant:contra naturam uerò ablationẽ ſui per contraria 203.19:& 204.35
Neruaceæ partes læduntur frigido 412.34:& 236.7
Nerui,arteriæ,uenæ diuiſæ aliquando coalẽſcunt 139.16
Nerui cæſim uulnerati conſideratio & curationis ſcopi 241.25
Nerui cõtuſi aut illæſa curatio 247.8
Nerui & tendonis punctura 135.27
Nerui puncti curatio 236.38
Nerui uulnerati & nudati curatio 245.6
Nerui uulnerati ſigna 235.12
Neruo contuſo una cum cute quæ adhibenda 246.35
Neruoſarũ partiũ uulnerũ curatio 236.26
Neruoſarũ partiũ uulne. differentiæ 234.31

Neruus punctus quando præadẽdus 174.17
Nitri loco quæ ponũtur 362.37:& 377.13
Nodi Auicennæ 6.23:& 87.9
Νομὴ ulcus quod dicatur 266.16
Nomina apud Barbaros non attendenda, ſed rerum deſcriptiones 10.27
Nominibus parum fidendum propter diuerſum uſum eorũ apud autores 9.20
Notæ tumorum præter naturam uniuerſales 17.15

Oculus populi 360.3
Oedema Barbari Vndimiã uocãt 5,22
Oedema maturantia 76.26
Oedema non uerum 82.31
Oedema quid 71.1
Oedematis cauſæ tres 72.24
Oedematis curandi ſcopus duplex 73.8
Oedematis curationis capita generalia 77.19
Oedematis ſigna 72.29
Oenoſtagma ſiccat,& putredinem prohibet 383.26
Oeſophagi uulnera 134.11
Olea anodyna 409.1
Olea compoſita reſoluentia 368.3
Olea ectylotica 405.14
Olea rarefãcientia 367.5
Olea trahentia 364.32
Oleorum uitia 360.9
Oleum cum ſale digerit 73.34
Oleũ è ſambuco & ebulo quid faciat 367.36
Oleum ex uitellis ouorum 240.8
Oleum Sabinum 239.31
Oleum terebinthinum 410.1
Oleum uitioſum quo eluatur 360.12
Ὀμφάλωσις 61.2:& 376.9
Omphacum 359.24
Omphacinum oleum 360.6
Oppilantia alias leniunt dolorem, alias acrimoniam hebetant 359.10
Oræ diſtantes uulneris trifariam in idem adducuntur 157.8
Ordo tractandorum in hoc libro 23.21
Os adiutorij 248.26
Os corruptum quomodo tractandũ 415.7
Os fractũ qualiter collocandum 416.32
Oſſa luxantur quatuor modis 341.19
Oſſa nudata quomõ carne integũtur 388.7
Oſſe fracto quæ intenſiones præcipuè adſunt 416.10
Oſſe fracto quomodo turunda uulneri applicanda 250.9
Oſſe maiore fracto ſi medulla exeat periculoſum 248.25
Oſſe nudato eryſipelas malum 248.15
Oſſibus fractis atque luxatis iniitio prohibenda fluxio, dolor, inflammatio 416.7
Oſſis caries altè deſcendens qualiter tractanda 280.30
Oſſis cauitas impleri non poteſt 250.5
Oſſis fracti rectè commiſſi ſigna 324.24
Oſſis fracti & ſua ſede moti ſigna 328.13
Oſſis fracti reponẽdi modus p funes 327.10
Oſſis fracti repoſiti ſigna 327.15
Oſſis fracti repoſitio per tenſionẽ 416.11
Oſſis fracti ſanationem ælerem aut tardã faciũt, tẽperamentũ, ambiẽs aër &c. 324.6
Oſſis uitiati notæ 280.1
Oſſis uulnus quod 247.28
Oſſium abſceſſus incarnantia 416.1
Oſſium affectus 414.20
Oſſium glutinandorũ quatuor ſcopi 249.20
Oſſium uitijs æleriter medicandũ 414.16
Oſtracodermorum piſcium teſtæ crematæ & lotæ ſiccant citra roſionem 287.37
Oſtrea uiua quid faciant 364.15
Oxycraton 36.24
Oxyrhodini facultas 73.34

Panalibes ad diuerſa mala utile 418.36
Panis ſordidus 171.14
Papulæ 64.26
Papulæ duplices Celſo 11.4
Paralyſis quid 186.7
Paralyſeos curatio ex medicamentis forinſecus admotis & tantùm ad chirurgicum pertinentibus 190.1
Paraarthrema 344.19
Παρηγορικὰ quæ 408.25
Parochetenſis 227.17
Parotidibus conueniens medicamentum optimum 365.17
Pars languida quãdo confirmanda 366.32
Paſtilli Fauſtiani 276.24
Πελιδνὸς à pleriſq; fuſcus color in corpore dicitur 106.7
Peniallæ 164.1
Περιπλοκὰ 375.5
Pepticorum utendi modus 378.6
Περικτικα quo in uſum ueniunt 367.31

Periodi ſiue paroxiſmi tumorum, humorum ex quibus conflantur ſequuntur analogiam 18.22
Περόνη 248.27
Pes columbinus 170.6
Pes fractus ſexaginta diebus ſi quieſcat, conſaneſcit 324.4
Phagedæna 55.33:& 266.19
Phlegma aquoſum, temie, flatuoſum quod 71.28
Phlegmatiarũ excreſcentiarũ curatio 91.20
Phlegmonarũ genus tumores qui referũt 6.5
Phlegmone quid 24.5
Phlegmones duplex acæptio 30.30
Phlegmones cauſæ tres 31.36
Phlegmones notæ 32.14
Phlegmones curatio 28.13
Phlegmones curãdæ quatuor intentiones particulares 34.17
Phlegmones ex humorũ influxu factæ ſummæ curationis capita 42.4
Phlehmones ſymptomata 32.32
Phlegmones ſymptomatum curatio 40.6
Phlegmones tempora ſunt 4. 32.22
Phlogoſis 30.34
Phlyctenæ unde 82.25
Phœnigmi uſus 402.16
Phœnigmus quãdo adhibendus,& eius materia 403.15
Picati uſus apud ueteres 417.25
Πίτυρα quæ 402.11
Πιττώτα quæ 402.11
Pituitæ eruptiones 64.26
Pituitam ducẽtia per aluum 92.10
Pituita quid 71.18
Pituitoſorum abſceſſuum cauſæ 89.25
Pituitoſorum abſceſſuum particularis curatio 93.10
Pituitoſorum tumorum materia 89.30
Pituitoſum tumorum genus qui tumores referant 6.21
Pix peptica quomodo fit 376.17
Plagarum differentia 122.1
Planta noctis 10.10
Plantago epulotica eſt 396.9
Platyſma quid 290.27
Plethora quid 24.34
Plethoræ curatio 24.36
Plumaceoli qui ſint 163.10
Plumbi lamina epulotica eſt 395.17
Plumbi recrementum 287.27
Plumbi uis in cancroſis 118.19
Plumbum uſtum 287.27
Podagricis quouis tempore conueniens remedium 373.38
Pollen eſt farina uolatilis molẽdini 162.5
Polyidæ ſphragis 48.4
Polyidæ paſtillus 48.9
Porra Gallis uerrucæ dicũtur 7.21:& 67.
Porraæa bilis 55.5 (22
Poſca uel puſca quid 66.21:& 75.19 & 297.5
Poſca inflãmato ulceri utilis 275.4
Πῶρος 325.29
Pœrus ſarcoides 139.5:& 248.12
Pœri generatio 334.31
Pœro gignendo uictus ratio conueniẽs 335.5:& 418.4
Πωρωλικὰ quæ 417.37
Pœrolytica quæ 340.4
Pœrus quomodo augeatur & minuatur pro neæßitate 339.7
Prægreſſæ cauſæ 14.9
Προκαταρκτικὴ cauſa 15.37
Propolis quid 362.24
Propulſoriũ fœmina et propulſoriũ mas 156
Pſoricũ quo paretur ad trahendũ 364.25
Pſydraces 10.28
Pſylli populi Italiæ 46.27
Pſœra 8.29
Πτύσματα 402.22
Pulmonis uulnera 133.37
Puluilli quomodo fiunt 163.10
Puluillus quid 294.27
Puluis Auic. ſiſtens ſanguinem 233.31
Puluis ruber 400.31
Pumicis præparatio 389.33
Purgatio neceſſar. interdũ uulneratis 165.22
Purgatio in uulneratis quãdo adhibẽda 168.8
Pus album, lene,& æquale quo fit 375.11
Puris generatio unde 264.4
Pus optimũ quod 21.32:& 265.10
Pus mouentia 39.3
Puſtulæ 3.36:& 7.35
Puſtulæ unde 15.9
Puſtulæ corroſiuæ 55.35:& 62.26
Putrefactæ particulæ aliquius ſuppurantis auratio 41.32

Putrescentia calido et humido constant 275. 23.
Putridis medicamentum conueniens 50.25
Πύος 263.31
Πυρετικὰ 402.9
Pyulcus quomodo trahit 364.20
Quæ auferri non possunt transferuntur in loam alium 28.1
Quies optimũ medicamẽtũ uulneratis 171.22
Radix uasis quæ sit 159. 16
Ραφανίδος fractura 326.6
Rectorum uulnerum labra quomodo adducũtur 398.27
Refrigerantia erysipelas 60.10
Refrigerantia uehementer 359.32
Renum uulnera 134.23
Repellentium distinctio 25.31
Repellentiũ usus 357.27
Repellentium natura alia Arabibus, alia Græcis 358.8
Repellere ubi non conuenit 359.6
Repositio fracti membri apta 331 33
Reprimentia siue repellentia quæ sint 65. 23
Repurgantium ulcera materia 385. 5
Res non naturales 34. 26
Resolutionis tumorum indicia 19. 33
Resoluentium canon generalis iuxta diuersa tempora morbi 26.33
Resoluentium uis qualiter considerãda 366. 10
Reuulsio 227. 16
Rhegma 213. 13
Ῥεῦμα 12.32
Rheumatismi quando plurimum mouentur 357.27
Rosacum oleum 360.4
Rostrum porcinum instrumentum appellatum ad euellenda tela 153
Rubi fructus & flores 159 25
Rupta uasa quomoda deliganda 411.32
Sagittæ & tela quomodo extrahantur. 145.2
Saire 10.7
Sambacino oleo utimur pro sabino 111. 20
Sanies quid 202.21 & 263.18
Sanies mala 265.18
Sandaracha 276.29
Sansa quid 383. 36
Sãguinis fluxuri supprimẽdi modus 231.27
Sanguinis in uulneratis mittendi quantitas 167.5
Sanguinis in uulneribus mittendi scopi 166. 29 & 174.10
Sanguinis missio in conuulsis 182.34
Sanguinis profusionis ex uulnere differentiæ 225.34
Sanguinis profusionis curatio 226.36
Sanguinis sistendi modus per ustionem & escharam 230.25
Sãguinis supprimendi præcepta aliquot 231 32
Sanguis naturæ thesaurus 226. 28
Sanguis quid & quotuplex 31.5
Sarcocolla 287.24
Sarcothlasma 213. 15
Sarcotica qualia sint 387.31
Sarcoticorum facultas 333.23
Sarcoticorum uendi modus 392.12
Sarmentorum aqua 69.14
Scabies 8.30
Scabiei conueniens med. 410.20
Scabiosa 47. 10
Scamonij sucus Dacrydiõ dicitur 58.31
Σχᾶται uerbo quid uoluerit Hippocrates 345.29
Schidaidon facta fractura 319.36
Scirrhi desperati signa 369. 38
Scirrhi legitimi causæ 105.36
Scirrhi legitimi notæ 106.17
Scirrhi legitimi siue scirrhosi tumoris curatio 106.30
Scirrhi illegitimi generatio 109.18
Scirrhi non exquisiti curatio 190.16
Scirrhi emolliendi modus & ratio 372.5
Σκλῆρος græcè, latinè durities, Arabicè Sephiros dicitur. 5.24 & 105.15
Scirrhorum differentiæ ex mixtione humorum, ortorum 105.22
Scirrhosi tumores & qui ad atram bilẽ spectant 7.9 & 103.11
Scirrhosis 109. 23
Scirrhosorum tumorum curationis caput 112.9
Scirrhus hepatis quomodo tractari ualet 370.30
Scirrhus uerus ac legitimus unde fiat 105 14

Sclirotica durities 33.1
Scolôdes ulcus 267.15
Scolopomacherion 70.16
Scopuli 10.34
Σκωρία μολύβδου quid 287.28
Scorpio utrus quod infixit retrahit 364.16
Scrofulæ 7.4: & 86.19
Sebum coquit, laxat, mollit 37.32
Sectionum ſiue aperiõnum ſuppurati abſceſſus ſeptem regulæ 29.14
Sedantia dolores tripliciꝫ genere 408.26
Selaa 6.24
Sephiros Arabum quid 105.14
Septica Arabum 407.25
Septica & eorum poteſtas 404.5
Seroſorum tumorum cauſæ 82.37
Sere 10.7
Serpentinum inſtrumentum ad euellenda tela 253
Sertula campana 317.15
Siccãtia quatenus uulnera requirũt 202.24
Siccantium medicamentorum in uulneribus adrandis gradus 207.22
Siccũ ſano uicinꝰ, humidũ nõ ſano 198.26
Sigillum lemnium 286.20
Simæ ferulæ 333.24
Sinapiſmorum uſus 402.16
Sinapiſmorum materia & præparandi modus 403.4
Sinus Gal. quid dicatur 306.15
Sinus quid, & eius differentiæ multiplices 298.11
Sinuum curandorum ſanationis ordo 300.21
Sinus curatio nondum calloſi 292.26
Sinus qualitas unde deprehẽditur 299. 6
Siræon quid 376.27
Situs partis uulneratæ 232.16
Solani radix laudatur in ſedando uulnerum dolore 173.31
Solanum 359.24
Solutæ unitatis ſpecies apud Auicen. 121.25
Sordes quid 202.22: & 263.34: et 264.31
Sordida ulcera quos affectus ſequuntur 296.25
Sordidi ulceris propria curatio 296.35
Sori 286.38
Spasmadrapti uſus 351.31. & eius deſcriptio 420.20
Spaſmi curandi primum ac commune præceptum 181.5
Spaſmi ſigna 179.26
Spaſmus alius uniuerſalis, alius partialaris 178.34
Spaſmus omnis aut eſt à repletione aut inanitione 176.12
Spaſmus ex uulnere lethalis, quomodo interpretandum 135.37
Spaſmus ex ſiccitate abſoluta incurabilis 180.21
Spaſmus quid 175.27
Sphacelos 31.34: & 48.26: & 411.1
Sphacelus à gangræna differt 48.36
Sphacli ex gangræna creati extirpatio 50.5
Spicula extrahentia 364.13: & 362.38: & 152.7
Spiculorum diſcrimina 145.22
Spinacum & ſpinarguni 171.11:
Spina dorſi quid et quibꝰ aſſimilatur 190.26
Spinam, Auicenna exquiſitum eryſipelas nominauit 54.5
Spinas, oſſicula, uitri fragmenta, ſuraulos extrahentia 152.7
Splenia quæ ſint 294.23
Splenia unde dicta 330.29
Splenium magnitudo & applicandi modus 415.35
Squammas in oſſe fracto detrahẽtia 415.29
Status in tumoribus præter naturam 18.32
Steatoma 87.37
Στεατώματα ſub quo genere tumorum cõtineantur 6.29
Steatomatis curatio 101.24
Steras bubulum 69.18
Steras pueri calidum eſt, pepticum 377.9
Stibi uel ſtibium 287.3
Στίμμι 287.3
Stomachus 185.17
Stomoma 287.29
Strumæ quid 7.6: & 86.29
Strumarum inter ſeſe differentiæ 90.37
Strumas diuino quodã numine Galliarũ reges ſanare ſolo tactu 93.1
Strumas quoque rex Angliæ ſanat ſed per hymnos & cæremonias 93.7
Strumas detergentia 98.11
Strumas incidendi modus 98.21
Strumas maturantia 97.37

Strumosis affectibus quæ medicamenta conducant 91.18
Stupidum quando crus euadit ex suppurationis præcisione 379.26
Succorum uitium in ulceratis quomodo corrigatur 271.32
Succorum usus 360.17
Suctus quæ eliãat 364.19
Sudamina 10.9
Suendi uulneris ratio 161.1
Sugillata quæ 213.36
Sugillatis remediũ conueniens 368.8
Sulphur 363.13
Sumach. 66.3
Suppurantium natura 375.2
Suppurantibus quando utẽdum 374.34
Suppurationis tumorum indicia 19.34
Sutor malus unico calopodio omnes calceat 206.12
Suturæ remouẽdæ tempus et modus 163.1
Sutura in quibus partibus conueniat 398.37
Suturis quando opus est 157.16
Syderatio oßium 48.31
Συμφυτικὰ quæ 397.12
Symphynum 170.6: & 397.5
Symptomata phlegmones 40.8
Symptomatum correctio in uulneribus 173.1
Syncope quid, & eius mſtantis notæ 191.26
Syrion quid 376.27

T
Talpa 6.38: & 88.16
Tarseam 68.24
Telephia ulcera 281.30
Tela quæ nostris corporibus infiguntur quibus differunt 145.15
Telis extrahendis octo instrumenta accommoda 146.11
Telorũ extrahẽdorũ modus duplex 146.35
Telorum extrahẽdorũ obseruatiões 147.4
Tempora tumorum præter naturã à tribus potißimum discrimen assumunt 19.1
Tensionem facientia 226.13
Tensio quomodo & quanta faciẽda, ut os fractum reducatur 326.31
Tenta 163.37: & 299.2
Tentæ annuleæ 164.36
Terebra directa ad amplianda ossa quibus tela inhærent 155
Terminationes tumorũ præter naturam quæ meliores 19.9
Terra sigillata 286.21
Testudo 6.37: & 88.5
Tetrapharmacum 27.19
Tetrapharmaco thus additum facit Macedonicum 377.25
Tetrapharmaci natura 391.30
Tetrapharmacum est suppuratoriũ 275.27
Theodorici et Henrici error in diæta imperanda 172.1
Theriaca datur contra carbunculos 47.29
Theriaca purgat, incarnat & cicatricem induit 391.21
Thlasma 213.15
Thoracis uitia per quas uias purgantur 382.27
Thorax læditur frigido 412.33
Thrombos quid 229.25: & 331.36
Tophis articulorum cõuenientia 367.25
Topica non sint dura neq; grauia 360.22
Toto genere præter naturam per chirurgiã amouenda 27.22
Trachææ arteriæ uulnera 134.6
Τραυματικὰ quæ 397.12
Trigener 391.10
Tritiam oræ præmansum pepticum est 375.34
Trochiscã de arsenico 407.3
Tubulus 148.27
Tumor crudus quis Hippocrati intelligatur 235.37
Tumores à bile creati 53.21
Tumores præapui quatuor qui ex influxione fiunt 6.1: & 15.3
Tumores præter naturam in tria genera diuiduntur 3.32
Tumores de repente detumescentes malũ portendunt 130.9: & 235.25
Tumores præter naturam quatuor modis terminantur 19.8
Tumoribus curandis quæ obseruare oportet 33.3
Tumorum accidentia 4.27
Tumorum differẽtiæ à quibus sumãtur 4.6
Tumorum præter naturam quatuor sunt tẽpora 18.26
Tumorum præter naturam ex pituita octo

differẽ-

differentiæ 72.5
Turundæ 164.1 & earum uſus 28
Tuſsum 68.24
Τύλλοι 7.30: & 68.27
Thymion 7.25: & 68.15
Vacuatio à toto fit dupliciter 182.32
Vacuatio duplex tumorum præter naturam 59.25
Vacuatio humoris in parte aliqua influxi 36.3
Vari 9.33
Varices quæ 267.23
Varicibus cõuenit deligatura expulſoria 159 23
Variam curationes 278.3
Varicũ cum bulæ re complicatarum curatio 277.35
Variolæ 10.32: & 64.23
Vaſis oſculum fundentis ſanguinem quomodo obſtruatur 229.24
Vaſorum radix quæ 230.17
Venæ ſecãdæ electio unde indicatur 35.21
Venæ ſiue arteriæ maſæ ſignum 226.22
Vena media duplex 167.14
Venarum & arteriarum uulnera an ſint ſuenda 229.2
Venenata uulnera qui autores tractarũt præcipue 217.2
Venenatis morſibus remedium 368.11
Venenũ quo exugatur ex uulneriũ 151.33
Ventriculi uulnera 134.22
Ventus meridionalis ulceribus noæt 270.12
Vermes aurium quæ eneant 179.20
Vermes unde naſcantur in ulceribus & quomodo arceantur 279.16
Verrucæ 7.20. & earum diuerſa genera 67.25
Verrucarum curatio & iudicia 68.30
Verrucarum diuerſæ curandi rationes 69.30
Vertebrarum ſpinæ luxationes 346.4
Veſicæ uulnera 134.23
Vibices 213.38
Victus bona ratio præſcribenda ſtatim uulneratis 165.23
Victus ratio uulneratorum 170.31
Vigiliæ conuulſionem ex ſicc̃itate augẽt 182 14
Vinaulorum materia in uaſis diuiſis 99.29
Vini natura 366.37
Vinum 359.38
Vinum quando & quare conuulſis interdicendum 184.35
Vini nigri auſteri uſus & eius facultas in uulneribus 398.34
Vires non ſemper i ægris augendæ 172.12
Virgalis fractura 319.35
Viride æris 286.34
Virus 263.34: & 264.27
Virus ſua natura ad cor ſerpit & eius deſtructionem appetit 218.6
Virus ejaculatum in morſu uacuantia 221. 20
Vitellina bilis 55.4
Vitia corporum neque eloquentia neq; barbariſmo abiguntur 357.15
Vitiligo quid 9.10
Vitiligmis nomine alphon & leucam comprehendit Celſus 9.6
Vlcera dyſepulota quæ 281.24
Vlcera inſanabilia ſunt quibus os corruptum ſubeſt 263.1
Vlcera maligna à quibus humoribus excitentur 293.2
Vlcera quibus abluenda 383.17
Vlceribus ſanandis tria ſummè conuenientia enumerat 294.35
Vlceris am oſſium corruptione complicati ratio 280.4
Vlcerum cauſæ geminæ 261.31
Vlcerum curatio in uniuerſum 270.23
Vlcerum curationis una præcipua indicatio eſt medicoris ſicatio 66.10: & 270. 34: & 277.16
Vlcerum differentiæ 253.11
Vlcerum differentiæ à quibus potiſsimum ſumantur 259.7
Vlcerum differentiæ ueræ unde ſumantur 260.15
Vlcerum generalis diuiſio 253.1
Vlcerum ſigna & iudicia 265.32
Vlcus & uulnus differunt 258.12
Vlcus quid uulgo chirurgis 257.13
Vlcus quomodo detergendum 295.11
Vlcus ſimplex quod 260.16
Vlmi folijs incluſa aqua ad quæ utilis 399. 24
Vomica aperienda ferro etiamſi nondum ſatis maturuit 378.29

INDEX

Vomicæ aperiendæ ratio 380.4
Vomicæ aperiendæ loeus uulneri quis aptißimus 380.26
Vomicarum aperiendarum cautiões 382.7
Vomicas aperientia medicamenta 381.13
Vomitus in uulneribus utilis 169.1
Vox perit quibus ſpinæ pars quæ in ceruice eſt afficitur 187.29
Vnico calopodio omnes calcare 206.13
Vnio in quibus partibus poßibilis, & in quibus non 138.32
Vnitatis ſolutæ cauſæ uniuerſales 128. 16
Vnitates ſolutæ curandi communis indicatio 141.23
Vnitatis ſolutæ nomina ac differẽtiæ ex Gal. 121.7: & 126.1
Vnitatis ſolutæ ſpecies uariæ 125. 34
Vniuerſalia manifeſtiora ſunt nobis quã partialaria 17.36
Vnguentum Aegyptiacum 46.10: & 50 34: & 276.34
Vnguentum album Raſis epulotiacum 396.4
Vnguentum album communitatis 396.1
Vnguentum Agrippa conuenit in frigidis doloribus 410.23
Vnguentum apoſtolorum & eius uirtus 387. 2
Vnguentum baſilicon 38.9
Vnguentum diachylon 38.9
Vnguentum ex uermibus 242.14
Vnguentum gloriæ 401.26
Vnguentum optimum maligna ulcera ad cicatricem perducens 288.26
Vnguentum Rogerij Jpaſmo conueniens corpore prius repurgato 183.34
Vrendi & redigendi in cinerem medicamenta, modus 389.15
Vrendorum metallicorum ratio 392.34
Vrinam dentia in pituitoſis affectibus 92.19
Vſnea quid 76.22
Vſtio expeditißimum remedium ad morſus uirulentos 224.23
Vſtionem qui non ferunt debent uti medicamẽtis ignis uim habentibus 295.36
Vſtionis utilitas in oſſe carioſo 281.2
Vulnera cacochimhe 166. 25
Vulnerantia 226.10
Vulnera praua quæ 130.18
Vulneratorum uictus ratio 170. 31
Vulnera triplici ratione magna æſtimanda 129.22: & 166.22
Vulnera tutiſſima & curationem facilem habentia 136.18: & 141.16
Vulneribus quæ nocent omnia fere ſanguinis uitio commouentur 410. 35
Vulneris in uena curatio 234.9
Vulneris pars quæ ſuperior & quæ inferior 159.14
Vulnerum cauſæ 128.13
Vulnerum cruentorum differentiæ à tribus potißimum ſumuntur 122.5: & 126. 23
Vulnerum curandorum intentiones 141. 32
Vulnerum curandorum diuerſæ occaſiones ex temperamento uulnerati naſcitur 165. 30
Vulnerum differentiæ extrinſecas accedentes. 123. 33
Vulnerum generalis diuiſio 121.1
Vulnerum iudicia ex Celſo quæ periculoſa & quæ tutiora 141.1
Vulnerum labia quomodo adducẽda 397.32
Vulnerum ſigna & iudicia 129. 15
Vulnus cruentum quomodo primo tractandum 398. 15
Vulnus degenerans in bulcus quomodo curandum 175.11
Vulnus & bulcus pro eodem 126.13: & 257.14
Vulnus nudum quomodo tractandum 397. 28
Vulnus quid 125.11: & 194.9
Vulnus quot modis fiat cum deperditione ſubſtantiæ 194.24
Vulnus recens qualiter curatur 304.1
Vulnus ſimplex quod 195.29
Vulnus ſimplex quomodo committitur 157. 10
Vulnus unà cum fractura quomodo curetur. 336.16
Vuluas mollines med. 376.27
Z
Zambana 399. 16
Zegi 286.27

FINIS.

Generalis, & compendiaria Chirvrgi institvtio, facili & artificiosa methodo tradita.

Duo in chirurgo desideran tur.

IN perito ac rationali Chirurgo, duo potissimum desiderantur.

1 Exacta cognitio eius partis tertiæ, therapeutices medicinæ: quæ, quia manu medetur, χειρουργικὴ Græcis nominatur.

2 Peritia, ac solers promptitudo, seu prompta quædam dexteritas, exequendi ea omnia, quæ ad affectus Chirurgiæ subiectos attinent

Quatuor ad chirurgiæ cognitionem necessaria.

1 Vt exactè cognoscatur scientia siue ars, quæ Chirurgica dicitur, scire oportet.

(1) Quid sit Chirurgia.

(2) Quæ sit subiecta Chirurgiæ materia, subiectum attributionis nominant.

(3) Quis sit finis Chirurgiæ.

(4) Quis ordo seruandus sit, in addiscenda Chirurgia; seu quis sit modus procedẽdi in discenda chirurgia.

2 Vt peritè, promptè, ac dexterè exequatur Chirurgus, quæ ad artem quá exercet, pertinent: eũ cognoscere oportet,

[1] Quod nam sit hominis chirurgici officium, hoc est, quas nam operationes in vniuersum chirurgicus exercere debeat in humano corpore.

[2] Quomodo manuales suas operationes hic artifex exequi debeat.

[3] Methodum, ac media, quibus deuenire possit in cognitiones singularum operatiõum, quas exercere debet in humanis corporibus.

Quib⁹ cognoscatur quid chirurgia.

[4] Conditiones requisitas vt probè fiant huiusmodi manuum operationes.

(1) Porro cognoscimus quid sit chirurgia, per Rationem nominis, quam etymologiam Græci uocant. Diuisionem, quæ & partitio dicitur, ac distributio, diductioue, Definitionẽ: quæ oratio est, eius ipsius quod definitur naturam breuiter & apertè ostendens atque explicans.

Ratio nominis.

Chirurgia, quod ad rationẽ nominis attinet, Idem sonat quod manuum operatio. Dicta enĩ est ἀπὸ τῆς χειρὸς καὶ τοῦ ἔργου, id est, à manu & opere, vel ἀπὸ τῆς ἐργίας, id est, ab operatione. Siquidẽ hęc ars manuum opere exercetur. Hinc chriurgus & chirurgicus, manualis operator, χειρουργὸς enĩ quasi χειρέργος, et χειρουργία quasi χειρεργία dicitur.

Est igitur chirurgia, si nominis rationem spectes, manualis operatio, vel ars quæ docet rectum vsum operationũ, quæ in humano corpore manu exercentur.

Diuisio chirurgiæ duplex.

Chirurgia bifariam diuiditur: Nempe in suas Significationes diuersas.

Par-

Partes.

Diuiſio chirurgię in diuerſas ſignificationes.

Prima,
Secunda.

Prima diuiſio chirurgiæ in diuerſas ſignificationes.

Chirurgia generaliter accepta.
Chirurgia ſpeciatim ſumpta.

Chirurgia generatim accepta & conſiderata, eſt — Varię definitiões chirurgiæ.

Ars quæ manus opera, morbos, & eorum ſymptωmata profligat.

Chirurgia verò preſſiore vocabulo, ac ſpecialiter ſumpta, eſt

Tertium therapeutices id eſt facultatis curãdi, ſeu medicinæ curatricis inſtrumentum, vel ſi mauis, pars tertia therapeutices quę morbis medetur incidẽdo, vrendo, artus luxatos, & oſſa ſuis ſedibus mota in natiuum locum reducendo, atque id genus alio conatu chirurgico, & manuũ artificio.

Sed aliter quoque, ab omnibus ferè recẽtioribus tum medicis, tum chirurgis definitur, Nempe hoc modo, — Hęc diffinitio communiter ſolet chirurgię aſſignari, & eſſentialis noïari.

Chirurgia, eſt ſcientia, quæ docet modum & qualitatem operandi, præſertim adglutinando ſeu conſolidando, incidendo, & alias id genus, quæ manu fiũt, operationes exercendo: Homines quatenus licet ſanitati reſtituens.

In Introductorio verò medicorum hoc pacto diffinitur: — Alia definitio.

Chirurgia eſt alieni, vt propriè vocant, per diuiſiones compoſitionesq; cum via quadam & ratione ablatio: adhæc vulnerum atque vlcerum humano corpori accidentium curatio.

Nos autem ex ipſius ſubiecto & fine) ex quibus finitio omnis ſuſcipitur) breuem, apertam & eſſentialem ſic illi nunc definitionem accommodamus:

Chirurgia, eſt ars, quæ ad humani corporis (cuius præcipuè curam habet) aduerſam valetudinem, manus præſertim opera & adminiſtratione, profligãdam, comparata eſt. vel ſic, — Propria & eſſentialis chirurgiæ definitio.

Chirurgia eſt ars, quæ præcipuè manus opera & artificio, corporis humani morbos ac vitia propellit.

Secunda diuiſio chirurgiæ, quantum ad illius ſignificata attinet, cõmuniter talis ſolet aſſignari. — Secunda diuiſio chirurgiæ in ſua ſignificata.

Chirurgia theorica,
Chirurgia practica.

Chirurgia theorica eſt

Quæ docet, & ſcientia dicitur. — Scientia.

Hæc enim per demonſtrationẽ acquiritur, & per cognitionem principiorum artis. Hãc autem quis habere poteſt, tametſi nulla vnquam artis opera exercuerit, vt peritus medicus, qui ad vnguem tenet præceptiones artis chirurgię.

Chirurgia practica, ea eſt

Quæ per ſcientiam & rationẽ inuenta ſũt, manuali opera rectè ac promptè nouit perficere. Et hæc inter artes mechanicas adnumeratur. In qua quidem — Ars.

nemo vnquam abſolutus eſſe poteſt, niſi qui in ea frequenter ſe exercuerit, & alios artis huius peritos, ſæpiſſimè viderit operari, ac quæ viderit, diligenter obſeruarit. Hanc nonnulli vſualem etiam appellarunt.

Diuiſio chirurgiæ non ſuas partes.

Diuiſio chirurgiæ in ſuas partes,
Generales,
Speciales.

Chirurgia quantum ad illius partes generales, gemina eſt.
1 Exercens operationes in membris, ſeu particulis mollioribus.
2 Exercens operationes in particulis durioribus.

Partes chirurgiæ ſpeciales, ſunt ſcientia quæ docet recta cum ratione operari, circa.
Tumores præter naturam
Plagas, ſeu vulnera [adhuc cruenta.]
Vlcera
Fracturas
Luxationes, ſeu diſlocationes
Et circa alia id genus, quæ manus operam deſiderant.

Subiecta chirurgiæ materia.

(2) Subiectũ attributionis chirurgię, id eſt, id quod maximè ac præcipuè cõſideratur in ſcientia chirurgica, & circa quod tota eius verſatur intentio, eſt
Corpus humanũ ſanitati & ægritudini obnoxiũ, manus operã expoſtulãs: oĩa enim quæ ratione perluſtrat chirurgia, & manu facere docet, ad ipſius vtilitatẽ refert & accommodat, Alia verò ratione conſideratum, ſubiectum eſt alterius ſcientiæ.

Finis ſeu ſcopus chirurgiæ

(3) Finis, ſeu intentio chirurgiæ, eſt,
Manus opera & adminiſtratione, humani corporis morbos curatu poſſibiles profligare: Hunc autem ſcopum non ſemper aſſequitur, vt poſtea dicetur.

Modus procedendi in chirurgia.

(4) Modus procedendi in diſcenda chirurgia, eſt
A communioribus ad particularia, ſiue ab vniuerſalioribus ad minus vniuerſalia.
A rebus notioribus ad obſcuriores, & minus notas, quod & in alijs, ſimiliter diſciplinis obſeruari ſolet.

Hactenus de ijs quæ ad cognitionem chirurgię attinẽt. Nunc de ijs quæ ad eius exequutionem requiruntur: Et primum de operationibus.

Operationes ad ſcopum ſcientiæ chirurgicę aſſequendũ neceſſariæ.

[2] Operationes quas exequi debet chirurgus vt aſſequatur intentionem ſeu ſcopum aut finem, quem ſibi proponit: ſunt tres, Nempe
1 Continuum diuidere, ſeu ſeparare.
2 Diuiſum ſeu diſiunctum coniungere, atque in probam unionem reducere.
3 Superfluum demere.

Continui diuortiũ.

Porro continuum ſeparamus
Incidendo, & excindendo.
Phlebotomando, hoc eſt venam ſecando.
Scarificando.

Diſiun-

Diſiunctum ac diuiſum coniungimus, — Coniũctio diuortii continui.
Vulnera glutinando (ſeu vt dicunt) conſolidando,
Luxata in locum ſuum adducendo:
Fracturas curando.

Superuacaneum adimimus — Superflui ablatio.
Tumores qui præter naturam conſiſtunt, auferendo:
Ganglia, carcinomata, nodos, ſtrumas, myrmecias, & id genus alia radicitus extirpando:
Seroſum humorẽ ex ventre hydropicorum educendo:
Sextum, in manu aut pede, digitum reſecando.

[2] Manuales huiuſmodi operatiões obire atque exequi debet chirurgus — Mod⁹ exercendi manuales operatiões
Citò,
Tutò,
Citra dolorem,
Sine vlla fallacia, aut impoſtura,
Non lucri, aut corradendæ pecuniæ cupiditate, ſed pia quadã erga proximũ affectione.
Sine vanis promiſſionibus de curandis morbis, qui prorſus inexpugnabiles ſunt atque inſanabiles, cuiuſmodi ſunt cancri occulti & exulcerati, vel elephãtiaſis quæ iam inueterauit.

Rurſus vt tuto curet chirurgus, tria ſunt propria, quibus intẽtus ſit oportet.
1 Vnum, primumq;, vt omnino abſolutionem operis conſequatur.
2 Alterum, vt ſi cubi hunc non conſequatur, ſaltem cubantem non lædat. — lib. 14. Metho. 1 med.
3 Tertium, vt vitium non facile reuertatur.

[3] Media quibus chirurgus deueniet in cognitionem eorum quæ illi agenda ſunt, tria ſtatuuntur à Galeno.
1 Prima
2 Secunda } Indicatio.
3 Tertia

1 Prima indicatio (quæ inſinuatio eſt eorum quæ agenda ſunt) ſumpta ex natura rei cuius finis intentio dicitur. — Prima indicatio quid ſit.
Conſeruatio eius quod ſecundum naturam eſt
Expulſio eorum quæ præter naturam ſunt.

Secundum naturam ſunt, — Enumeratio eorum q̃ ſecundũ naturã ſũt.
1 Sanitas, id eſt, affectus ſecundũ naturam ad efficiendum actionem idoneus:
2 Cauſæ ſanitatis.
3 Effectus ſanitatis, id eſt, actiones quæ ſecundum naturam ſunt.
4 Vires, id eſt, natura quæ præſens eſt, et aduerſus morbum certat.
5 Conſuetudo, quæ velut altera eſt natura.
6 Temperatura. Quę omnia ſimilibus conſeruantur

Præter naturam ſunt, — Quæ dicũtur præter naturam
1 Morbus, id eſt, affectus preter naturam per ſe ac primo actionem lædens

2 Morbi

2 Morbi cauſa. Quæ nõ per ſe ac primo, ſed per accidens, ac ſecundo (morbo ſcz interueniente) actionem lædit, & impedit.

lib. de ſympto differ.

3 Symptωma ſpeciatim ſumpto nomine, id eſt, accidens quod morbum ſequitur, velut vmbra corpus.

Hęc autem per contraria expelluntur.

Expulſio morbi (cui proprîè debetur curatio)

Simplicis,

Compoſiti, & implexi.

Expulſio morbi ſimplicis, fit

Per applicationem eius quod morbo contrarium eſt.

Prima indicatio ſumpta à re p̃ter naturã vnde inſinuetur.

Prima igitur indicatio, à re præter naturam ſumptâ, nobis inſinuatur ab ipſa contrarietate, vt

Vnitio	à	ſoluta continuitate.
Refrigeratio	à	caliditate.
Calefactio	à	frigiditate.
Humectatio	à	ſiccitate
Deſiccatio	ab	humiditate
Minutio	â	quantitate excedente
Auctio	à	quantitate minuta
Ablatio	à	numero excedente
Productio	à	numero deficiente
Apertio	ab	obſtructione
Ampliatio	ab	anguſtia
Aſtrictio	ab	ampliatione

Reductio in propriam figuram — à figura mutata

Repoſitio in proprium locum — à poſitu variato, ut membro luxato, inteſtino in ſcrotum delapſo, & ita de aliis.

In morbo cõpoſito q̃ cõſiderãda

In propulſione morbi compoſiti conſiderare oportet

Cuiuſque morbi contrarietatẽ,

Ordinem contrarietatis cuiuſque adplicandæ.

Vt ordo debitus contrarietatis admouendæ ſeruetur, cognoſcere oportet

Quis affectus primum curari debeat.

Affectus qui primum curari debet, is eſt,

Cuius curatio cauſa eſt curationis alterius,

Sine quo, alter curari non poteſt,

Qui magis vrget, & periculoſior eſt.

Secunda indicatio quid inſinuet.

2 Secunda indicatio, eſt, quæ nobis inſinuat an id quò tendimus, et prima poſtulat indicatio, ſperari poſſit. vt

An ſeruare poſſimus quæ ſecundum naturam ſunt.

An quæ præter naturam ſunt, expellere valeamus.

Secunda igitur indicatio, à re ſecundum naturam ſumpta, diſquirit, an

Sanitatis recuperatio ſperanda ſit,

Vires ad vitam ſeruari poſſint,
Cauſæ ſanitatis ſeruari poſſint?
Et ita de cæteris.

A re vero præter naturam ſumpta hæc indicatio ſecunda, in ſinuat, an
Morbi aut ſymptωmatis expulſio, ſperari poſſit,
Cauſis poſſimus præcauere.

Porrò, nos cognoſcimus morbi expulſionem fieri non poſſe
1 Quando morbus ex ſua natura, ſeu eſſentia incurabilis eſt, vt elephantiaſis iam abſoluta, & [vt dicunt] confirmata.
2 Quando laborans renuit auxilia, ad morbi alioqui ex ſe ſanabilis curationẽ neceſſaria, vt exempli gratia, exciſionem in cancro membrum aliquod particulare occupante. Aut in hydrope paracentefim, ideſt, pretuſionẽ, & ita de alijs.
3 Quando curatio morbi nobis propoſiti occaſionem præbet maioris mali: vt ſi malum mortuum (quod vocant) inueteratum, curetur. Aut diuturnę hæmorrhoides omninò tollãtur. Si enim vna ex ijs non ſeruetur, periculum eſt, aquam intercutem [maniam,] vel tabem aduenire.

Modis tribus potiſſimũ cognoſcim° morbum non poſſe propelli, & incurabilem eſſe.

Morbum autem ex ſe, ſiue ex ſua natura incurabilem eſſe deprehendimus, ex læſæ partis
Subſtantia,
Actione,
Vſu,
Situ.

Hipp. aph. 12. lib. 6.

Morbus ex ſua eſſẽtia incurabilis à quib° deprehendatur

Indicatio à ſubſtantia ſumitur, vel

Subſtãtia:

A miſtione in { Calido, Frigido, Humido, Sicco }

A primordio, vnde formata ſit ſubſtantia, & eiuſdem conſiſtentia.

Indicatio à miſtione, in calido, frigido, humido & ſicco,
Aequaliter vitiata — Inſinuat id non poſſe præſtari quo tendimus.
Inæqualiter vitiata — Inſinuat id præſtari poſſe quo tendimus.

Indicatio à primordio, ex quo formata eſt partis ſubſtantia, & eiuſdem conſiſtentia,

A ſubſtantia { Solida læſa — Inſinuat non poſſe præſtari id quo tẽdimus
Carnoſa vitiata
Spiritali oblæſa } Inſinuat id poſſe præſtari quod prima indicatio poſtulat.

Indicatio ſecunda ab actione partis

Actio.

Per quam eſt vita
Sine qua vita eſſe non poteſt } Inſinuat ſi perierit præſtari non poſſe quo tendimus
Per quã melior eſt vita
Per quã cõſeruatur vita } Inſinuat ſi perierit aliquo mõ p̃ſtari poſſe quo tẽdim°, ſz tamẽ noxã ſucceſſu tẽporis maiorẽ futurã.

Indica-

Vſus. **Indicatio ab vſu, ſeu commoditate, ad alterius aſſequutionẽ, à natura inſita**

Partis — Neceſsaria ad vitam — Inſinuat ſi perierit præſtari non poſſe id quò tendimus,

Actiõis — Non neceſsaria ad vitam — Inſinuat ſi perierit præſtari poſse quo tendimus.

Situs. **Indicatio ſecunda à ſitu partis ſumpta**

Ad quã medicamẽta ptingere { Poſsunt — poſse — obtiẽri quod prima ĩdicatio poſtulat, inſinuat. / Nõ poſsũt — nõ poſse — obtiẽri quod prima ĩdicatio poſtulat, inſinuat.

Tertia indicatio. 3. **Tertia indicatio (quæ remedia inuenit quibus aſſequi poſſumus id quod prima indicatio poſtulat, & ſecunda fieri poſſe ſperat) nobis inſinuat.**

† Auxilia oportuna, ad finem quo tendimus, aſsequendum.

* Vſum remediorum conuenientium.

Remedia oportuna, ad finẽ quo tendimus cõſequẽdũ. † **Auxilia conuenientia, quæ & iuſtrumenta dicuntur**

Communia,

Propria.

Remedia cõmunia. **Inſtrumenta ſiue remedia communia dicta, hoc eſt, quæ oĩbus corporis partibus adplicari poſſunt,**

Medicinalia,

Ferrea.

Medicinalia. **Inſtrumenta medicinalia**

Bona viuendi ratio, ſiue (quod aiunt) bonum regimen, in rebus ſex non naturalibus,

Pharmacia

Phlebotomia

Emplaſtra

Vnguenta

Pulueres, & ſimilia

In ijs tribus primis applicandis, chirurgus debet peritum aliquem medicũ conſulere.

Vnguenta. **Vnguenta, quibus munitus eſſe debet chirurgus, vt communioribus ſuæ artis intentiõibus ſatisfaciat, numero ſunt quinque,**

Baſilicum — ad maturandum, et pus mouendum.

Apoſtolicum — ad detergendum ſiue purgandum.

Aureum — ad implendum, ſeu (vt dicunt) incarnandum.

Album — ad glutinandum ſeu conſolidandum.

Diathæum — ad demulcendum, mitigandumúe.

Ferrea inſtrumenta cõmunia. **Inſtrumenta ferrea communia, quibus vtitur chirurgus, ſunt**

Forfices

Nouacula, ſeu cultер raſorius } Ad incidendum & excindendum.

Scalpellum chirurgicũ quod phlebotomon appellant.

Caute-

Cauterium, ad vrendum.
Forcipes, vulgo tenaculæ
Vulſellæ, ſeu volſellæ,
Hamus recuruus,
Ferramentũ, quod Diocleum eraphiſcum Græci vocant. Cuius deſcriptionẽ & vſum vide apud Cor. Celſum lib. 7. cap. 5. } Ad extrahendum.
Specillum, Ad explorandum.
Acus
Cannulę } Ad ſuendum.

Ex iis magis neceſſaria, & quæ in vſum veniunt quotidianũ atque ideo ſemper à chirurgo circunferri debent, ſunt,

Inſtrumẽta ferrea chirurgo magis neceſſaria. 6.

1 Forfices, ſiſeaulx gallice
2 Volſellæ ſeu Vulſellæ, pincettes.
3 Nouacula,
4 Specillum, eſprouuette
5 Scalpellum, lancette
6 Acus.

Inſtrumenta propria ferrea, id eſt, quæ alicui particulari mẽbro dicata ſunt,

Ferrea inſtrumenta propria.

Modiolus, quem χονίσκον græci vocant. capiti
Falx, ſeu fauceolus. ſedi ſiue ano.
Speculum oris, Speculum matricis.

* Vſus remediorum conueneintium ad finem propoſitum aſſequendum, ex ſingulis tractatibus habetur, iuxta varietaté rerum (vt vocant)

Vſus remediorum.

Naturalium,
Non naturalium,
Et præter naturam.
Item eorum quæ illis annexa dicuntur.

Res naturales dicuntur, que corporis noſtri conſtitutionẽ ingrediuntur, Et hæ numero ſunt ſeptem.

Res naturales.

1 Elementa, ignis, aër aqua, terra.
2 Temperamenta, calidum, frigidum, humidum, ſiccum. &c.
3 Humores, ſanguis, pituita, vtraque bilis.
4 Mẽbra
- Principalia. cerebrum, cor, hepar, teſtes.
- Potentias ſortita inſitas, & manantes à principibus, pulmo, ventriculus, renes.
- Principibus ſubminiſtrãtia, arteriæ, venæ, nerui, vaſa ſpermatica.
- Ab iſtis ſibi à natura facultatib⁹ gubernata, os, chartil. ligam. &c.

His annexa ſunt, Aetas Sexus Vitę induſtria.

5 Virtutes
6 Operationes } Animales, vitales, naturales.
7 Spiritus

Res non naturales, ſunt, quæ corpus humanum, ſi rectè adhibentur, conſeruant incolume: ſi verò haud rectè accommodantur corpori, tunc idem deſtruunt. Sunt aũt numero ſex:

Res nõ naturales.

Annexa ſunt, tẽpus regio, venti, balneæ, coitus, cõſuetudo.

1 Aër, ſiue ambientis aëris adhæſus.
2 Cibus & potus, ſiue ea quæ aſſumuntur.
3 Motus & quies, & totius corporis, & partium ſingularum.
4 Somnus & vigilię.
5 Inanitio & repletio, ſiue ea quæ excernuntur & retinentur.
6 Animi affectus.

Res pter naturam.

Res contra naturam, ſeu præter naturam dicuntur, quæ humanæ naturæ contrariæ ſunt, ipſamque demoliuntur, vel lędunt, aut ægrotare faciunt. Et hæ tres ſunt numero, vt ſupra dictum eſt.

1 Morbus
2 Cauſa morbi } Quorum diffinitiones ſuprà deſcriptæ ſunt: horũ differentias Gal. peculiari lib. explicuit.
3 Accidens, morbum ſequens

Morborũ tria genera.

Morborum in vniuerſum tria ſunt genera,

1 Intemperies, ſiue mala cõplexio — In ſimilaribus partibus.
2 Mala conſtitutio ſeu compoſitio — In partibus inſtrumentarijs.
3 Vnionis diſſolutio — In vtriſque.

Diuiſio perficienda ex lib. de differentijs morborum.

Morborũ cauſæ. 3.

Cauſę morborũ genericæ, ecennioribus tres ſolent aſſignari,

1 Prægreſſæ, ſiue euidentes, quæ et primitiuę dicuntur vulgo. Græcis autem προκαταρκτικαι. Quæ extrinſecus corpori dueniunt.
2 Antecedentes ſeu præcedentes. Græcè προηγούμεναι. Quæ paratæ ſunt ſtatim morbos efficere.
3 Coniunctæ ſiue continentes. Græcè συνεκτικαι. Quæ iam morbum excitarunt.

Symptoma ſpecialiter dictũ triplex.

Symptoma ſiue accidens morbum ſequens, trifariam diſtinguitur, Aliud enim eſt.

1 Actio læſa ſiue functionis noxa.
2 Qualitas mutata, vt caliditas vehemens in phlegmone.
3 Exiens mutatum, vt immodicæ excrementorum { Excretiones, Suppreſſiones.

Actio læditur trifariam

Ablatè ſiue abolitè
Diminutè, ſeu *debiliter* } vt { Cæcitas / Viſus hæbes } *in oculis*
Corruptè, ſiue deprauatè } vt { Deprauata viſio } *in oculis*

[4] Conditiones requiſitæ ad manuales operationes probè exercendas, variæ ſunt ac multiplices. Aliæ enĩ ſpectant ad

Chirurgicos ipſos,
Laborantes,
Aſſidentes,
Exteriora.

Boni chirurgi conditiones.

Quatuor conditiones in vniuerſum requirũtur in bono chirurgo: Nempe vt ſit

1 Doctus

1 Doctus,& diſciplinarũ gnarus, earũ præſertim quæ ad ſuam artẽ ptinent.
2 Multis experimentis exercitus.
3 Ingenioſus.
4 Bonis moribus præditus.

1 Doctrina atque eruditio boni chirurgi,conſiſtit,In — Doctrina.

Theoria ſeu ſpeculatione,cognoſcendo res { Naturales / Non naturales / Præter naturam.

Praxi { Exercẽdo ꝓbè,celeriter,cõcinne,& expedite operatiões manuales. / Conſulendo medicum in ijs quæ ad pharmaceuticen attinent & diæteticen.

Ex rebus naturalibus,præcipue illi cognoſcenda ſunt,

Corporum tẽperamẽta, Singularum partium { Subſtantia / Tẽperamẽtũ / Conformatio / Compoſitio. } Ab his enim curandi indicationes deſumuntur.

2 Experientia chirurgi,conſiſtit — Experientia.

In ijs quę certa ratione excogitata ſunt,& frequenti vſu confirmata: Aliàs empiricus & temerarius cenſendus erit,niſi ſcilicet experientiã habuerit rationi coniunctam.

3 Ad chirurgi ingenium peritnent, — Ingenium

Bona ac prompta apprehenſio,
Tenax memoria. Reminiſcentia facilis, Rectum iudicium,
Operandi dexteritas, Solertia ac ꝓptitudo in remedijs inueniendis.

Ad operandi dexteritatem ac promptitudinem,hæc requiruntur, — Ex Cor. Celſo.& Hippo. li, qui κατ' ἰητρεῖον ſcribitur.

1 Aeris oculorum acies claráque.
2 Manus ſtrenua,ſtabilis,nec vnq̃ intremiſcens.
3 Vt non minus ſiniſtra quam dexira ſit promptus.
4 Optima corporis conformatio,atque habitudo.

4 Mores qui decent chirurgum,ſunt,vt ſit — Mores.

Audax,& animo intrepidus,in rebus tutis,& neceſſarijs.
In rebus dubijs ac periculoſis non admodum præceps.
Comis & affabilis erga laborantes.
Manſuetꝰ ac facilis erga ſuę factiõis homines,& vt græcè dicã φιλέταιρος id eſt,amator ſociorum.
Prudens ac circunſpectus in præſagiendo. Caſtus,ac temperans.
Miſericors erga pauperes, Pecunię nõ nimis cupidꝰ,nec exactor iniquꝰ

Conditiones quę ad laborantẽ attinẽt,tres ſunt precipuę,vt — Laborantis conditiones.

1 Pareat medico,non ſecus ac ſeruus domino,& in nullo propriæ indulgeat voluptati.
2 Confidat in medicum,& chirurgum.
3 Patienter ferat omnia,quæ fiunt à chirurgo rationali et experto, gratia recuperandæ ſanitatis.

Qui aſſident ægro,debent eſſe — Aſſidẽtes.

Prudentes,

Pacifici,
Fideles.

Exteriora omnia apparata esse debent,
In vtilitatem laborantis,
Et vt morbus desiderat.

Nomine exteriorum comprehenduntur
Habitationes vel { idoneæ,& omni turba vacantes. / parum commodæ,& turbarum plenæ.
Quæ nunciantur,aut aguntur.
Quæ iram,tristitiam,aut aliquem alium affectum infligunt ægrotanti.
Quæ somnum abrumpunt & interturbant.

Finis Compendij chirurgiæ.

Catalogus librorum.

Primus liber, tradit tumores præter naturam. fol. 1.

Secundus liber, generatim de plagis ſeu cruentis uulneribus tracta fol. 125

Tertius liber, eſt de ulceribus curandis, fol. 253

Quartus liber, fracturas tradit, & curat. fol. 319

Quintus liber, luxata oſſa diſtinguit & reponit. fol. 344

Sextus liber, materiam chirurgicam docet. fol. 355

Tumorum, qui prȩter naturam consistunt genera.

lis Diuiſio, In primum Librum Chirurgicarum inſtitutionum Ioannis Tagaultii medici.

Primæ ac generales, tumorum prȩter naturam differentiæ.

1 Phlegmone, } Sanguinea fluxione } exuperãte procreatur
2 Eryſipelas, } Bilioſa fluxione } exuperãte procreatur
3 Oedema, } Tenuis pituitæ ſubſtantia } exuperãte procreatur
4 Scirrhus, } Limoſo et fæculẽto ſanguĩe } exuperãte procreatur
5 Inflatio, ſeu Flatuoſus tumor } Ex flatuoſo ſpiritu collecto naſcitur.
6 Abceſſus. Quod græci apoſtema nominant.

1 Plegmone duplex eſt, φλεγμονὴ

1 Ex ſanguine ſyncero. } Vera phlegmõe uulgò appellatur.
2 Ex ſanguine optĩo alijs humoribus commiſto } Recentioribus chirurgis phlegmone non uera nominatur.

Ex ſanguine alijs humoribus commiſto, fit

Phlegmone { Eryſipelatodes, Oedematodes, Scirrhodes.

Phlegmonoſi affectus ſunt,

Dothienes, } Furunculi Celſo, Auicennæ Aldemurenul. Tuberculum acutum, cum inflammatione & dolore.
Bubo, Simplex laxarum partium inflammatio.
Phygethlum, } Panus uocatur Celſo. Græcis Phlegmone eryſipelatodes, uel eryſipelas phlegmonodes. In inguinibus & alis naſcitur.
Phyma } Inflammatio glãdularũ, Quæ citò augetur, & ad ſuppurationẽ accelerat. Celſo tuberculum dicitur.
Carbunculus. Græcis Anthrax } Cum puſtulis / Sine puſtulis.

Nil aliud quoquè quàm Phlegmonæ ſunt,

Vuæ, } Gurgulionis, qui Græcè γαργαρεὼν, & σαφύλη dicitur Latinis etiam columella.

Tonſillæ, { Glãdularum, quæ in faucium principio ſibi opponuntur, amygdalas uulgò appellitant.

Pariſthmia, corporum, quæ in pharynge conſiſtunt.

Hæc morborum & partium ſunt nomina.

Phlegmonem ſequuntur, atque eius proles ſunt

Abſceſſus, { Qui etiam ſiũt aliquando ptinus ab initio, nulla inflammatione præcedente.

Sinus, { Græci κόλπον nominãt, recentiores chirurgi ulcus profundum et cauernoſum, quod nondũ occalluit.

Fiſtula. { Græcis ſyrinx dicitur. Hæc nihil aliud eſt q̃ ſinusarctus & oblongus, qui non ſtatim curatus, tẽporis progreſſu obduruit, et callo obductus eſt.

Gangræna. Partis affectæ mortificatio, non tamen abſoluta.

Sphacelus. { Latinis ſyderatio. Abſoluta atque omnimoda partium etiã ſolidarum mortificatio et corruptela.

2 Eryſipelas biliоſæ fluxionis ſobоles, geminum eſt,

Ἐρυσιπέλας

1 Verum ac legitimum, { Solius cutis paſſio eſt, et abſque ulceratione incidit.

2 Non exquiſitum ſeu illegitimum, { Non ſolam cutim, ſed etiam ſubiectã carnem occupat, ac moleſtat.

Eryſipelas non legitimum, duplex eſt,

1 Ex bile craſſiore et acriore, exacta tamen et ſyncera, { Nominatur eryſipelas cũ ulceratione.

2 Ex bile alijs humoribus pmixta, alios tamen ſuccos exuperante. { Dicitur eryſipelas { Phlegmonoſũ / Oedematoſũ / Scirrhoſum

Eryſipelati ſimilis eſt herpes: Qui geminus eſt Galeno,

1 Herpes exedẽs, ſiue depaſcens, { Græce ἐσθιόμενος. A bile fit acriore et exacta totã cutĩ uſque ad ſubiectã carnẽ exulcerãte. Eiuſdem generis eſt cum ulcerato eryſipelate.

2 Herpes miliaris, ſiue puſtuloſus. { Cenchrias Græcè. Ex bile fit tenuiore et dilutiore, pĩde et minus acri calidaque.

Ad eryſipelas etiam pertinent

Bullæ ſimiles ijs, q̃ in corpore à feruida aqua terrefacto cõtingũt, Phlictenæ à Græcis uocatæ.

3 Oedema bifariam conſideratur, οἴδημα

1 Vt *ſymptoma*, { *Tumor rarus, et ſine doloris ſenſu: ex pituita, uel flatulento ſpiritu, piculoſos quoſdam affectus ſequens, ut tabē, cachexiā, hydropem.*

2 Vt *morbus*.

Oedema morbus duplicem habet originem,

1 Ex *pituita ſola*, { *Tumor etiā laxus, fungoſus, et abſque doloris ſēſu, ex tenuis pituitæ influxu ortū habēs, quod uerū ac legitimū oedema nominant.* Oedema morbus.

2 Ex *pituita aliis humoribus permiſta, ſed tamen illis præpollente*. { *Recētioribus oedema non uerū atque illegitimum appellatur.*

Oedema morbus ex pituita aliis humoribus cōmiſta, in treis differentias findi ſolet: Nempe in

1 *Oedema phlegmonodes*,
2 *Oedema eryſipelatodes*,
3 *Oedema ſcirrhodes*.

Ad œdema referuntur, Tumores œdematoſi.

Hydrocele, { *Vulgò hernia aquoſa. Quū humor aqueus in teſtium tunicis congregatur.*

Aſcites, { *Aquoſus hydrops. Quū ſeroſus humor in membrana abdominis interiore continetur.*

Leucophlegmatia. { *Hypoſarca, et anaſarca etiā dicitur. Quū corpus īæquale ē, tuōribus aliter, aliterque per totū id (ut Celſus ait) orientibus.*

4 Scirrhus, tumor durus ſine vllo dolore, σκίῤῥος.

1 Exquiſitus, *Senſu caret, nec curationem admittit.*

2 Non exquiſitus. { *Non omnino eſt ſine ſenſu, ægrè tamen admodum ſentit.*

Scirrhus tam exquiſitus, quàm non exquiſitus,

1 *Statim ab initio paulatim concreſcens, & augeſcens*,
2 Ex *coincidentia creatus*.

Scirrhi qui à principio paulatim concreſcunt, & augentur,

1 Ex *pituita lēta, craſſáque, tenuiore eius ſubſtantia reſoluta*,
2 Ex *atra bile, ſeu melancholia*.

Scirrhi ex atra bile, ſeu melancholia (vt vocāt) naturali,

1 *Sola, et alijs humoribus impermiſta,* } { *Legitimi et ueri ſcirrhi noſtræ ætatis chirurgis appellantur.*
2 *Alijs humoribus commiſta, dominum tamen ſuper illos obtinente.* } *Illegitimi cenſentur.*

Scirrhus ex atra bile aliis permiſta humoribus.

1 Phlegmonodes,
2 Oedematodes,
3 Eryſipelatodes.

Scirrhi ex coincidentia, vel tranſmutatione, fiunt

Phlegmone, }
Eryſipelate, } *impendiò refrigeratis.*
Oedemate, }

Melancholici ac ſcirrhoſi tumores cenſentur

Cancer, *Græcè carcinoma. Fit ab atra bile, ſine ebullitione.*
Phagedæna cum tumore. } { *Cum cute pariter ſubiecta atrigit et depaſcitur. In quo differt ab herpete.*
Vlcera cacoëthe, id eſt maligna, cum tumore, } *ut ſunt Chironia & Telephia.*
Pſora, } *Cutis tantum affectus ſunt.*
Lepra,
Elephas, ſeu elephantiaſis. } { *Ex ſanguine melancholico ducit originem, tempore uerò bilis atra ſanguine copioſior redditur.*
Satyriaſmus, *id eſt, elephas incipiens.*

Vicina ſcirrho ſunt.

Enchymomata } { *Scnibus ex uenarũ cõtuſione accidentia, ſanguine ex uenis effuſo ob extremas earũ adapertiones: et uerdũ ob tunicarum cõtuſiones.*
Melaſmata, }
Aneuriſma, { *Arteriæ adapertæ affectus, ex quo interdũ, grumo ſcilicet innato, ſit bacelus gignitur.*
Varices. *Id eſt uenæ dilatatæ in cruribus à ſanguine craſſo.*

Scirrhi ſunt à parte affecta nomina ſortiti

Chœrades, *Id eſt ſtrumæ glandularum.*
Sarcocele, *Id eſt ramex teſtium, uulgò hernia carnoſa, fit cũ caro inter tunicas teſtium increſcit.*

Inflatio. 5 Ex inflationum genere ſunt

Tympanias, ſeu tympanites, } *Hippocrati aqua intercutem ſicca uocatur.*

Priapiſ-

Priapiſmus, qui et ſatyriaſmus quibuſdã dicitur. { Pudendorum intentiones non remittentes, à ſpiritu halituoſo cauernoſũ neruũ (qui propriã colis ſubſtantiam conſtituit) implente.

Sunt & parui quidam tumores in cute naſcentes, qui ad prædicta genera referuntur, vt

Parui tumores in cute naſcẽtes.

Achores, { Pituitæ ſalſæ & aluminoſæ ſoboles. Parua in cute capitis ulcera, cum tumore modico.

Faui, { Ex his humor melleus effluit. Cum tumore quodam et foraminibus plurimis eueniunt.

Ad ſcirrhum pertinent. { Myrmeciæ, { Verrucæ, q̃ latiore ſũt baſi, et quaſi ſeſſiles. Latini formicãtes uerrucas appellãt.
Acrochordones, Penſiles uerrucæ, & anguſtiore baſi.

Pſydraces, ſeu pſydracia, { Tumores parum ſuprà ſummã cutem eminẽtes, phlyctenis, hoc eſt bullis, quæ ab igne excitantur, ſimiles.

Epinyctides. { Liuẽtes puſtulæ, fabæ magnitudinẽ non excedẽtes, noctu quidẽ magis, quã interdiu infeſtantes.

Tumores etiam ſunt, ſed non ex humoribus,

Epiplocele, Cum omentum in ſcrotum deſcendit.

Enterocele. { Inteſtinorum ramex,
Hernia inteſtinalis uulgò.

Enteroẽpiplocele, Cũ inteſtinũ ſimul cũ omẽto i ſcrotũ delabitur.

Cirſocele, { Vulgò hernia uaricoſa. Fit quum tenuium integris tunicis ramex innaſcitur.

Bubonocele, id eſt, inguinis ramex, { Fit rupto peritonæo, aut uulnerato iuxta inguen. Ad obliquos uentris muſculos pertinet, et ad neruea illorum tenuitatem,

Exomphalorum eminentia, cũ umbilicus indecorè pminet. { Hic affectus ad trãſuerſos musculos pertinet, & neruearum eorum tenuitatem.

Ex carne ſupercreſcente fiunt

Tumores ex carne ſupercreſcẽte.

Sarcocele, { Tumor teſtium, Quùm caro inter tunicas ipſorum increſcit.

Epulides, { Superfluæ carnes ex inflãmatione in extremo molari dente, cui dolor quandoque & febris iungitur.

Paruli

Parulides, { Abſceſſuli circa gingiuas facti, qui niſi ſolut; fuerint ſuppurantur.

Thymi, thymia, uel thyma, { Verruculæ infrà tenues, ſuprà latiores, capituli, id eſt, cacuminis floris thymi fruticis ſurculoſi, figuram uerius quàm colorẽ repreſentantes.

Polypi, uel polypodes, id eſt multipedes. In naribus.

Abſceſſus 6 Abſceſſus fiunt, vel
Natura fluorem uincente,
Natura à fluore uicta. Hi toto genere pter naturã ſunt.

Abſceſſuum, qui toto genere pręter naturam ſunt, materia,
Humores,
Solida corpora.

Vniuerſa hæc, tunica quædã membranoſa compẽdit.

Humor qui in abſceſſibus toto genere pter naturam continetur, alius eſt, veluti
Lutum,
Cœnum,
Olei limus,
Vini fex,
Vrina,
Melleus muccoſuſque ſuccus.

Solida corpora in abſceſſibus inuenta ſũt, veluti
Vngues,
Lapides,
Pili,
Pori,
Oſſa,
Teſtæ,
Animalcula, propè omnibus, quæ ex putredine generationem habent, ſimillima.

Frequentiſſima abſceſſuum genera ſunt tria, quorum natura ex nominibus conſtat,

Atheroma, { In eo pulticulæ qd ſimile ũenitur.
Meliceris, { In quo melli quid ſimile reperitur.
Steatoma, { In eo aliquid ſimile ſeuo uiſitur.

Finis.

INSTITVTIONVM Chirurgicarum Ioannis Ta

GAVLTII MEDICI, LIBER PRIMVS,

De tumoribus præter naturam, in uniuerſum.

Quid ſit tumor præter nãturam, qui vulgò generali nomine Apoſtema dicitur, & multiplicis eiuſdem definitionis examinatio. Cap. I.

Vmores omnes, qui præter naturam conſiſtunt, recentiores tum medici tum chirurgi, atq; etiam uulgus ipſum, ſub nomine Apoſtematis comprehenderunt. Quũ tamẽ ἀπόστημα Galeno & Græcis omnibus, una ſit ſpecies tumorum præter naturam incidentium, quam Latini appoſitè abſceſſum nominauerunt, & iuniorum turba, accepto ab Auicennæ interprete uocabulo, exituram, de qua in ſequentibus fuſiùs atque accuratiùs dicetur. Sed & Apoſtema nonnunquàm ſpeciem ſeu differentiam faciunt tumoris præter naturam, cùm ſcilicet ipſum diuerſum faciunt ab exitura quam uocant, & puſtulis, de quibus etiam ſuo loco copioſius diſſeremus. Nomine enim Apoſtematis gregarii iſti medici ac chirurgi, ferè eos tumores paſsim intelligunt, qui & in magnam ſatis molẽ attolluntur, & ex humorum (ut loquuntur) naturalium influxu procreantur, atque ideò etiam uera apoſtemata uocant. Itaq; cùm Apoſtema generis nomen eſt, omnes præter naturam tumores ſub ſe complectens, Auicennæ & eius ſequacibus ita communiter definitur: Apoſtema, eſt ægritudo compoſita ex triplici genere morborum, in unam magnitudinem aggregatorum. Quam diffinitionem eſſentialem eſſe contendunt. Quippe quæ genere conſtet & differentia, naturámque ipſius definiti ſufficienter explicet. Porrò, generis definiti locum in ea obtinet ægritudinis uocabulum. Reliqua uerò adpoſita ſunt, ad differentiam aliorum morborum, qui in compoſitione ſeu conſtructione inſtrumentorum contingunt, quorum differentias Galenus recenſet libro primo de morbo & ſymptomate. Tria autem illa morborum genera, quæ in tumore hoc præter naturam, Apoſtemate uulgò nuncupato, reperiuntur, unius mor-

ἀπόστημα. Abſceſſus.

» Apoſtematis definitio uulgaris. Definitionis examinatio. Tria morborum genera, tumoris præter naturam eſſentiam cõſtituentia.

bi eſſentiam conſtituentia, ſunt, intemperies, quam & malam complexionem appellant: incommoderatio, quæ etiam mala compoſitio dicitur: et continuí, ſeu continuitatis, aut unitatis ſolutio: Graiis autem uocibus dicuntur δυσκρασία, ἀμετρία, καὶ συνεχείας λύσις. *Cæterùm alias multas Apoſtematis uulgariter dicti deſcriptiones adferunt, ueriùs quàm definitiones, quæ neque cum ipſo definito conuertuntur, neque eius naturam ſatis explicant, aut eius eſſentiam ſufficienter conſtituunt: proinde & accidentales eas uocant. Cuiuſmodi eſt hæc, ex initio libri de tumoribus præter naturam à Galeno conſcripti, ab eis deſumpta, Apoſtema ſeu tumor præter naturam unum aliquid eorum eſt, quæ corporibus accidunt, partem quam occupat, ſecundũ omnem dimenſionem, diſtendens.*

Definitiones accidẽtales.

Quæ deſcriptio ex iis Galeni uerbis decerpta eſt: Ἔντι τῶν συμβεβηκότων τοῖς σώμασιν ὑπάρχει, τὸ διαστάμενον πρᾶγμα πρὸς τὴν ὄγκον φανῆς. πλῶ γὰρ εἰς μῆκος καὶ πλάτος καὶ βάθος διάστασιν οὕτως ὀνομάζουσιν Ἕλληνες.

„ *Hoc eſt: Quod tumoris uocabulo ſignificatur, id eorum quæ corpori ac-*
„ *cidunt, unum eſſe conſtat. Sic enim diſtenſionem in longum, latum, &*
„ *profundum, nominant: uel ſi ita dixeris, Apoſtema, incrementum eſt, naturalem ſtatum excedens. Item & quæ ſequitur, ex lib. 13. Therapeuticæs methodi deprompta:* Apoſtema *tumor eſt, in quo partes à natu-*

Lib. 13. Therap.

„ *rali habitu in quantitate ſeu magnitudine receſſerunt. Sic autem apud*
„ *Galenum legitur:* ἐν δὲ τῷδε τῷ τρισκαιδεκάτῳ τῆς ὅλης πραγματείας
„ ὄντι, περὶ τῶν παρὰ φύσιν ὄγκων ἀρξόμεθα λέγειν, ἐν οἷς διαλοιπόν κατὰ μέ-
„ γεθος ἐξήσται τὰ μέλη τὸ κατὰ φύσιν: *id eſt, In hoc uerò totius operis*
„ *tertiodecimo de tumoribus, qui præter naturam incidunt, diſſerere in-*
„ *cipiemus, in quibus ſcilicet partes à naturali habitu in quantitate re-*
„ *ceſſerunt.*

Itaque niſi his definitionibus particulam hanc addideris, actiones lædens, ſeu euidentem actionis noxam inducens, nequaquàm abſolutæ & eſſentiales erunt. Non enim tumor omnis, diſtenſionem in longum, latum, & profundum, ultra naturæ habitum, in toto corpore, aut particula aliqua efficiens, uel incrementum quodcunque, naturalem ſtatum excedens, iuxta uulgarem acceptionem, apoſtema, aut tumor præter naturam, ſtatim dici debet. Siquidem ut libro de tumoribus præter naturam, Galenus ait: Incrementum *eiuſmodi naturalem ſtatum excedens, non ægris modò, ſed & ſanis etiam, tam in toto corpore, quàm in*

Gal. lib. de tu. præter nat.

„ *qualibet particula accidere poteſt. Obeſi nanque tametſi ultra naturæ*
„ *habitum, in latum & profundum diſtenti ſint, non tamen iam præter na-*
„ *turam ſe habent, ſed ſolum (inquit) non naturaliter. Nondum enim natu-*

ræ limites ſunt egreſſi, neque in eis adhuc eſt actionis læſio, qui termi- „
nus eſt exceſſuum, qui præter naturam dicuntur. Tumores quoque illi, qui in particulis adhuc ſanis exiſtentibus, & citra omnem ſenſum doloris conſiſtunt, rectè quidem ſupra, ſeu ultra naturam, nõ tamen præter naturam, dicentur. Vt ſi utraque mamma, uel altera duntaxat immodicè increuerit, ita tamen, ut ipſa partis eſſentia ab omni noxa uideatur immunis, nequaquàm appoſitè præter naturam, hic tumor dicetur, ſed ultra naturam duntaxat. Ergo ſi abſolutam magis & eſſentialem tumoris præter naturam definitionem ex Galeni ſententia placet colligere, hoc pacto definies: Tumor præter naturam, incrementum eſt naturalem ſtatum in corpore excedens, & læſionem actionis inducens.

Abſoluta tu. præter naturã definitio, ex Gal. ſcriptis deſumpta.

Cæterùm, aliam quoque ipſius apoſtematis impropriè licet ita appellati, definitionem, ex Halyabb. medico, nominis inter Arabes percelebris, adferunt, quam abſolutiſsimam & perfectiſsimam eſſe adfirmant: habet autem ad hunc modum, Apoſtema, eſt tumor præter natu- „
ram, in quo aliqua materia replens, & diſtendens eſt aggregata. In qua „
definitione tumor generis locum occupat, utpote pluribus cõmunis. Præter naturam deinde in ea adiectum eſt, propter incrementum illud uel corporis totius, uel particulæ alicuius, naturalem ſymmetriam, ſeu naturæ habitum excedens, quod ſupra, uel ultra naturam, cum Galeno appellauimus. Item propter tumores naturales capitis, uentris & iunctu-rarum. Cùm autem adijcitur, in quo eſt materia aliqua, ſubaudire oportet, ſuperflua, utputà humoralis, uel quæ ad humorem (ut loquuntur) ſit reducibilis. Adiecta præterea eſt particula hæc, aggregata, propter tumores qui in fracturis & luxationibus conſpiciuntur, in quibus non humor, aut ſubſtãtia aliqua, quæ ad humorem reduci poſſit, tumorem committit, ſed oſſa quæ extant. Poſtremò adpoſitæ ſunt hæ duæ particulæ, replens & diſtendens, quibus oſtenderet, tria morborum genera ſu prapoſita (nempe intemperiem, prauam compoſitionem, & unionis diuortium) in unum eſſe congregata, atque unius morbi eſſentiam conſtituere.

Tumor.
Præter naturam.
Materia humoralis.
Replens et diſtendens.

Tumores autem eiuſmodi, qui præter naturam dicuntur, in tria genera, ſeu tres ſpecies, Guidoni et ſuæ ætatis ſcriptoribus, ſolent diuidi, in apoſtemata ſcilicet, puſtulas, et exituras. Apoſtemata itaq; tũc illi nominant, tumores maiores, in quibus materia, ex qua creantur, magis (ut dicunt) quantitate peccat, quàm qualitate. Puſtulas uerò, exiguas quaſdam eminentias, ſeu minutiores tumores, quos & Bothor appellant, in quibus ſubſtantia ex qua naſcuntur, qualitate magis quàm co-

Tumoris præter naturam diuiſio, in ſuas ſpecies iuxta recẽtiorum ſententiam.
Apoſtẽata.
Puſtulæ.

pia, moleſta eſſe ſolet, imò & plærunq; in eis (ut uolũt) uenenoſitas ſubeſt.

Exituræ. At exituras, eos tumores uocant, quos Latinis abſceſſus, & Græcis ἐκθύματα rectè nominari iam ſuprà diximus. Sed liceat cuique nominibus quibus uelit, uti, modò à rerum natura (ut Gal. ait) non diſcedat.

De differentiis tumorum, qui præter naturam incidunt. Cap. II.

Diuiſio tumoris in ſuas differentias.

TVmorum præter naturam, qui uulgò generali nomine apoſtemata dicuntur, uariæ ac multiplices ſunt differentiæ. Quæ omnes recentioribus chirurgis ſumuntur, uel à ſubſtãtia rei (ut uocant) uel à materia, uel ab accidentibus, uel à membris ſeu partibus affectis, uel à cauſis efficientibus. Itaque differentiæ tumorum, quæ à ſubſtantia ipſius affectus deſumuntur, his & eorum principi Auicennæ, ſunt, tumor magnus, tumor paruus. Magna quidem apoſtemata illis cenſentur, Phlegmonôſi tumores, qui in carnoſis particulis tumidioribus fiunt: item œdematôſi, eryſipelatôſi, & ſcirrhôſi, qui in molem effatu dignam attolluntur. Parua uerò apoſtemata eiſdem dicuntur, minutæ eminentiæ, (quas puſtulas & bothor appellant) in cute ac corporis ſuperficie non infrequentiùs apparentes: cuiuſmodi ſunt lepræ Græcorum, ψωræ. i. ſcabies, impetigines, & id genus alia, de quibus in ſequentibus latiùs dicemus. Porrò materia tumorum præter naturam, ſunt humores quatuor tam naturales (ut uocant) quàm non naturales, ſanguis ſcilicet, pituita, & utraque bilis, nẽpe flaua & atra: item humores qui toto genere præter naturam ſunt, & ſolida aliquãdò quædam corpora, flatus quoque & ſeroſus humor: à quibus omnibus, aliæ ſumuntur tumorum præter naturam differentiæ, ut in ſequentibus ampliùs declarabitur. Symptomata ſeu accidentia, quæ communiter ipſis tumoribus ſuperuenire ſolent, ſunt ueluti dolor, calor, mollities, duricies, & id genus alia, à quibus etiam & differentias ſumendas eſſe uolunt. A membris quoque ſeu particulis ipſis laborantibus, quædam ſumũtur differentiæ tumorũ, qui præter naturã conſiſtũt, ut ſunt, ophthalmia, oculi inflãmatio: ſynãche, gutturis phlegmone: phymata, phygethla, partium laxarum, quas glãdulas uocamus, inflãmationes, itẽ et bubones.

A quibus ſumantur differẽtiæ tumorũ præter naturã recentioribus.

Subſtantia.

Materia.

Accidentia

Pars affecta.

Cauſæ efficientes. Cauſæ efficientes, à quibus & differentiæ quædam accipiuntur, ſunt, congeſtio, & deriuatio, ſeu fluxio, quod et rheuma Græcis dicitur: criſis, id eſt, iudicium, quod in morbis fit: ac quædam aliæ tum interiores, tum exteriores cauſſæ, de quibus copioſiùs atque accuratiùs in ſequentibus edißeremus.

Verùm

Verumenimuerò,tumorum huiuſmodi præter naturam incidentium, uarietates ac differentiæ omnes,ex eius quod influit natura, et ſubſtantia,tumorem committẽte,naſcuntur Galeno lib.quem de tumoribus præter naturam inſcripſit.Item ſecundo libro ad Glauconem, & 13.methodi medendi, ubi ad hunc modum ſcribit,ſi ſaltem Græca Latina reddantur: Quinetiam omnium tumorum qui præter naturam ſunt, uarietas, ex eius quod influit natura, enaſcitur. Vbi enim flatulenta materia copioſior acceßit,flatuoſi magis tumores fiũt. Phlegmone uerò magis ſimiles,ubi ſanguis:ſicut eryſipelati,ubi flaua bilis:et œdematôſi magis,ubi pituita:ſimiliter ſcirrhoſi,ubi uel craſſus,uel uehemẽter lentus humor eſt,qui parti eſt infixus.Itaq; tumores oẽs præter naturã ipſi Galeno eo loci fiunt,aut ab humoribus,aut à flatuoſo ſpiritu, qui quandoque ſub cute,quandoque ſub circumoſſalibus membranis,quandoq; in uentre,quãdoque in inteſtinis, nonnunquàm in medio horum, & peritonæi colligitur: Græci emphyſema,Auicenna apoſtema uentoſum uocat.Si ab humoribus tumores eiuſmodi fiant,aut calidi,aut frigidi ſunt,aut mixti.

Tumorum præter naturã differentiæ unde naſcantur Galeno.

» *Gal.13. Meth.*

Emphyſema.

Calidi autem fiunt à ſanguine optimo,id eſt,adamußim rubente, & conſiſtentia mediocri, ac moderata qualitate, & tũc phlegmonem Græci,Latini inflammationem uocant.Aut à flaua bile,uel à ſanguine feruenti ac tenui,uel ſanguine & bile calidioribus,eryſipelas illi, hi ignem ſacrum appellant. Frigidi uel à tenui pituita ſuſcitãtur, atque hos Græci œdema,noſtri laxum tumorem uocare poſſunt.Auicẽna undimiam appellat,aut ab humore atræ bilis,uel craſſa & lẽta,tenacique pituita,ſcirrhon illi,Latini duritiem,Arabes ſephiros uocant. Ex ſeroſo quoq; ſanguinis recremento quãdoque tumores fiunt,ut in ſequentibus dicetur.

Calidi tumores.

Tumores Frigidi.

Cæterùm miſcentur aliquandò ſimul eiuſmodi humores, atque tunc ſi alter alteri dominetur,ab eo qui in mixtura exuperat, nomen ipſi tumori inditur. Vt ſanguine bili dominante, phlegmonem dicemus eryſipelatôdem,ſeu eryſipelatôſam. Sicuti ob flauam bilem præpollentem,eryſipelas phlegmonoſum,ſeu phlegmonôdes. Iã uerò aliarũ mixtionum,ſimilis eſt interpretatio, phlegmone ſcirrhôſa, & ſcirrhus phlegmonôſus: œdema phlegmonôſum, & phlegmone œdematôſa.Atque ad hoc exempli,reliquos quoque tumores,etiam ſi trium,uel quatuor humorum inuicem commixtio ſit,nominabis.Porrò ſi pares ſint, atque ex æquo mixti humores,ita ut alter alteri non præpolleat, tunc per copulam eorum, quos excitant, tumorum nomina coniungemus. Vt ſi ſanguis bili æqualiter miſceatur,uitium illud per couiunctionem,phlegmône et eryſipelas dicetur,uel cum Galeno,phlegmônes, eryſipelatóſq; ſpecie et na-

Tumores complicati

Tumores præapui, q ex influxu humorum fiunt.

tura medium. Et hi quidem ſunt præcipui tumores, qui ex humorum influxione fiunt Galeno: Phlegmone inquam, eryſipelas, œdema, ſcirrhus. Ad quos ĩnumeri alij naturæ modũ excedẽtes tumores, reducũtur, ac ſub eis cõprehendũtur, tãetſi uarijs ex cauſis diuerſa ſortiti ſint nomina. Itaque ad phlegmonarum genus pertinẽt, phygethlon, quod pa-

Tumores ad phlegmonen pertinentes.

nus, Celſo autore, à noſtris uocatur. Phyma, tuberculum eidem Celſo nuncupatum. Terminthon, phymatis ſpecies Oribaſio, ſed AEtio phygethli. Dothienes, quos Celſus furũculos uocat. Item gangræna, et ſphacelus, qui à Latinis ſyderatio, & à principe Auicenna aſcachilos, dicitur. Carbunculus quoq;, Græcis anthrax nominatus: de quo ſcribit Auicenna capite de pruna & igne perſico.

ERYSIpelatoſi tumores.

Ad eryſipelata uerò quodammodò referri uidentur, herpetes, qui ſpecie ſũt duplices, miliares ſcilicet, & exedẽtes, quos ἐσθιομένους Græci appellãt. Vtranq; ſpeciẽ Auicennæ interpres formicas uocauit, ſed eas cum uerrucis illis, quas Græci myrmecias, Latini formicas uocãt, nominis ſimilitudine deceptus, eodem capite turpiſſimo errore commiſcuit. Has biliоſas inflammationes, herpetas à Græcis nuncupatas Celſus ſub ignis ſacri nomine uidetur cõprehendiſſe. Recentiores eas inter puſtulas (ut loquũtur) cholericas adnumerant. A bile etiam ferè proueniunt, atque ideò ad eryſipelas pertinẽt, phlyctænæ à Græcis uocatæ, de quibus agit Auicennas capite de ueſicis & inflammationibus.

PITVITOſi tumores.

Ad tumores pituitæ, hoc eſt, œdemata, referuntur nonnulli tumores ſub apoſtematis nomine à Græcis comprehenſi, qui ab Auicenna nodi, ab Haly Abbate ſelaa et dubeleta phlegmatica dicti ſunt, Latini abſceſſus uocãt. Quorum iuxta diuerſas materias in eis contentas, diuerſæ etiam ſunt ſpecies. Nihil autem refert, ſi & genera, uel differentias hoc loco dixeris.

14. Thera.

Porrò tria ſunt Galeno eiuſmodi abſceſſuum genera frequentiſſima, quorum ſingula propriam appellationem Græcè ſunt ſortita, ea ſunt atheromata, ſteatomata, melicerides, à ſimilitudine quidem contẽtorum in his corporum dicta, ut amplius in ſequentibus declarabimus. Eſt & apoſtematum, hoc eſt abſceſſuum genus, in quo res aliæ continẽtur, quæ non humorum modò, ſed & ſolidorum quorundam corporum proprietates repræſentant: uerùm hæc (inquit Galenus) rarius. Ac de

Tumorum noua quædam apud recentiores medicos nomina.

ijs quidem etiam in ſequentibus, cùm de abſceſſibus ſermonem faciemus. Ad hæc autem modò dicta abſceſſuum genera pertinent, tumorum quedam nomina, à recentioribus excogitata, & nuſquàm apud antiquos ſcriptores reperta, ut teſtudo, mollis tumor caluariæ inhærens, & talpa: hæc ad atheroma, illa ad meliceridem magis ſpectare uidetur. Ad

Teſtudo. Talpa.

ſteato-

ſteatωma uerò ferè pertinet, tumor dolore carẽs, quem Natã, uel Naptã appellant, de quibus ſuo loco dicemus. Nata.

Huc quoque, hoc eſt, ad tumores pituitæ, ſpectãt, uocata à Græcis ganglia, ab Auicenna glandulæ, quæ à uocatis nodis differunt. Ganglium.

Scrofulæ quoq; à uulgo uocatæ, à pituita fiũt, proinde et ad œdemata reducuntur: hæ Græcis chærades, Latinis ſtrumæ, dicuntur. Galenus tamen alicubi inter ſcirrhos, ob duritiem annumerat. Strumæ.

Ad œdema etiam refertur Galeno ea hydropis ſpecies, quæ leucophlegmatia Græcis, & hypoſarca nuncupatur. Leucophlegmatia.

Cæterùm tumores, qui ad atram bilem ſpectant, et ſub uocato ſcirrho continentur, ſunt: SCIRrhoſi tumores.

Cancri, qui à Græcis carcini, & carcinωmata dicuntur, Celſus tamen cancrum à carcinωmate ſeiungit, ut illum ab his quæ extrinſecus incidunt, oriri dicat & ſerpere, hoc corrupta interius aliqua parte inmaſci. Idem cancrum in multas ſpecies diducit, eryſipelas ſcilicet, gangrænam, & ulcus nigrum. Cancer. Caranωma.

Huius quoque farinæ eſt elephantus, ſeu elephantiaſis, à uulgo medicorum lepra uocata, & quibuſdam ſancti Lazari morbus. Itaq; lepræ nomen Auicennæ, & imperitæ multitudini, morbum grauiſsimum ac pernicioſiſsimum ſignificat: cũ tamẽ Galeno, Paulo AEginetæ, ac reliquis Græcis, leuis ſit morbus, non multũ à ſcabie differens, quæ pſωra eiſdem dicitur. Elephãtiaſis.

Ex ſcirrhoſo etiam tumorum genere cenſentur, Verrucæ ab Auicennæ interprete uocatæ Latina uoce, quæ tumores ſunt inſtar monticulorum quorundã in cute eminentes, unde & nomen illis factum eſt, à uulgo porra dicuntur. Verrucæ. Porra.

Huius autem generis ſunt, myrmecia, ac ſi formiculas diceres, & acrochordones, quæ noſtris penſiles uerrucæ dicuntur. Myrmecia. Acrochordones.

Clauus, qui callus eſt figura teres, Græcis ἧλος uocatur, Auicennæ almiſmar. Clauus.

Thymion uel thymon uerrucula thymi hærbæ capita repræſentans, Auicenna uidetur tuſium, uel ut alia habet lectio, tarſecum nominaſſe. Thymion.

Ex uerrucarũ quoque genere ſunt, uocata ab Auicenna cornua, ita quidem dicta, quòd cùm oblonga ſint, inſtar cornuũ recuruantur. Cornua.

Item & calli, quos Græci τύλους uocant: hi ex labore obdurata cute gignuntur. Calli.

Ad atram quoq; bilem ſpectare uidetur morbus, quem dracontion Græci appellant, Latini dracũculum ab eius nominis animalis ſimilitudine, Auicenna uenam medeni, Haly abbas, uenam ſanioſam uocauit. Dracũculi.

De quo Paulus capite ultimo lib. quarti. Hic morbus apud nos parũ eſt frequẽs.

Præter hoſce, quos iã recenſuimus tumores, accidũt & alij, corporis ſuperficiẽ nõ rarò occupãtes, nẽpe paruæ quædã eminentiæ, quas puſtulas & bothor appellant. PVSTVLAE.

Quæ licet & inter ſe, & ab ijs tumoribus quos ſuprà cõmemorauimus, differãt: ab ijſdẽ tamẽ humoribus fiũt, à quibus et

magni iam dicti tumores. Proinde maioris, minoríſue ratione ab illis tantùm diſtare uidentur. Cæterũ ut eiuſmodi minuti tumores (quos ſanè ignorare non debet chirurgus) notiores, ac peruij magis cuique euaderent, operæpretium me facturum putaui, ſi nomina tum Græca tũ Latina, tum etiam Barbara, ac rudem quandam (ut de alijs maioribus fecimus) deſcriptionem hoc loco ſubiecerimus. Ergo ut rem ipſam aggrediamur, ex puſtularum genere ſunt, lepræ Græcorum, & pſoræ, Latinis ſcabies appellatæ, affectus quidem inter ſe admodùm affines: cutis enim ſunt aſpredines, cum pruritu & corporis colliquatione, ab eodem humore progeniti, nempe atra bile. In hoc tamen differunt, quòd lepra cũ manifeſtis ſquammis cutem profundiùs in orbem depaſcitur. Pſora uerò ſuperficiem tantùm uarijs figuris lædit, & furfuracea quædam corpuſcula remittit. Item ea leuis cutis infectio, quæ Græcis lichene, Latinis impetigo, & uulgò quibuſdam (ut Manardus refert) uolatica nominatur. Hæc frequenter ac facilè in prædictos affectus, lepram ſcilicet & ſcabiem, quam pſoram uocant, Galeno autore degenerat. Sunt tamen qui Græcorum leprã, impetiginem uocari à Celſo (qui eius genera quatuor facit) contendant. Fiunt autem lichenes teſtibus Galeno, & Paulo AEgineta, mixtis ſaniebus tenuibus et acribus, cũ alijs craſſis. Verùm enimuerò cùm Celſus (ut diximus) quatuor impetiginis ſpecies faciat lib. quinto ſuæ medicinæ, euidenti argumento conuincitur, eũ aliam rem per impetiginem intellexiſſe, quàm Græcorũ lichenas. Quandoquidem nullus autor Græcus legitur, qui tot genera in lichenis unquàm agnouerit.

Lepra. Pſora. Lichenæ. Quatuor impetiginis ſpecies.

Cæterùm, quandò cum ſola leuiori cutis aſpredine & pruritu manent lichenes, impetiginis nomen retinent. Dum autem peiores fiunt, nomen ſicuti & formam mutant. Si enim manifeſtas ſquammas lichene .i. impetigo excitat, atque altiùs cutem depaſcitur, lepra propriè dicitur. Si uerò per extimam tantùm ſuperficiem extenditur, & corpora furfuracea emittit, pſora à Græcis, à nobis propriè ſcabies uocatur. Quãquàm ſcabiei nomen uulgò & medicis multis, latiùs longè pateat, qui omne cutis uitium, ſcabiem nominant. Itaque pura ac uera ſcabies Latinis is procul dubio affectus eſt, qui Græcis pſora uocatur, ab Auicenna etiam albara et morphea (contra quorundã opinionem) diuerſus. Porrò quod ipſi Auicennæ & Punicis ferè omnibus albaras dicitur, à Græcis & Celſo leuce nuncupatur. Illorum uerò morpheam Græci alphon uocant: in quo quidem affectu non tota quidem caro afficitur, ſed corporis duntaxat ſuperficies, ueluti (inquit Galenus) ſquammis quibuſdam inſpergitur. Sunt autem alphi ipſi Galeno genere duplices, nẽpe al-

Impetigo. Lepra. Pſora. Scabies. Albaras. Leuce. Lib. ult. de cauſis ſymptomatum. Alphi.

bi,qui ex pituita: & nigri, qui ex melancholico humore prodeunt. Sed hæc à rerum conſequentia tracti diximus. Neque enim leucæ, neq; alphi ipſi,inter tumores præter naturam annumerandi ueniunt, ſed potiùs inter cutis maculas,ſeu defœdationes. Quæ licet minime lædãt,quia tamẽ deboneſtant,maiori plærũque tædio(præſertim mulieribus) eſſe conſueuerunt,quàm multi alij lædentes quidem,ſed latentes morbi. Vtrunq; autem hunc affectum, leucam inquam & alphon, uitiliginis nomine Celſus (qui tres eius ſpecies facit)complexus eſt: quamuis alij medicinæ interpretes,Græca Latina facientes,leucam paſſim uitiliginem conuertant.

Itaque uitiligo, ſi genere quodam comprehendatur,fœdus cutis color eſt,ex malo particulæ alicuius habitu proueniens, quæ nutrimentum probè ſibi aſſimilare non potuit. Maximo enim facultatis alteratricis errore,uitium hoc contingit:cuius duplicem ſpeciem alij conſtituunt. Vnã quidem,quæ ſolam cutim inficit:alteram,quæ altiùs deſcẽdit,adeò ut carnẽ quoq; ipſam attingat,ac pilos coloret. Vtraq; aũt albo uel nigro præcipuè colore cõmaculat. Prior ſpecies ſiue alba ſiue nigra ſit,Græcis eadem uoce alphos dicitur, & Auicennæ morphea: Altera uerò ſpecies, quam profundiorem diximus,Celſo & Græcis leuce, Auicennæ Albaras,Halyab.lepra nuncupatur,fœdus quidem et difficile curabilis affectus,non tamen pernicioſus. Ex quibus intelligi poteſt, quòd parùm nominibus ſit fidendum,niſi res (inquit ille) adamuſſim fuerit explorata. Eadẽ enim uox ſæpe apud uarios autores diuerſam ac longè diſſidẽtem habet ſignificationem,ut paſſim in ijs commentarijs demonſtratur. Hæc autem obiter,de eiuſmodi maculis, & cutis deſœdationibus annotauimus,ut rerum confuſio, quæ ex perperàm intellectis nominibus ſẽqui ſolet,effugeretur. His igitur omiſſis,ad inſtitutũ reuertamur,ac reliquas puſtulas,breuiter quantùm fieri poteſt, percurramus. Ex quarũ etiam genere præter iam enumeratas cenſentur Græcorum iõnthi, epinyctides,hydroa,pſydraces, exanthemata, Celſi papulæ,& Plinij mẽtagra.

Vitiligo.

Parum nominibus fidẽdũ eſſe.

Iõnthi,parui ſunt,& duri in uultu, ſeu cute faciei tumores Galeno & Paulo,à craſſo humore progeniti,qui uel reſoluuntur, uel exiguo ingenito purè maturantur: Latinis uari dicuntur. Meminit Galenus libro quinto de medicamentis ſecundum locos,iõnthoſi cuiuſdam affectus,quẽ principium eſſe dicit elephantiaſis: ſub quo affectu uidetur tertium & quartum genus impetiginis Celſi comprehendiſſe.

Iõnthi.

Epinyctides Celſo puſtulæ ſunt peſſimæ,colore uel ſubliuido,uel ſubnigro,uel albo,fabæ magnitudinem non excedentes,in eminentibus partibus,

Epinyctides.

tibus,ut tibijs & pedibus maximè,naſcentes. Circa has uehemens inflã-
matio eſt,& cùm adapertæ ſunt, reperitur intus exulceratio muccoſa:
color eſt humori ſuo ſimilis: dolor uerò ex eis ſupra magnitudinem earũ
eſt. Neque enim ut diximus,faba maiores ſunt. Nomen à nocte accepe-
Vnde dicta epinyctis. runt,uel quòd noctu grauiori dolore torqueant,uel (ut Celſus uoluit) q̃
noctu ferè oriantur. Plinius eas, puſtulas liuentes ac noctibus inquietã-
tes nominat: Arabes uerò,eſſere,ſere,uel ſaire eiuſmodi puſtulas ſic no-
ctu infeſtantes,uocauerunt.

Sudamina. Planta noctis. Quod Græcis ſunt hydroa, Latinis quibuſdam ſudamina, & Pli-
nio papulæ ſudorum dicuntur: Auicennæ uerò, planta noctis: et Alman-
ſori,albaſaphum. Quò fit,ut epinyctis à planta noctis ipſius Auicennæ
plurimùm differat,tametſi uox ipſa Græca epinyctis (ut modò dicebã-
mus) à nocte etiam originem trahat. Sunt autem ſudamina hæc Ga-
Gal. de ſudaminibus. „ leno teſte libro tertio aphoriſmorum, comment. xxi. ex genere puſtula-
„ rũ,in ſumma corporis parte hærentium,quæ inſtar ulcerum cutem exa-
„ ſperant: proueniúntque, ut & nomen ipſum (inquit) indicat, ob multos
„ ſudores,uel bilioſiores,uel mordaciores,qui cutem mordent.& prurigi-
„ noſam reddunt,ac per modum ulcerum exaſperant. Porrò hæc affectio,
puerulis,atque iuuenibus,ſed his præcipuè,qui naturâ ſunt bilioſi, æſtus
tempore communis eſt,adeóque facilis curationis, ut per ſe abſque ullo
Deſudationes Auicennæ. præſidio albicantibus quibuſdam ſquammulis dimiſſis ſaneſcat. Auicen-
næ autem deſudationes (ut ex earum conſtat deſcriptione) potiùs exan-
thematibus Celſi, quàm ſudaminibus Galeni,reſpondere uidentur.

Si quis tamen nomina attendat, deſudationes ipſas principis Auicen-
næ,putabit Græcorum hydroa, quæ Latini ſudamina uocant. Verume-
nimuerò,non tam nomina ipſa, apud Barbaros & Arabicæ ſectæ autо-
res,ſequenda ſunt,quàm ipſæ rerum deſcriptiones.

Pſydraces. Pſydraces,ſeu pſydracia,puſtulæ ſunt, parùm ſupra ſummam cutẽ
eminentes,phlyctænis,hoc eſt, bullis,quæ ab igne excitantur,perſimiles.
Hæ in capite præcipuè naſcuntur. Pſyzaciõ corruptè legitur apud Cel-
ſum pro pſydracion.

Morbilli. Variolæ. Exanthemata. Ecthymata Scopuli. Puſtulæ illæ in cute florentes,quæ uulgò morbilli & uariolæ nuncu-
pantur,Galeno exanthemata, Hippocrati ecthymata dicuntur. Plinius
papulas & interdùm pituitæ eruptiones uocat. Porrò uariolæ & ſco-
puli uocati,à materia fiunt craſſiore,morbilli à tenuiore. Papulæ tamen
ſcopuli uulgò dictæ, maiores ſunt uariolis. Hæ minora, illi magna ecthy
mata ſunt Hippocrati,lib.3.Epid. Morbilli uerò eidem herpetes magni
nominantur. Magnos autem (ait Galenus) herpetas dixit Hippocrates,

uel

uel quia magnum occupat locum, uel quia cum maligna contingunt ero- »
ſione. Morbilli nanque, quandoque altero tantùm, quandoque utroque »
modo magni uiſuntur.

Cornelius Celſus libro quinto ſuæ medicinæ poſt tractatum de im- Papulæ Celſi.
petigine, meminit duplicis papulæ: unius quidem leuioris, quæ ſi ieiuna
ſaliua quotidiè defricatur, ſaneſcit: alterius maioris, in qua magis cutis
exaſperatur, exulceratúrque, ac uehementiùs & roditur, & rubet, dif
ficiliúſque ſaneſcit. Hanc agriam, id eſt, feram dicit à Græcis appella-
ri. In utroque tamen genere, minus uitij, quàm in impetiginibus agnoſcit,
adeò ut id quod difficilius ſaneſcit, niſi ſublatum ſit, in impetiginẽ uerti,
ac tranſire, adfirmet. Galli (ſi quid iudico) genus utrumque, ſed prius
maximè, dartras appellant. Id enim uitium maximè rotundum inci- Dartræ Gallicæ.
pit, eadémque ratione in orbem procedit, ac tardè ſerpit. Quæ omnia
papulæ primi generis Celſi conueniunt. Has autem Celſi papulas, nihil
à Græcorum lichenis differre, nonnulli conſtanter aſſeuerant. Eúmque
ſolum autorem inter Latinos, lichenas, papulas uertiſſe legimus.

Mentagra, Latina uox eſt Plinio, qua rem omninò aliam ab impe- Mẽtagra.
tigine, in principio libri xxvi. uiſus eſt ſignificaſſe, longéque peiorem
affectum, quàm quem Græci lichenis nomine intellexerunt: licet in me-
dicinis quandoque Græcorum lichenas impetiginem ſit interpretatus,
& morbum eiuſmodi mentagram appellatum, eo loco etiam lichenas uo
cet. Porrò refert idem Plinius, malum hoc Tiberij Cæſaris principatu, Plin. li. 26.
primùm in Italiam irrepſiſſe, omníque æuo priore uniuerſæ Europæ,
nedum Italiæ, incognitum: tanta quidem fœditate, ut quæcunque mors
huic præferenda eſſet: tanta etiam cõtagione, ut oſculo ſolo ueloci trãſi-
tu inficeret, ſed proceres maximè. Hæc lues, à mẽto ferè oriebatur, un-
de & nomen illi factum eſt mentagra.

Cæterùm morbum hunc agnouiſſe uidetur Galenus. Quinto enim Mentagrã agnouit Galenus.
libro de medicamentis compoſitis ſecundum locos, meminit fœdiſſimæ
cuiuſdam menti impetiginis, quæ pruritum (ut ex Critone refert) excí- »
tat: & affligit patientes, atque in diſcrimen non mediocre adducit. Nã »
interdum per uniuerſam faciem ſerpit, & ad oculos uſque procedit, & »
ferè ſupremæ deformitatis cauſa efficitur. Quæ impetiginis deſcri- »
ptio, per omnia mentagræ Plinij conuenit. Errant autem uehementer,
qui fœdiſſimum hunc lichenem, mentagram à Plinio appellatum, mor-
bum eum eſſe exiſtimant, quem hodie uulgò quidam Gallicum, alij
Neapolitanum, alij citra odium & iniuriam nationum, Venereum ap- Morbus Neapolitanus.
pellant. Hic enim ueteribus & priori ſæculo omninò ignotus fuit, pri-
múmque

Morbus uenereus quã dò primùm in orbẽ irrepſit.

mámque apud Neapolim irrepſit anno à Chriſto nato 1493. Quo tẽpore Carolus Gallorum Rex inuictiſſimus, alpes ſuperabat, Italiam petiturus, quanuis anteà non longè per Hiſpanias (ut quidã referunt) ſerpſiſſet: quapropter tanquàm inde tracta origine, lues Hiſpanica cœpit appellari. Quæ peſtis diuina ueluti ultione (ut par eſt credere) ob fœdos, illicitos, atque à Deo uetitos concubitus, in terras immiſſa, magnam generis humani partem ſua contagione fœdauit, & proſtrauit. Id enim malum ſenſere magiſtratus, ſenſere mancipia, ſenſere proceres, ſenſit humilis plebs, ueloci unius ad alterum tranſitu: iamque per Hiſpanias, Gallias, Italiam, totámq; Europam magno mortaliũ diſpendio uagatur.

Puſtulæ glãdoſæ.

Sunt & puſtulæ quædam præter has modò enumeratas, apud Auicennam libro quarto glandoſæ dictæ, quæ nihil à ganglio differre uidẽtur, niſi minoris tantùm maioriſue ratione. Mentio quoque eſt apud eũdem Auicennam lib. 3. de quibuſdam puſtulis, quas iunctura rum bothores uocat, & lib. quarto almatim, quas cùm nigras eſſe dicat, & uiridibus granis ſimiles, Græcorum procul dubio terminthi erunt, quos ſuprà inter phymatis ſpecies enumerauimus. Has uidetur Celſus ſimiles uaris facere, & putare à Græcis belcodes dici, id eſt ulceroſas.

Terminthi.

Puſtulæ albæ.

Puſtulæ albæ uel lacteæ Raſis & Serapionis, & bothor leues Auicẽnæ, ſi earum deſcriptiones penitùs inſpiciantur, ad ionthos Græcorum, quos Latinè uaros nominauimus, pertinere uidebuntur, quanquàm eadem remedia, quæ ad illas ſcribit Auicenna, à Dioſcoride ad ephelidas præcipiantur.

Hactenùs de differentijs tumorum præter naturam, qui præcipuè foris in corpore fiunt.

De cãuſis tumorum præter naturam, extrinſecus apparentium, in vniuerſum. Cap. III.

Cauſæ tumorũ præternaturã.

Auſæ tumorum præter naturam, recentioribus medicis & chirurgis, geminæ ſtatuuntur, generales ſcilicet, & ſpeciales. Generales cauſæ ſunt, fluxio, quod Græci ῥεῦμα uocant, & congeſtio. Rurſus fluxionis cauſæ ijſdem ſex numero conſtituuntur. Nempe membri propellentis robur, excipientis imbecillitas, materiæ copia ſeu multitudo, meatuum deferentium, (id eſt, per quos fit fluxio) laxitas ſiue amplitudo, propellentium anguſtia ſiue ſtrictura, & loci fluxionem excipientis ſitus inferior. Hæ autem ad quatuor reduci poſſunt, utpote ad membrum propellens, particulam ſuſcipientem,

Fluxionis cauſæ 6.

pientem,humoris fluentis conditionem,et ſpacium per quod fit defluxio.

Cæterùm fluxio concitatur ratione membri expellentis, uel propter robur facultatis expultricis ipſius, uel propter connexum naturalem, quem habet cum membro excipiente, uel propter propriorum meatuum anguſtiam. Pars uerò aliqua fluxionem excipit,quia uel dolens, aut calida,uel imbecillior,uel rarior, atque ignobilior, uel in inferiori loco ſita. Porrò ratione humoris fit defluxus in partem aliquam, quia ſit copia ſuperuacuus,qualitate moleſtus,ſubſtantia tenuis:ſpacium autem fluxionis cauſa exiſtit,ob meatuum amplitudinem, utpote uenarum, arteriarum,& pororum.

Pars propellens.

Particula excipiens.

Humor fluens.

Spacium.

Congeſtionis uerò(quæ altera eſt cauſa generalis tumorum qui præter naturam incidunt) cauſæ geminæ aſſignantur: nempe error uirtutis,quæ alteratrix & altrix dicitur,& imbecillitas expultricis. Ex quibus colligitur,quòd tumores calidi, magna ex parte fiunt à defluxu humorum:frigidi uerò eorundem congeſtione potiùs excitantur.

Congeſtionis cauſæ.

Quomodò autem calida fluxio tumorem excitet, apertè ac ſcitè demonſtrat Galenus,libello illo cui titulum fecit de inequali intemperie, ad hunc modum ſcribens: Statim defluxione calida ad muſculũ decumbente,primùm arteriæ maiores, uenæque opplentur, ac diſtenduntur:ab ijs uerò minores, atq; ita res procedit,donec ad minimas ſit peruentum. In ijs ubi ualenter impacta fluxio eſt, & ampliùs contineri non poteſt,pars eius per ipſarum orificia egreditur, pars per tunicarum foramina percolatur ad exteriora,atque exinde fluxione implentur ſpacia uacua atque intermedia primorum corporum. Sic omnia ab humore,omníque ex parte incaleſcunt,ac perfunduntur. Sunt autem hæc,nerui,ligamenta,membranæ,caro ipſa,& ante hæc arteriæ & uenæ: quæ ſcilicet & primæ & præter cætera uario dolore afficiuntur. Quippe interiùs à fluxione tum excalfiunt,tum diſtenduntur, ac diuelluntur,diſtrahuntúrue. Exteriùs non modò excalfiunt, ſed etiam premuntur, ac degrauantur. Reliquæ uerò particulæ,aliæ quidem calfiunt tantùm, uel comprimuntur,aliæ utroque modo laborant. Atq; hic morbus phlegmone nominatur. Hactenus Galenus. Itaque in eiuſmodi tumoribus præter naturam,qui ex humorum influxu fiunt, aliquid iam(per initia ſaltem, & anteq̃ reſtiterit fluxio)factum ac generatum eſt,et aliquid adhuc futurum,atque in generatione eſt:hoc fiens, illud factum eſſe, uulgò dicunt. Quod adhuc fit ſiue fiens,materia eſt antecedens, quæ adhuc in fluxu eſt: factum uerò,materia coniuncta,quæ iam influxit, & in parte laborante impacta eſt. Hinc non ſimplex,ſed compoſita, in eiuſmodi

» Quomodò calida defluxio » tumorem » creet.

Omniũ morborũ qui adhuc ĩ gignẽdo sunt duplicem esse indicationem.

pblegmone, quæ in generatione adhuc est, (ueluti in reliquis alijs tumoribus, ac morbis etiam omnibus, qui in gignendo adhuc sunt, necdum absolutionem sunt nacti) medentis sollicitudo est Galeno, ex ea scilicet quæ prouidet, & ea quæ curat: sed hæc alterius sunt contemplationis.

Cæterùm tempestiuum est, ut speciales (quas uocant) tumorum, qui præter naturam sunt, causas subijciamus. Hæ autem tres uulgò assignantur: Primitiuæ, quæ & prægressæ, & euidentes nobis dicũtur: antecedentes, & coniunctæ. Græcis dicuntur προκαταρκτικαὶ, προκουμέναι, συνεχεῖς. Prægressæ seu primitiuæ causæ dicuntur, quæ dum aduersam ualetudinem seu morbosos affectus crearunt, separantur, ut casus, percussio, fractura, distensio, luxatio, aut error qui in uictus ratione cõmittitur. Antecedentes seu præcedentes causæ dicuntur, quæ paratæ sunt morbos efficere, ut sunt humores quatuor tam naturales (ut loquuntur) quàm non naturales. Naturales humores sunt, qui ad corporis nutritionem sunt idonei, & in massa sanguinaria continentur: proinde & una sanguinis appellatione continentur. Qui si ex uenis aut arterijs effundantur, subitò concrescunt, siue extra corpus manent, & profluant, siue in ipso adhuc quocunque loco contenti, remaneant.

Causæ speciales tumorum præter naturam.

Prægressæ.

Antecedẽtes.

Naturales humores q dicantur.

Humores nõ naturales qui dicantur.

Non naturales uerò eos appellant, qui à sanguine, quo partes nutriuntur, hoc est, massa sanguinaria, separati inueniuntur, & ob suam prauitatem uel corruptelã, ex seipsis, hoc est, ex natura sua, inepti sunt ad corporis nutricationem, & ad alimoniam illi præstandam: qui quãtumuis etiam in aëre nos ambiente permaneant, nunquàm concrescunt. Hi autem uel quadam naturæ prouidentia, certi alicuius usus gratia, in conceptacula quædam relegantur, aut foràs ad corporis extima propulsi, tumores non ueros, ac illegitimos appellatos, abscessus inquam, pustulas, & cutis defœdationes generant. Interdum uerò insensibili perspiratu, uel sensibiliter per sudores, digeruntur, atque exhalant. Nonnunquàm intrinsecus putrescunt, & febres excitant. Atque hi (inquiunt) æquiuocè & impropriè humores dicuntur, naturaliúmque nomina sibi usurpant. Solum enim eos succos, qui ab hepate in sanguinea generatione, nutritionis, ac fluoris nostri corporis reparandi gratia conficiuntur, propriè humores censent appellandos. Cuiusmodi est sanguis uerus ac purus, biliosus, pituitosus, & melancholicus, quo singulæ nostri corporis partes nutriuntur, instaurantúrque. Aliæ quidem puriore, & (ut ita dicam) magis sanguineo, aliæ uerò biliosiore, aliæ pituitoso magis, aliæ melancholico, prout cuiusque natura expostulat.

Qui succi propriè humores dicantur.

Itaque humores uniuersi in uenis & arterijs continentur, quod & colòris

coloris ipſius,& conſiſtentiæ uarietas indicat,ut libro de atra bile Galenus expreßit.

Porrò ex ijs quatuor humoribus naturalibus dictis,quatuor præcipui ac legitimi tumores præter naturam fiunt, quæ uulgò apoſtemata uera nominare ſolent.In quibus ſcilicet tumor ad ſenſum magnus eſt, & materia,unde procreantur,magis quantitate peccat,quàm qualitate. Hi autem propriis nominibus dicuntur phlegmone, eryſipelas, œdema, ſcirrhus. Ex non naturalibus uerò (ut uulgaribus medicis placet) abſceſſus,quas exituras uocant,& puſtulæ oriuntur, de quibus in præcedentibus abundè diximus. Atque hos tumores, abſceſſus inquam & puſtulæ,apoſtemata non uera eiſdem cenſentur. Ad quæ, & alia duo tumorum genera reduci uolunt,flatuoſos ſcilicet(quas & inflationes uocamus)& aquoſos,qui ex ſeroſa ſubſtantia procreantur,uulgò apoſtemata uentoſa & aquoſa nuncupant. Itaque ſex ſunt nomina ſimplicium (ut loquuntur)apoſtematum:nempe apoſtema phlegmonoſum, eryſipelatoſum, œdematoſum,ſcirrhoſum,flatuoſum,& aquoſum. Compoſitis uerò,(quoniam horum infinita propemodùm turba eſt) non omnibus propria ſunt indita nomina, ſed illis duntaxat, in quibus humor aliquis ſupra cæteros dominium obtinere euidenti ratione deprehenditur, ut iam ex præcedentibus ſatis innotuit,& rurſus in ſequentibus ſuo loco plenius oſtendemus.

Ex quatuor humoribus naturalibus,quatuor fiũt legitimi ac præcipui tumores.

Ex humoribus nõ naturalibus qui tumores fiant.

Cæterùm cauſæ coniunctæ ſeu continentes tumorum præter naturam,quos apoſtemata,puſtulas,& exituras uocant, ſunt materiæ,quæ in particula ipſa laborante, aggregatæ & infartæ reperiuntur, quæq; adhuc permanent,poſtquàm tumorem excitarunt: a dum increſcũt,tumores ipſi augentur:cùm decreſcunt,minuuntur : & cùm deſinunt,finiuntur.Cauſa enim coniuncta ſiue continens, morborum omnium ac diſpoſitionum quæ in corpore ſunt, in uniuerſum ita ab Auicenna, & uniuerſo iuniorum medicorum cœtu definitur. Quæ cùm præſens eſt, eius quoque morbus adeſt : cùm uerò tollitur, etiam morbus euaneſcit.

Cauſæ cõiunctæ tumorũ præter naturã.

„ Continẽs „ cauſa quæ „ dicatur.

Verumenimuerò quidam huius ætatis medici non uulgariter eruditi,duas tantũ eſſe morborũ cauſas Galeno contendũt, externã uidelicet & internam,ſiue ut nunc loquuntur,primitiuam & antecedentem.Itaq; primitiuam atque externam cauſam(inquiunt) appellat Galenus, quæ extrinſecùs corpori aduenit, ipſumque uehementer alterat,atq; immutat, quæque dum aduerſam ualetudinem creauit,ſeparatur : ueluti calor,frigus,ſcorpio pungens,Græci(ut diximus) eam προκαταρκτικὴν uocant:internam uerò ſiue antecedentẽ nominat Galenus, quæ in ipſo ani-

malis corpore conſiſtit,& iam morbum facit. Eam autem, quam coniũctam appellant, ne (inquiunt) ſomniauit quidem, cùm ſecundũ huius ſententiam, affectus actionem impediens, aut uitians, morbus ſit, & nõ morbi cauſa. Coniũcta autem illa cauſa, quam Auicenna eiúſq; ſequaces ſomniarũt, (ut ex data ab ipſis deſcriptione conſtat) affectus ſit actionẽ læsens, quæ propria eſt morbi definitio. Nihil igitur cauſa illa coniũcta, à recentioribus medicis, & eorũ principe Auicenna introducta, à morbo prorſus differt, à quo primùm ea, quæ ſecundum naturam eſt actio, læditur. Cæterùm cùm hæc de triplici cauſarum morbificarũ genere opinio iam inueterauerit, & apud omnes ferè noſtræ etiamnũ ætatis medicos irroborauerit, non abſurdum uidebitur, ſi eas morboſas cauſas paſſim in hoc opere, dilucidioris doctrinæ gratia, huiuſmodi nominibus diſtinguamus: nempe primitiua, antecedente & coniuncta. Atq; hæc de cauſis tumorum præter naturam dicta ſufficiant: nũc poſtulat ordo ac orationis ſeries, ut eorũ ſigna, & iudicia ſubijciamus, modò tamen pauca de abſceſſuum natura & generatione præmiſerimus.

Coniunctã cauſam nihil à morbo differre, quorũdam opinione.

Abſceſſus qui dicãtur Galeno.

Itaque abſceſſus, qui Græcis ἀποσήματα, & uulgò exituræ dicũtur, Galeno libro de tumoribus præter naturam, & ſecundo ad Glauconem, diſpoſitiones ſunt, in quibus abſcedunt, atq; inuicem diſtant, quæ priùs ſe contingebant corpora. Materia enim quæ eiuſmodi tumores excitat, extra carnem muſculi propulſa, continentia à ſubiectis diducit, & abſcedere facit. Spacium igitur (inquit Galenus) uacuum in medio fieri oportet, quod aliquam ſubſtantiam ſpirituoſam, uel humidam, uel mixtam ex utriſque comprehendit, quæ temporis diuturnitate in multiformes & uarias ſubſtantias alterantur.

Duplex genus abſceſſuũ Gal. li. 14. therap. meth. & li. 2. ad Glau.

Duplex autem eſt eiuſmodi abſceſſuum genus: unum, cùm inflammatio in pus uerſa, pus ipſum tanquàm in ſinu aliquo eſt collectum: alterum, cùm nulla præcedente inflammatione, humor aliquis, iſque aliàs ſpecie aliùs, uel ſpiritus aliquis uaporoſus, aut ſubſtantia ex utriſque mixta, in parte aliqua colligitur. Quod bifariàm accidit: nam uel in ſpacio ipſo, quod abſcedentes interiacet partes, eiuſmodi ſubſtantia, ſine præuia defluxione generatur, aut aliunde in ipſam laborantem particulam confluit, uel ſtatim quidem ab initio, uel ea ratione, quòd fiũt illa quæ ἀποσήματα uocantur. Nominant uerò (inquit Galenus) ſic huiuſmodi diſpoſitionem, cùm qui priùs unum membrum infeſtant humores, eo relicto, ad alterum tranſmutantur. Spatium autem ſibi molitur eiuſmodi ſubſtantia, quæ abſceſſum creat, uel inter duas tunicas, uel ſub quibuſdã membranis. Porrò excoriat tandem circũpoſita corpora, uel quia omninò

ἀποσήματα.

nò acris,aut omninò ipſa copia diſtendẽs,aut putredinem quandam tempore contrahens: Sed & iam tunc acris eſt. Quòd ſi humiditates ipſæ, quibus ſpacium,quod abſcedentes interiacet partes,completur, & abſceſſus excitatur,longo interdùm tempore perdurauerint,plures (ut ſuprà diximus)habent alterationes,atque in uarias ſubſtantias tranſmutantur,quæ non humorum modò, ſed etiam ſolidorum quorundam corporum proprietates repræſentant. Nam & lapidibus, & harenis, & teſtis,& lignis atque carbonibus, & luto, & olei limo, & uini feci, & ſtipulæ,ac multis alijs talibus,ſimilia corpora,in abſceſsibus continuri inueniuntur, ut iam ſuprà de differentijs tumorum explicuimus.

Quæ in abſceſsibus inueniantur.

De ſignis tumorum præter naturam extrinſecùs apparentium,in vniuerſum,& eorundem iudiciis. Cap. IIII.

NOtæ tumorum præter naturam ſumma corporis occupantium (quorum duntaxat ſpeculatio ad chirurgum pertinet) ſenſuum organis, ac cuiuſque particulæ laborantis præſentia,facilè deprehenduntur. Vbicunque enim incrementum apparet, naturalem ſtatum excedens, ac præter naturæ modum particulam quam occupat diſtendens,eiúſque actionem lædens, quod uel humor aliquis,uel ſubſtantia ex humore procreata, aut quæ ad humorem (ut loquuntur)ſit reducibilis,uel uaporoſus ſpiritus gignit,ibi & tumorem præter naturam,ſeu(ut dicunt)apoſtema generaliter loquendo,eſſe neceſſe eſt. Cæterùm tumores,quæ uera apoſtemata appellant, tumore,dolore,& calore,magis uel minùs intenſis,dignoſcuntur. Non uera aũt,quæ puſtulas & abſceſſus nominauimus,præter tumorem,malignitate quoque,ſeu (ut eorum uerbis utar) mala morigeratione, & ſequeſtratione etiam maiore uel minore, hoc eſt,ſecundum magis & minùs(ut ab eorum uocibus non recedam)determinata,deprehendũtur & ſignificantur. Signa autem particularis cuiuſque differentiæ & materierum ex quibus fiunt,in ſequentibus ſuo loco dicentur, dum ſcilicet de ſimplicibus ipſorum,qui præter naturam conſiſtunt tumorum differentijs tractabitur.Ex quibus & compoſitæ facilè dignoſcentur.Verumenimuerò non priùs ad particularia eſt accedendum, quàm de uniuerſalibus ſermo fuerit abſolutus: is enim ordo in diſciplinis obſeruari ſolet: nec immerito ſanè. Nam uniuerſalia ipſa atque communia manifeſtiora ſunt nobis quàm particularia: quippe quæ magis promiſcua,cõfuſioráq; ſint,quàm particularia, ut primo cap.lib.1.phyſicorum docet Ariſtoteles.

Notæ tumorum præter naturã uniuerſales.

Ariſto.lib. 1.Phyſico.

Aristoteles. Nemo igitur miretur, si passim in hoc opere chirurgico, à communioribus & plura comprehendentibus, semper inceperimus, tum ob nuper adductam rationem, tum quòd secundum naturam generalitas specialitatem antecedit, ut idem testatur philosophus. Sed ad propositum reuertamur, & iudicia tumorũ præter naturam consistentium perſequamur. Circa quæ primùm aduertẽdum est, omnes eos tumores, quæ uera apostemata uocant, si Galeno & Auicennæ credimus, inuicem magna ex parte complicari, neque facilè aliquem eorum syncerum & purum inueniri. Nam (ut Galenus inquit) phlegmonæ, hoc est, inflammationi ex sanguine, magna ex parte miscetur aliquid, quod uel erysipelatis, uel œdematis, aut scirrhi naturam seruet. Erysipelati autem, quod phlegmones, aut œdematis, aut scirrhi speciem referat. Et ita in reliquis omnibus similiter perpende. At uerò ij præter naturam tumores, quæ non uera apostemata appellitant, ut plurimùm synceri ac puri reperiuntur. Cæterùm simplicium ac syncerorũ curationes in sequentibus perſequemur, ex quibus & compositorum, & implexorum curatio facilè intelligetur. Nam omnes & perſequi & componere, superuacaneum mihi uidetur. Si enim simplices ipsos tumores omnes cognoueris, deinde quo pacto inter seſe componantur didiceris, satis idoneus eris, qui in reliquis particulatim te exerceas. Sed iam reliqua quæ in uniuersum de tumoribus ipsis sumuntur iudicia perſequamur.

Generalitas specialitatem antecedit.

Iudicia. 1.

Lib. de diff. morborum.

2. Periodi, paroxismi, & criſes tumorum qui præter naturam sunt, humorum ex quibus conflantur analogiam (inquit Guido) ſequuntur. Analogiam autem hîc interpretamur proprietatem, ſeu proportionem, naturam, ac ſubſtantiæ ſimilitudinem, quam formam ſpecificam & occultam appellant.

3. Tumores eiuſmodi præſertim ſalubres, & qui per humorum influxum fiunt, quatuor temporibus diſtinguuntur, principio, augmento, ſtatu, & inclinatione. Principij nota eſt, cùm particula incipit diſtendi, & fluxionis adeſt initium, cum dolore adhuc exiguo.

Quatuor tẽpora tumorũ præt. naturam.

1. Principiũ.

Incrementum adeſſe iudicabis, cùm uideris tumoris molem attolli, locúmque affectum impleri, & in ſublime efferri, ac ſymptomata, quæ unumquemque tumorem ſequi ſolent, manifeſtè augeri.

2. Augmentum.

Status uerò indiciũ eſt, cùm prædicta omnia, tumor ſcilicet & ſymptomata cuiuſq; tumoris differentiæ, proprium uigorem ſuum obtinent: nec ampliùs poſſunt incrementũ aſſumere, quin materia faciens tumorem, in aliam formam ſeu ſubſtantiam alteretur, & tranſmutetur.

3. Status.

4. Declinatio. Declinatio autem tunc adeſſe cognoſcitur, cùm tumoris moles, & propria ipſius ſymptomata, imminuuntur, uel materia quæ tumorem facit, in aliam ſubſtantiam

am incipit tranſmutari. Itaque tempora hæc (ut inquit Guido) penes tria potiſsimùm diſtinguuntur: nempe penes ipſius tumoris eſſentiã, hoc eſt, magnitudinem, uel paruitatem, penes materiæ diſpoſitionẽ, & accidentia, quæ curandi indicationem plurimùm immutant. Cæterùm quatuor hæc tempora ſimul aliquandò coïncidere uidentur, propter breuem ſcilicet ac pene imperceptibilem uniuſcuiuſque durationem, ut contingit in uenenoſis inflammationibus non lætalibus, quæ ſtatim uigent ac florent. Porrò tumores huiuſmodi, qui ex humorum præſertim fiũt influxione, niſi retrocedant (hoc eſt, fieri prohibeantur, per repreſſionem ſcilicet fluentis materiæ) uel ſponte, & citra ullam rationalem cauſam, intrò recurrente fluxione, minimè deliteſcant, altero iſtorum quatuor modorum terminantur: nempe uel inſenſibili exhalatione ſeu reſolutione, uel facta ſuppuratione, uel corruptione, uel induratione.

Tẽpora tumorũ præter naturã à tribus po 4.) tißimũ ſuũ diſcrimen aſſumunt.

5. Tumores præter naturam quatuor modis terminãtur

Omnium autem iſtorum modorum optimus, & magis expetendus, is eſt, qui per ſenſu imperceptibilem fit diſſolutionem: poſt illum uerò, qui per ſuppurationem. At quæ per indurationem fit tumoris præter naturam terminatio, ſimpliciter atque abſolutè mala dicitur. Quæ autem fit ad corruptionem particulæ laborantis, omnium peſſima cenſenda eſt, ut apertè nobis Galenus inſinuat, libello de inæquali temperie, ad hunc modum ſcribens, poſtquàm docuit, quomodò fiat phlegmone, ex calida defluxione in muſculum decumbente. Itaque (inquit) duorum alterum ſequi eſt neceſſarium, uel ſuperante fluxione, corporum quæ ſuccubuere, ſequi corruptionem, uel ea deuicta, muſculum ad naturalem habitũ reuerti. Subijciamus igitur ipſam primùm fluxionem ſuperari: rectiùs enim à melioribus incipitur. Duplex hîc incidit curationis modus: quòd ſcilicet uel digeretur, ſeu diſſoluetur, quicquid humoris in particulam procumbit, uel concoquetur: uerùm diſſolutio optabilior exiſtit. Ad concoctionem autem hæc duo neceſſariò conſequuntur: nempe puris generatio, & eius in aliquod ſpacium abſceſſio. Et paucis interiectis ſubiungit, At ſi uictæ à fluxione particulæ fuerint, in tantam hæ deuenient intemperiem, q̃ eorum operatio deſtruetur, & ipſæ temporis proceſſu corrumpentur. Hactenùs Galenus.

„ Gal. lib. „ de inæ „ quali in „ tẽperie. „ „ „ „ „ „ „ „ „ „

Diſſolutionis autem ſeu reſolutionis indicia ſunt, leuitas membri, & deficiens pulſatio. Signa, tumorem uerti in ſuppurationem, indicantia, ſunt, dolor intrinſecus, pulſatio, & caloris incrementum. Fluxionem uictricem eſſe, & particulæ laborantis corruptelam, teſtantur, nigror, & liuiditas, quibus nonnunquàm & graueolentia accedit.

Diſſolutionis ĩdicã. Suppurationis notæ. Corruptionis ſigna.

Tumorem lapideſcere, hoc eſt, in lapideam abire duritiem, apertè

Indurationis notæ.

demonſtrat,tumoris imminutio,& cum hac, durities remanens.

Regreßionis & deliteſcentiæ notæ ſunt, ſubita tumoris diminutio, quæ interdùm propter nimiam refrigerationem, nonnunquàm uerò ꝓpter uenenoſitatem (nullis forinſecùs admotis reprimentibus) accidit. Ad hanc autem ſubitam atque affatim factam tumoris imminutionem, febris ſtatim conſequitur,ac multa alia praua ſymptomata. Hactenùs de ſignis & iudicijs eorum tumorum, quos uulgò apoſtematis nomine propriè cenſent appellandos. Puſtularum autem uulgò nuncupatarũ notæ & iudicia ſuo loco,cùm de illis tractabimus,dicentur. Abſceſſuum uerò (quas exituras uocant)iudicia,ac ſigna, quæ uel ſtatim eos futuros denunciant,uel iam præſentes adeſſe demonſtrant, hæc ſunt:

Cùm uideris(inquit Auicennas)pulſationem aut duritiem,in longũ iam tempus productam, uel caliditatem aut dolorem increſcentem, tunc exiſtima quòd apoſtema proximum eſt,ut in ſuppurationem uertatur, & fiat exitura, id eſt, abſceſſus. Cùm autem conſpexeris ac deprehenderis leuitatem quandam affectæ particulæ,& doloris ſedationem, ac remiſſum calorem,quódq; tumentis loci pars aliqua cæteris emineat, atque in mucronem ſubducatur: ad hæc cùm premendo digitis inundationem(ut loquuntur)perceperis,uideríſque gibbi illius ſeu mucronis colorem iam albeſcere,tunc certò credere oportet, pus eo loci ſubeſſe,& tumorem iam abſceſſiſſe. Vnde & ab Hippocrate rectè eſt iudicatum,Quòd dum pus conficitur,dolores ac febres magis accidunt, quàm iam confecto pure. Porrò notæ eiuſmodi tum iam facti abſceſſus, tum mox futuri,uulgaribus ijs uerſiculis communiter exprimuntur:

Durities longa,pulſus,dolor,& calor aucti
Signant pus fieri: ſed factum,dicta remiſſa,
Sub digitis undans,albeſcens pars,& acuta.

Cæterùm, in pure ipſo cognoſcendo ac dijudicando, maximè te attentum eſſe conuenit. Quandoquidem ſuppuratio ipſa, ſeu puris in loco aliquo comprehenſi notitia,multoties occultatur, nec ſatis medico innoteſcit,ob loci ſcilicet & puris craſſitudinem, ut hac aphoriſtica ſententia nobis expreſſit Hippocrates: Quibuſcunque ſuppuratio in corpore exiſtens,non innoteſcit,his ob craſſitudinem puris,aut loci,non innoteſcit. Atque hæc de ſignis abſceſſuum,quas exituras uocant, dicta ſufficiant. Porrò de horum iudicijs, hæc ab Auicenna & recentioribus chirurgis ſcriptis tradita ſunt.

Abſceſſus uulgò exitura dictus, qui iuxta membrum aliquod nobile,uel prope iunctura ſit,atque adeò in uenoſis, aut neruoſis ipſis partibus,

Regreßionis & deliteſcentiæ indicia.

Signa mox futuri abſceſſus,ex Auic.

Notæ abſceſſus iã facti.

Ap.47. lib.2.

Aph.41. lib.6.

Iudicia abſceſſuum.

tibus, quíque in debili particula, & natiuo calore propemodùm deſtituta, prædura quoque & denſa cute obiecta, conſiſtit. Ad hæc qui craſſiore materia, & ad motum tardiore conſtat. Planus etiam ſeu æquabilis, & in coni formulam non ſubductus, ſuſpectus admodùm eſt, ægréq; ac tardè maturatur. Quocirca maturantibus, & pus mouẽtibus, auxilijs, ac celeri maturáue apertione indiget. Qui uerò huic ex aduerſo reſpondet, boni moris eſt, & laudabilis. Citò enim & facilè maturatur, et in ſuppurationem uertitur, ſæpiúſque nullo forinſecùs adhibito auxilio, per ſe debiſcit, aperitúrue. Itaque ſi abſceſſus tendit in acutiem, & puris ſubſtantia tenuis fuerit & acris, nec prædura aut denſa cutis extiterit, natura ſeipſa, hoc eſt, ſua facultate alienorũ expultrice, et citra aduentitiũ aliquod ſubſidium conceptũ humorẽ foràs propellet: niſi quis facta inciſione protinùs ipſam ſpontaneam apertionem anteuertat. Cæterùm, abſceſſus ipſi nonnunquàm per halitum digeruntur, hoc eſt, per reſolutionem terminantur, nulla tunc in cute facta cõtinui ſolutione, ubi ſcilicet pus & modicum eſt, & bonum, tenue quoque & non in alto deliteſcens. Sæpiùs tamen facto à natura uel arte emiſſario, conceptus humor profunditur, quàm digeratur reſoluatúrue. Quæ autem à natura fit apertio, multò tutior eſt, quàm quæ arte tentatur: quòd ſi arte fiat, ſecuriùs adhuc & meliùs ſcalpello aut candenti ferro illam moliemur, quàm adurente medicamento, quod ruptorium appellant. Ideò autem ea ſectio, quam in abſceſſibus manu & arte molimur, deterior eſt ea apertione quæ naturæ beneficio accedit, quoniam (ut inquit Auicennas) generatiua ſit ſaniei (quam uirus & uirulentiã appellant) ſordiciei quoque & fiſtularum. Vbi tamen urget neceſſitas, nec alio datur uti meliori et præſentiore auxilio, ea intrepidè aggrediunda eſt. Hæc autem modò commemorata incommoda uitabis, ſi facta (cùm res expoſtulat) ſectione, et continui ſolutione, pus mouentia, ad reliquiarum concoctionem ſeu maturationem et detergentia, prout res exigit, laboranti particulæ, mox adhibueris. Cæterùm puris optimi, ac deterrimi notas, oraculo ultimo libri primi præſagiorum, nobis expreſſit Hippocr. ad hunc modum inquiens: Pus illud optimum cenſetur, quod album, æquale, [id eſt, ſibi undique ſimile] leuéque [tangenti] & q̃ minimè fœtidum eſt: Quod uerò huic maximè contrarium apparet, peſſimum eſt. Porrò reliquorum aliorum, tum humorum, tum ſolidorum corporum, quæ in abſceſſibus continentur, ſigna & iudicia in particularibus capitibus ſubſequentibus explicabuntur.

Qui abſæſſus facilè cõcoquantur.

Qui abſæſſus per reſolutionem maximè terminentur.

Meliùs ac tutiùs ſcalpello, q̃ ruptorio abſæſſus aperiuntur.

„ „

„ *Puris optimi et deterrimi notæ, ex Hip.*

De curatione tumorum præter naturam in vniuerſum, (eorum maximè, qui ex influxu humorum fiunt, veráque apoſtemata vulgò dicuntur) & abſceſſuum, quas exituras vocant. Cap. v.

Tumorũ omnium curãdorũ cõis indicatio.

TVmorum omnium, qui præter naturam ſunt, iam factorum, & qui non adhuc in generatione ſunt, communis ac prima curandi indicatio: una eſt Galeno lib. 13. & 14. meth. med. nempe ut quod præter naturam in particula eſt, & eam in tumorem attollit, totum uacuetur. Qui uerò adhuc in generatione ſunt, in his prior uacuatione eſt, confluentis ad effectum locum humoris inhibitio. Proinde in illis non ſimplex, ſed cõpoſita eſt, medentis ſollicitudo ac curandi indicatio. Hæ autem communes indicationes pro tumoris ipſius differentia, & particulæ laborantis natura, ac ratione, plurimùm uariant, & immutantur. Siquidem in omnibus iam factis tumoribus, & qualibet corporis parte, eius quod infeſtat uacuatio, haudquaquàm ſimiliter adminiſtratur, ut libro ſecundo ad Glauconem, & locis nuper citatis docet Galenus: quod ex ſequentibus etiam euadet manifeſtum. Sed neque ijſdem ſemper auxilijs, quibuſcunque incipientibus adhuc tumoribus, & quamlibet particulam occupantibus, occurrimus, et præcauemus, aut quod in illis iam factum eſt, uacuamus: ſed alijs atque alijs prout tumoris genus ſeu differentia, & partis affectæ natura, poſtulat, inhibentibus fluxionem, & uacuantibus quod generatum eſt, præſidijs uti nimirùm cogimur, ſi rectã ſaltem agendorum rationem ſequimur. Itaq; ab ijs duobus, nẽpe ab ipſa diſpoſitione, ſeu morbi eſſentia, et partis affectæ natura, tumor qui præter naturam ſunt, curandi indicationes potiſſimùm deſumuntur Galeno.

Communes curandorũ tumorũ indicationes, protumoris differẽtia, & laborãtẽ partiala uariari.

Curandorũ tumorũ indicationes à duobus potiſſimùm deſumi.

Porrò diſpoſitio ipſa, de qua nunc agimus, ſeu morbi eſſentia, tria in ſe iuxta recentiorum placita complectitur. Nempe quantitatem, qualitatem, & materiam, ſeu ſubſtantiam quæ tumorem efficit. Quorum ratione, prima illa & communis indicatio immutatur, atque ab ijs etiamnũ particulares curandi indicationes deſumuntur. Aliter enim tumor magnus, aliter paruus curatur. Siquidem magnitudo & paruitas tumoris (ut exiſtimant) differentiam conſtituant. Alia enim ratione ingens phlegmone, alia minutus herpes curatur. Aliter quoque qui per defluxionẽ fit, & adhuc in gignendo eſt, quàm qui per congeſtionem procreatur, aut iã factus eſt. Sed & calidus tumor ut eryſipelas, alia ratione quàm fri-

1. *Tumoris eſſentiã tria in ſe continere.*

frigidus, ut eſt œdema uel ſcirrhus, curatur. Quantitas igitur, in tumore præter naturam curationem euarians, eſt, magna, parua. Qualitas, fluxio, ſeu (ut loquuntur) deriuatio, & congeſtio. Materia, humor calidus, frigidus.

Cæterũ in partiũ laborantiũ natura, quatuor potiſsimũ ſpectãda ſunt: temperatura, formatio, ſitus, uirtus ſeu potentia. Quibus & quintũ addi poteſt, facilitas ſcilicet ac difficultas ſentiendi. Niſi mauis iſtud cum Galeno, ſub uirtute comprehendi atque includi. Hæc itaque communẽ etiam illam, quæ per ſingula diſpoſitionis ipſius, id eſt, tumoris præter naturam, genera obſeruatur, curationem plurimùm euariant. Proinde & has omnes, quæ ab ipſis ſumuntur indicationes, in curandis iis, qui præter naturam incidunt, tumoribus, memoriâ tenere oportet. Aliter nanque curatur phlegmone, aut quiuis alius tumor, in carnoſis partibus, quàm in neruoſis: aliter in oculo, quàm in genu uel collo: aliter in adenibus, quàm in aliis partibus non glandoſis. Breuiter particulæ ipſius laborantis, ac tumore obſeſſæ, temperatura, & formatio, & ſitus, & uirtus ſeu potentia, ſingulas quas ipſi in morbo curando molimur operationes, commutant: cõmuni etiammum intentione ſeruata, quam ſemper à morbo aſſumendam eſſe Galenus edocuit. Itaque communem curandorum tumorum præter naturam methodum, eorum præſertim, qui ex humorum influxu procreantur, ſumpta ab ipſo affectu indicatione, nulla partis ipſius affectæ habita ratione, tradere hîc primùm inſtituimus. Deinceps eorundem, ſed maximè inflãmationum, cùm in abſceſſum degenerauerint, uniuerſalẽ curationẽ ſubijciemus. Poſt hæc uerò particularem ſingularum differentiarum, ſimplicium præſertim (ex quarum analogia compoſitorum curatio facilè addiſcetur) curandi rationẽ perſequemur. Atque interim ubi locus expoſtulabit, nonnulla de curandi indicationibus, quæ à laborantibus & tumore obſeſſis particulis aſſumuntur, ex Galeno proferemus. Quibus rectè intellectis, facilè erit cuique rationali medico ac chirurgo, tumores quoſcunque quibuſuis partibus inſidentes, certa methodo ac ratione curare.

2 *In indicatiõe, quæ à natura partium deſumitur, 4. potiſsimùm ſpectanda eſſe.*

Lib. 2. ad Glauconẽ. Ordo tractandorum in ſequentibus.

Galenum igitur imitantes, principium curationis tumorũ qui præter naturam dicuntur, ex humorum influxu procreatorum, ab inuentione occaſionis ipſius affectus, deſumemus, ut ſcilicet quæ eum excitant ac faciunt cauſæ abſcindantur: quod uerò in eo iam factum eſt, tollatur, ſanetúrue. Itaque ut unius differentiæ tumorum qui per defluxionem fiunt (de iis enim dũtaxat modò hîc agimus) exemplo atq; analogia, cæteras etiam differentias, quæ ex influxu humorum naſcuntur, intelligamus,

Inuẽtio occaſiõis, prĩcipiũ eſt curationis tumorũ præter naturã.

mus, unius phlegmones breuem ac compendioſam curationẽ hîc ſubijciemus. Hæc namq;,& frequentiſsimè incidit, & febres aliáq; ſympto-mata periculoſiſsima excitat. Nomine autem phlegmones hoc loco,non omnem calidam,ac ueluti flammeam diſpoſitionem, quam Græci etiam phlogoſin appellãt,intelligi uolumus,ſed eam dũtaxat,quæ fluxionis ſanguineæ ſoboles eſt,in carnoſa corpora maximè incidens,in qua dolor eſt uehemẽs, rubor per ſumma uigens,calor ueluti deürens,tenſio,renixus, & cùm malum increuerit,pulſationis ſenſus. Hanc enim inflammationẽ cum Galeno,& alijs, qui eũ tanquàm ducem optimum ſequuti ſunt,Græcis ſcriptoribus,ut Paulo, Aëtio, & Oribaſio, propriè phlegmonen appellamus. Vt igitur rem ipſam aggrediamur : Communis omnium phlegmonarum generatio,ex ſanguinis influxu eſt, copioſioris ſcilicet q̃ ſit parti ex uſu. Influit autem copioſior ſanguis,alia quapiam,aliíſue particulis eum aliquandò mittentibus,ac ea quæ phlegmone laborare incipit,recipiente:aliquãdò uerò particula quæ affligitur, hũc ad ſe trahente. Partes autem quæ mittunt, uel ut copia ſuperuacuum, uel ut qualitate moleſtum, uel utroque nomine ſuccum perſequuntur. Quæ uerò attrahunt,hæ morboſo calore uel dolore trahunt. Sed & his coadiutrices cauſæ ſunt,particulæ imbecillitas & ignobilitas, canalium ſeu uiarum,per quas fit defluxio, amplitudo, meatuũ quoq; partium expellentium anguſtia,& ſitus inferior, ut iam ſuprà dictum fuerat.

Phlegmone quid.

Gal.lib. 13.meth. med.

Communis omniũ phlegmonarũ generatio.

Cauſæ coadiutrices fluxionis.

TRES ſcopi in curãdis tumoribus, qui ex humorũ influxu fiunt, chirurgo proponuntur.

Itaque ex omnibus his tres colliguntur recentiorum chirurgicorum turbæ,curandorum tumorum, qui ex defluxione ortũ habent,intẽtiones.

Prima eſt, fluxionem auertere, ac eam omninò intercipere.

Secunda eſt,dolorem demulcere, atque eam occaſionem, propter quam particula fluxionẽ excipit,uel etiam attrahit,in totũ ſummouere.

Tertia eſt,id totum quod iam factum eſt curare,id eſt, totum eum humorem,qui in partem affectam confluxit,uacuare.

PRIMVS ſcopus. Lib.13. Therap.

Cæterùm quomodò prima intentio perfici debeat, appoſitè docuit Galenus lib.13.methodi medendi, ubi modos omnes auertendæ fluxionis,methodúmq; ac rationem inhibendæ phlegmones, quæ adhuc in generatione eſt,nobis expreſsit,ad hunc modũ,ſi Græca Latina faciamus, ſcribens: Vbi æqualiter ſucci inter ſe ſunt adaucti (quod Græci plethoram uocant) imò etiam ubi purum ab excrementis totum corpus eſt, & ſuccorum mediocritatem continet,dolore, & membri,in quo phlegmone ſedet, calore fluxionem excitante: ſanguinis miſsione incipienti adhuc phlegmone ſuccurrimus. Curatur etiam plethora, tum frequenti balneo,tum exercitatione,tum multa frictione. Prætereà digerentibus

Plethora quid.

medi-

medicamentis, modò febris non adſit, & præter hæc omnia, inedia, ac proba uictus ratione, etiam ſi febricitet æger. Cùm uerò flaua bile, uel atra, pituitáue, aut ſeroſis humoribus refertũ corpus eſt (eũ habitũ Græci cacochymiam nominãt) purgatione, quæ cuique ſuppurãti ſucco ſit ac cõmoda, uacuatio molienda eſt. Cacochymia. *Ac de ijs quidẽ in particularibus capitibus diffuſiùs tractabitur. Cæterùm antiſpaſis, id eſt, in contrariũ reuulſio, commune eſt in omnibus huiuſmodi tumoribus auxilium, dum fluxio adhuc ualenter irruit, utpote in principio morbi & in augmento: in fine uerò ſtatus, & in ipſa declinatione, dum ſcilicet iam fluxio reſtitit, atq; in membro inhæſit, & corpus totum abundè uacuatum eſt: uel ab ipſa quæ affligitur particula, uel à maximè uicina uacuatio amolienda eſt.* Antiſpaſis

Secunda intentio completur anodynis remedijs, id eſt, ſedãtibus dolorem, & (ut coũter loquuntur) rectificantibus malam qualitatem: item adſtringentibus, et intercipientibus fluxionem. Ad hæc relaxantibus naturales meatus, per quos membrum affectum conſueuerat repurgari. SECVNDVS ſcopus.

Tertiam uerò intentionem aſſequemur, ijs quæ materiam, tumorem excitantem, à loco affecto euacuant. Euacuatur autem contenta iam in loco materia, non ſolùm diaphoreticis, id eſt, euaporantibus ſeu reſoluentibus medicamentis, ſed etiam repellentibus ſeu repercutientibus. Itaque incipientibus phlegmonoſis tumoribus, atque etiam alijs quibuſcunq;, qui ex humorum influxu procreantur, magis utendum eſt reprimentibus quàm euaporantibus, quibuſdam exceptis caſibus: ex quibus (inquit Guido) Galenus uiſus eſt quatuor poſuiſſe. TERTIVS ſcopus.

Primus eſt, quandò tumor eiuſmodi ſit in emunctorijs. Secundus, quandò ſit à materia uenenoſa. Tertius, quandò materia eſt craſſa & repulſioni inobediens. Quartus, quandò uehementer eſt impacta. Auicennas duos dũtaxat caſus excipit: nempe cùm tumor eſt in emunctorijs, aut loco aliquo, ex quo ſit timendus refluxus, ſeu reditus materiæ ad membrum aliquod præcipuum & nobile. Alij unicum tantùm caſum eximunt, alij ſex, alij decem, alij 19. alij 23. Ego autem (inquit Guido) diſtinguendo de repercuſſiuis, dico quòd quædam ſunt repercuſſiua propriè dicta, ut oxycratum, quod conſtat ex aqua et aceto: plantago, ſolanum, bolus Armenius, abſinthium, cinnamomum, & alia id genus, quæ repellunt materiam, cui occurſant, ad profundum. Alia uerò ſunt repercutientia communia ſeu communiter dicta: cuiuſmodi ſunt, oui candidum, quod albumen nominant: malua, oleum roſaceum, oleum chamæmelinum, & maſtichinum: item collyria alba, & eius generis alia, quæ alterando membrum ipſum à ſuperfluitatum receptione Caſus in quibus non licet repellere ſiue repercutere. Repellẽtia ꝓpriè dicta. Repellẽtia cõmunia.

uindicant ac tuentur. His ſuppoſitis duo proloquia ſubiungit Guido.

Primũ Guidonis proloquiũ de repercutiẽtibus.

Primùm(inquit) dico,quòd in principio omnium tumorum, qui ex humorum influxu fiunt,& maximè phlegmonoſorum, conferunt reprimentia propriè dicta,ijs decem caſibus ſolùm exceptis. 1. Primus eſt, 2. quandò materia eſt in emunctorio. Secundus, quandò tumor fit ex 3. materia uenenoſa. Tertius,quandò ex materia fit admodùm craſſa,& ad motum inepta. 4. Quartus,quandò materia particulæ laboranti uehementer eſt impacta. 5. Quintus,quandò tumor criticus eſt. 6. 7. Sextus,quandò excitatus eſt à cauſa primitiua. Septimus,quãdò in corpore eſt plethorico, & admodùm pleno. 8. Octauus,quandò imbecillum & uiribus penè deſtitutum corpus occupat. 9. Nonus,quãdò ſedem habet, iuxta principem aliquam particulam. 10. Decimus, quandò cum uehementi dolore incidit tumor: tunc enim mitigatorijs auxilijs,& non repellentibus propriè dictis opus eſt. Secundum proloquium ad hunc modum habet. In principio omnium tumorum phlegmonoſorum conducunt reprimentia communia & largius(ut dicitur)ſumpta tribus duntaxat exceptis caſibus. Primus, quandò eſt in emunctorio. Secundus,quandò per criſim excitatus eſt. Tertius, quandò ex materia uenenoſa procreatur. Cæterùm in omnibus iſtis caſibus,præcipuè uerò quandò ferè iam conſtitit fluxio, & tumor iam factus eſt,ſeu (ut loquuntur) in facto eſſe, ita ut materia in parte aliqua ſit relicta,oportet materiam ipſam reſoluere ac diſcutere, admotis ipſi tumenti particulæ diaphoreticis.i.per halitum digerentibus,ſeu euaporantibus, non quidem mordacibus & acribus ualde, ſed potiùs domeſticis ac familiaribus,modicè quidem ceu mediocriter calidis & humidis: maximè uerò in tribus ultimis caſibus, in quibus ſtudere debemus, materiam attrahere ad locum tumore obſeſſum,ipſúmque tumorem augere,& materiæ iam fluxæ ac coniunctæ refluxum prohibere. Quod interdùm quidem facimus emplaſtris attrahentibus: nonnunquàm uerò cucurbitulis dolenti loco affixis,ut docet Auicennas. Sit ergo regula ſeu canon artis generalis, quòd in principio omnium tumorum,qui ex humorũ influxu creantur, exceptis paulò antè memoratis caſibus, ſola ac pura reprimentia ſunt adhibenda. In augmento uerò ipſis repellentibus, nonnihil ex ijs quæ diſcutiunt,admiſcendo. At in ſtatu & paulò ante ſtatum,æquis portionibus miſcenda ſunt reprimentia diſcutientibus. Cùm autem declinatio,uel finis ſtatus adfuerit,ſolis reſoluentibus & relaxantibus uti licet. Quibus uerbis nihil aliud innuitur, niſi quòd perſeuerante adhuc fluxione,repellendum eſt: ubi uerò iam cõſtiterit,

Gal.2.ad Glauc. Secundum Guidonis proloquiũ.

Si tumor iã factus eſt.

Artis' canõ generalis.

ſtiterit, digerendũ ſeu reſoluendũ. Verùm ſi mediomodo res habeat, id eſt, partim iã aliquid fluxerit et loco inhæſerit, partim uerò aliquid adhuc influat, mixtis auxilijs uti oportebit, hoc eſt, partim reſoluentibus, partim regerentibus, quæ & repercuſſiua uocant. Coëuntibus enim unà contrarijs indicationibus, compoſitum quoq; eſſe præſidium oportet, ut 13. Therap. Galenus ait. Porrò hæc omnia ſanè intelligenda ſunt, utpote ſi tumor præter naturã reſolutione ſeu (ut cõmuniter dicũt) uia reſolutionis terminari debeat. Auxilia autem, quibus ſingulæ modò dictæ intentiones complentur pro ratione diuerſitatis materiæ tumorem excitantis, in ſequentibus particularibus capitibus, & in antidotario deſcribentur.

De curatione abſceſſuum in vniuerſum.

CAEterùm ſi phlegmone, aut quiuis alius tumor degeneret in abſceſſum (quam exituram uocant) eius curatio per initia præſtatur. Gal. lib. 2. ad Glauconem, per mitigatoria ſeu indoloroſa auxilia, quæ Græci chalaſtica uocant, id eſt, relaxantia, ſiue remittentia, cuiuſmodi eſt medicamentum, quod à Galeno tetrapharmacum appellatur, molle quidem & anodynum. i. mitigatorium. Cui ex ſententia eiuſdẽ 13. Therap. mellis paululùm admixtum ſit, oportet. Conſtat autem tetrapharmacum, ex ceræ, reſinæ, colophoniæ picis, ſeui taurini, pari portione. Procedẽte uerò tẽpore, ad ea quæ cõcoquendi, ſeu maturãdi, ac ſuppurãdi uim habent, trãſire oportet. Quæ autem in aliam ſpeciẽ, hoc eſt, in alienã ſubſtantiam, & toto genere præter naturã degenerauerunt, ea p chirurgiam ſummouenda ſunt. Porrò in ijs amouendis iuxta Galeni conſilium 14. Therap. id agere oportebit, ut rationibus, quibus id fiat, quod intendis, penſitatis, optimam ſemper earum deligas. Sanè optimæ rationes tripliciter indicantur: nempe ex temporis curandi breuitate, ex curando citra dolorem, & ex maximè tutè curando. Rurſus ut tutò cures, tria propria ſunt quibus intentus ſis oportet. Vnum primúmque, ut omninò abſolutionem operis conſequaris. Alterum, ut ſicubi hunc non conſequaris, ſaltem cubantem non lædas. Tertium, ut uitium non facilè reuertatur. His conſiderationibus ſi optimam curationis uiam indicaueris, inuenietur quidem in omnibus modò propoſitis tumoribus, quandò potiùs chirurgiæ, & quandò potiùs medicamentorum ope ſit curandum. At chirurgiæ quidem ſtudium in ijs præſertim, quæ nũc ſunt propoſita (hoc eſt in ijs tumoribus, qui toto genere ſunt præter naturam) ad interemptionem eorum feſtinat, útque prorſus tollantur ſibi proponit. Quòd ſi perficere nequeat, proximum illud conſilium habet,

Curatio tumorũ in abſceſſũ degenerãtium.

Tetrapharmacum.

Gal. li. 14. meth. med.

Optimã curãdi rationẽ tripliciter iudicari.

1.
2.
3.

» *ut uitium trãsferat,ueluti in hypochymatis,id eſt,ſuffuſionibus. Quod*
» *uerò ex medicamẽtis petitur,primùm hunc tendit,ut quod præter natu-*
» *ram eſt, tum in pus uertat,tum putrefaciat: hoc uerò ſecundo loco de-*
» *ſtinat.* Hæc Galenus. Itaque,*ubi partes,quæ phlegmone infeſtantur,*
uehementiùs pulſitant, ſic ut iam deſperetur de horum, citra pus,cura-
tione, ueteres omnes (inquit Galenus 4.Therap.) eiuſmodi applicant
medicamenta, quæ celerrimè pus mouent: antè uerò nequaquàm.

Ex lib.4. The.meth. Cæterùm *ſicubi cataplaſmate quod calfaciat humectétque* [*& ad*
ſuppurationem perducat]*illinuntur quæ phlegmone infeſtantur, id ne-*
» *quaquàm ex prima ratione fit,hoc eſt,ut remedium affectus,ſed ut ſym*
» *ptωmatis mitigatio, utpote doloris. Siquidem ipſius phlegmones reme-*
» *dia ſicciorum ſunt uirium. Et paucis interiectis ſubdit. Compendioſa*
» *obſeſſarum phlegmone partium curatio,per id genus præſidia* [*hoc eſt,*
» *per ſiccantia & reſoluentia*] *obitur ac perficitur, quæ ſanè uel affectũ*
» *prorſus ſummouent: uel ſi quid exiguum quod ſuppuret,reliquerint, al-*
» *terum medicamentum acre, quod educere pus queat,requiritur: uel ſi*
» *tenuis circumpoſita cutis ſit,uelíſque celeriùs explicatum ægrum,ſecti-*
» *one ſeu inciſione opus eſt. Et hoc ſanè eſt, quod dicebat Auicennas:*
Auicen. » *nempe quòd curatio apoſtematis, quatenùs apoſtema eſt, extra-*
» *ctio eſt materiæ extraneæ,quæ excitat apoſtema. Auxilia autem qui-*
bus mouere pus expedit,& alia quæ ſuprà dicta ſunt perficere,in par-
Quãdo potiſſimùm ſecandi ſunt abſceſſus. *ticularibus capitibus,& in antidotario dicentur ſuo loco. Porrò ſup-*
purato iam abſceſſu,aut tranſmutato,uel ualenter impacto, ſi pus, aut
alia quæuis materia ibi contenta non diſcutiatur, uel ſi tempore conue-
nienti, & dum iam tempeſtiua adeſt occaſio,ſponte, hoc eſt,citra ma-
nus operam, non aperiatur: ſecare exitum ei quod digeſtioni,ſeu reſo-
lutioni non ceſſit oportet. Potiſſimè uerò id moliendum erit, ſi timeatur
futura aliqua eroſio,uel aliud quoduis nocumentum: immò ſi neceſſitas
urget,ex aduerſo etiammũ aperiri debet, & q̃ prõptiſſimè ac tutiſſimè
Tutiùs ferro q̃ medicamẽtis adurentibus ſuppuratus tumor aperitur. *fieri poterit,materia extrahi,ob cauſam ſuperiùs adductam.* Tuti-
ùs autem ferro,quàm medicamentis cauſticis,& adurentibus aperitur,
ut ampliùs docebitur in antidotario. Communiter autem phlegmonoſi e-
iuſmodi tumores,iam in ſuppurationem uerſi,ſcalpello inciduntur. Por-
13.Thera. Sectio oliuæ aut myrti folium imitans. *rò apertio ipſa,ſeu puris emiſſarium fieri debet pro ratione tum quan-*
titatis, ſeu copiæ materiæ ibi collectæ: tum etiam ipſius loci affecti.
Quòd ſi computruiſſe portio aliqua ſuppurantis partis uidebitur, ex-
cidi eam eſt neceſſe,ad formam ſeu ſimilitudinem folij oliuæ uel myrti,
quò faciliùs ſaneſcat. Cæterùm Galenus *maximas ſectiones ſemper*

uitandas

uitandas præcepit, ſanabáque huiuſmodi ſuppuratas particulas, etiam inguina & axillas ſola ut plurimùm inciſione, & medicamentis ualenter ſiccantibus. Quòd ſi aliquandò excindere aliquid propter multitudinem, non puris modò, ſed etiam corruptarum partium fuit opus, contentus erat ſectione quæ myrti folium imitatur, planè (ut inquit) non magna. Ex amplis enim ſectionibus, ubi ad cicatricẽ perducta eſt particula, præterquàm quòd turpiſſima redditur, fit etiam imbecillior, & ad motum ineptior. Fiunt autem huiuſmodi ſectiones, myrtaceum folium imitantes, in ijs potiſſimùm tumoribus, qui in axillis & bubonibus ſuppurant. Et in ijs quidem longitudo per tranſuerſum ducta eſſe debet, non autem per cruris aut corporis rectitudinem. Quippe ita cùm crus aut brachium inflectimus, naturaliter cutis ſibi applicatur. In alijs uerò locis inciſione ſimplici ferè ſemper utimur. In ipſa autem apertione ſiue inciſione, ſeptem potiſſimùm ſunt attendenda, iuxta iuniorum ſententiam. Primum, ut ſectio fiat eo loco, quo materia continetur. Secundum, ut fiat in loco inferiori, quò meliùs purulenta illa colluuies uacuari poſſit. Tertiũ, ut fiat ſecundum rugas & proceſſum muſculorum. Quartum, ut uitentur nerui, uenæ & arteriæ, quoàd fieri poterit. Quintum, ut non tota materia ſemel atque affatim educatur, præſertim in magnis abſceſſibus, ne ſcilicet ex nimia ſubitáque inanitione, & ſpirituum reſolutione, uirtutis ſequatur proſtratio.

Noxæ ex amplis ſectionibus.
Sectio ĩ ſup puratis bubonibus curfiat ꝑ tranſuerſum.
Septẽ attẽdẽda ĩ apertiõe iã ſuppurati ab
1. *ſæſſus.*
2.
3.
4.
5.

Sextum, ut blandiùs, & minimo quàm fieri poteſt dolore, locus tractetur. Septimum, ut facta apertione locus detergeatur, carne impleatur, & ad cicatricem more aliorum ulcerum perducatur.

6.
7.

Galenus aũt lib. 13. Therap. duo potiſſimũ monet eſſe attendenda in ſectiõe ſuppurati abſceſſus, ad hunc modũ ſcribens: Sin aliquandò puris copia medicamẽta ſuperet, nec ea uideantur tibi totum digerere poſſe, ſecare exitum ei quod digeſtioni non ceſſit, eo potiſſimùm loco oportet, quo eſt editiſſimum. Quippe tenuiſſimã etiam illic inuenies cutẽ. Memineris prætereà in ſectione, & alterius indicationis, quæ ad efluxum pertinet, atq; ad ambo reſpiciens, ita quod ſuppurauit, incide: ac deinceps medicamentum aliquod eorum, quæ ſine eroſione ſiccent, impone.

Duo ſpectãda tur Galeno ĩ aptiõe ſup purati ab ſæſſus.
1.
2.
Detergẽtia.

Auxilia autem deterſiora ſunt Guidoni linamenta, ſtupæ, emplaſtra, & unguenta, quæ in particularibus capitibus, & in antidotario recenſebũtur. In primis tamen diebus (inquit Guido) ſufficit uitellus oui cum albumine, alumine zuccharino inſpiſſatus, ut facere (ait) ſolebat Guillelmus à Saliceto. Poſteà uerò tranſeundum eſt ad mel roſatũ, & mundificatiũ ex apio: & poſtremò, ad unguentũ Apoſtolorum, &

Hîc uariãt exẽplaria.

Vnguenta ſuper tumorem iã aptum applicanda.

Aegyptiacum, ſi res ita deſideret. Suprà uerò admouenda unguenta, baſilicon, diachylon, & diapalma uulgò nuncupata, atq; alia id genus, quæ ad ulcera inſtituuntur. Poſt apertionem enim, exituræ ſiue abſceſſus, excreſcentiæ, & puſtulæ (inquit ille) ad ulcerũ curationem reducũtur. Galenus lib. 13. Therap. poſt exciſam cutim in phlegmonis axillarum & inguinum, medicamento quod Græci mannam, id eſt, thuris purgamentum uocant, affectam partem implebat. Hæc autem leui adſtrictione prædita eſt. Sed & mitigare (inquit) priùs inciſam partem, quantũ poſcere uidebitur, oportebit: fomentis primùm, dein cataplaſmatis, mox humectante aliquo medicamento, aut non ſiccante, ſingulis ſcilicet extrinſecùs impoſitis. Nam in ipſo ulcere, tum manna (ut dictum eſt) tũ ex præſidijs, quæ linteolis excipiuntur: primùm quidem ea quæ pus citant, dein ea quæ expurgant, ſunt imponenda. Poſt quæ, ſi cauitas etiam manſit, quæ impleant, adhibenda ſunt: ſin aliter, ea quæ cicatricem inducunt. Porrò ſi laborans nec ferro candente, nec ſcalpello, fieri ſectionem præ mollicie admiſerit, medicamentis adurentibus erit emolienda apertio. Ad hoc autem laudat Auicennas ſemen lini, fermentum, & ſtercus columbinum. Et ſi incorporarentur (inquit Guido) cum ſapone molli, aut mucilagine ſeminis ſinapis, bonum eſſet. Cæterùm ruptorium ſeu cauſticum, quod fit ex calce, et ſapone, in hac re principatũ obtinet. Hactenùs de tumoribus præter naturam in uniuerſum: ac deinceps de particularibus eorum differentijs.

Mannæ & thuris uſus poſt inciſionem, et eorũ uires.

Partem inciſam prius mitigandã eſſe.

Quæ in ulcere ponenda.

Auicennas, in fine tract. 1. ſen. 3. l. 4.

De phlegmone vera, & aliis à ſanguine procreãtis tumoribus. Cap. VI.

ABſoluto iam in uniuerſum ſermone de tumoribus, qui præter naturam conſiſtunt, tempeſtiuum eſt, de ſingulis eorum differentijs particulatim diſſeramus, à phlegmone ſumentes exordium, ut quæ & frequentiſſimè incidat, & ſymptomata (ut Galenus ait) periculoſiſſima excitet. Itaque phlegmone Galeno lib. primo de morbis & ſymptomatis, bifariàm accipitur. Vno modo communiter, ueterum, qui ante illum fuerunt, more, pro omni partium ueluti inflammatione, & quadam efferueſcentia, hoc eſt, pro omni calida, ac ueluti flammea quadam diſpoſitione, quam Græci propriè phlogoſin appellant. Altero modo à Galeno & iunioribus accipitur pro tumore ex ſanguine uero ac puro, hoc eſt optimo, ac mediocrem craſitiem obtinente procreato. Et hæc quidem generis ſortitur appellationẽ: atq; inflammatio æquiuocè generi Latinis nominatur, Græcis uerò abſolutè

Duplex ac æptio Phlegmones.

1. Phlegmone prophlogoſi.

2. Phlegmõe p inflãmatione ex ſãguis eoptio.

ſolutè phlegmone. Ea autem recentioribus duplex eſt: uera ſcilicet, & non uera. Vera phlegmone fit à ſanguine benigno, hoc eſt, qualitate, & ſubſtantia ſeu conſiſtentia optimo, ſed copioſiore quàm ſit parti ex uſu. Non uera & illegitima phlegmone, ex prauo & non naturali ſanguine efficitur. Eſt autem ſanguis, humor calidus & humidus ex temperatiori parte ipſius chyli progenitus. Et hic quidem duplex eſt: Naturalis, & non naturalis. Naturalis, eſt humor calidus & humidus, ſubſtantiâ quidem mediocris, colore uerò multùm rubens, odore autem & ſapore dulcis, mitis, ac benignus. Verùm non naturalis ille dicitur, qui ab iſto nuper deſcripto deflexit, degenerauítque: intra tamen ſuæ latitudinis terminos, quos ſi tranſgreditur, non iam ſanguis, ſed alius humor uenit appellandus. Hoc autem (ſanguinem inquam degenerare à propria ſua natura) contingit dupliciter. Vno modo (ut aiunt) in ſe, hoc eſt, ratione ſui, permutata propria eius ſubſtantia, citra alterius admiſtionem. Altero modo, per aliũ, ſeu ratioue alterius. Et per ſe quidem adhuc bifariàm: nempe, uel quia eius ſubſtantia craſsior eſt, aut tenuior quàm debeat: uel quia aduritur, & quod ex eo tenuius eſt, in flauam bilem mutatur: quod uerò craſsius, in atram, idque abſque ſeparatione. Alterius uerò ratione ſanguis fit nõ naturalis, quandò alius humor illi permiſcetur. Quod multifariàm contingere poteſt, prout ſcilicet uariæ ſpecies bilis, pituitæ, aut melancholiæ, cum ipſo ſanguine miſceri poſſunt. Ex quibus liquet, quòd ex ſanguine quatuor ſpecies ſeu differentiæ tumorum præter naturam procreantur. Primum ex ſanguine naturali & benigno generatur uera phlegmone. Ex ſanguine uerò illaudabili facto per admixtionem aliorum humorum, tres enaſcuntur differentiæ phlegmones non ueræ, atque illegitimæ: quippe quòd tres alij humores (pituita inquam & utraque bilis) ipſi ſanguini permiſceri poſſunt. Itaque ſi flaua bilis ſanguini commiſceatur, quod ex ambobus tum eſt conflatum, uocatur phlegmone eryſipelatωdes: ſi pituita, phlegmone œdematωdes: ſi atra bilis ſeu melancholia, phlegmone ſcirrhωdes. At ex ſanguine illaudabili & maligno per aduſtionem & corruptionem propriæ ſubſtantiæ, pro ratione tenuitatis aut craſsitiei ipſius, generantur uel carbunculi, qui Græcis anthraces dicuntur, uel gã græna, uel ſphacelus. De quibus in ſequentibus dicemus.

Phlegmone duplex. 1. Vera.

2. Nõuera.

Sanguis qd & quotuplex.

Sanguis bifariàm degenerat à ꝓpria ſua natura.

Quatuor differentiæ tumorum ex ſãguine.

De cauſis, ſignis & iudicijs phlegmones.

PHlegmones cauſæ ſunt tres, ut & aliorum omnium tumorum præter naturam qui per defluxionem fiunt. Primitiua ſcilicet, quam & prægreſſam & euidentem appellamus: antecedens, & coniuncta.

Cauſæ phlegmones. 3.

1. Prægreſſa.

Euidentes cauſæ inflammationis, ſunt occaſiones externæ: ut contuſio, diſruptio, conuulſio, fractura, uulnus, ulcus ſpontaneum, luxatio, & alia id genus, quæ quatenùs dolorem in laborante particula excitant, fluxionem accerſunt. Antecedens, ut ſanguinis exuberantia, probi quidē & inculpati, ut cum ad immoderatam uenarum repletionem uenæ pertingunt. Tunc enim cogitur ſanguis (ueluti quid ſuperfluum) ad partem aliquam uel imbecillam, uel plus iuſto excalfactam, uel dolore affectam, effundi, ac defluere. Vbi tandem compingitur, atque impactus manet, niſi protinùs ab initio reprimatur, ut iam ſuprà in capite uniuerſali dictum eſt. Ad quod ſubinde recurrēdum tibi eſt, ut abſolutam magis particularium tumorum, de quibus nunc agimus, intelligentiam conſequaris.

2. Anteæ-dens.

3. Cōiūcta. Coniuncta cauſa ſeu continens, eſt ipſe ſanguis, qui iam loco affecto infartus eſt.

NOTAE uerę ac legitimæ phlegmones. Lib. de tumo. præ. natur. & 13. metho.

Phlegmones notæ ſunt, tumor, ſeu incrementum partis ſupra naturalem habitum. Calor uehemens, adeò ut membrum comburi uideatur. Rubor per ſumma uigens, qualis ex balneis, uel igne, aut quouis alio modo calfactis aduenit. Dolor uehemens, niſi membrum difficilem omninò ſenſum habuerit. Pulſus, ſeu pulſationis ſenſus in profundo moleſtus. Tenſio ſeu extenſio membri, quam non modò ipſi tantùm deprehendimus, ſed etiam ipſe æger proprio ſenſu aduertit. Renixus partis tangenti eam, pro tenſionis modo. Et ſi quæ ſint alia, quæ præſentem ſanguinis abundantiam in parte aliqua teſtantur.

Phlegmōes tēpora 4. IVDICIA

Phlegmone quatuor habet tempora, principium, augmentum, ſtatum, & declinationem: niſi ſaltem fluxio intrò recurrat, uel repellentibus medicamentis ſtatim reprimatur ac retrocedat. Vbi autem hæc quatuor tempora percurrerit, neceſſe eſt terminetur uel per exhalationē, ſeu reſolutionē (quā diaphoreſin Græci uocant) uel per ſuppurationem, uel per corruptionem, quam & putrefactionem nominant, uel per indurationem, dū ſcilicet reſoluto tenui, in ſcirrhi abit duritiem. Et horum quidem omnium ſigna ex capite uniuerſali ſunt requirenda: ubi explicatæ ſunt notæ omnium temporum, & modorum terminationis tumorum præter naturam, quæ uulgò apoſtemata uocant. Cæterùm phlegmonen plærūque mala comitantur ſymptomata, quæ eius curandi rationem interpellant, immutántque. Cuiuſmodi ſunt, dolor uehemens, partem admodùm ſenſibilem occupans: recurſus materiæ ex glandulis (quas Græci adenas & uulgò emunctoria uocant) ad partes internas: item partis affectæ mortificatio (quam corruptionem eſthiomenicam appellant) ex nimia ſcilicet refrigeratione & ualido infartu, ipſius materiæ (quæ inflammationem committe-

Symptōmata quæ phlegmones curationē interpellant.

bat)

bat)proueniens. Duritiesquoque lapidea & pene indiſſolubilis, uulgò ſclirotica nuncupata, ex perperàm ac temerè facta tenuioris humoris diſſolutione. Quocirca diligenter ac ſæpiùs quidem obſeruare oportet, in curandis tumoribus,qui præter naturam conſiſtunt, quò quiſque tandem ſit euaſurus,& quæ inopinatè ſuperuenerint accidentia,ut circa id quod apparet, & urgens eſt, maximè inſiſtamus. Quod nos probè Galenus admonuit libro ſecundo ad Glauconem,& 13. Therap. ad hunc modum inquiens: In morbis quidem qui difficulter reſoluuntur,uerendum eſt,ne eorum reliquiæ præduræ relinquantur. Quare in ſingulis reſolutionibus attendere oportet,ad quid tranſmutetur omnis, cuius curatio ſuſcipitur, tumor. Nam ea quæ cum fortiter exiccantibus agitur, reliquias præduras operatur.Hæc Galenus. Sed tempeſtiuum eſt,ipſius phlegmones curationem aggrediamur. Galenus.

Ratio curandæ phlegmones ex defluxione concitatæ, corporis ſumma occupantis.

CVm inflammatio,quæ Græcis peculiariter phlegmone dicitur, ex influxu ſanguinis, copioſioris ſcilicet quàm ſit parti ex uſu,naſcatur: fluxio autem incipiente adhuc phlegmone, partim fiat, partim iam facta ſit:geminus ſanè erit curationis ipſius adhuc incipientis phlegmones ſcopus, nempe uacuandi quod influxit,& prohibendi quod influit. Methodus curandæ phlegmões quæ adhuc in generatione eſt.

Porrò fluxionem inhibebimus, ſi humorem influentem retraxerimus ac repulerimus,ſi afflictæ parti robur addiderimus,& ſi quid fluxionem accerſit, ſummouerimus. Retrahemus autem atque in contrarium humorum defluxum reuocabimus,uenæ ſectione, ſi quidem uires ualeant,& ætas permiſerit.Sin minùs,admotis cucurbitulis, uel ligaturis,uel frictionibus,uel calfactis partibus, directè affecto loco reſpondentibus.Regeremus autem repellemúſue, admotis medicamentis,quæ hac facultate prædita ſint,hoc eſt,quæ aliò fluxionem propellere ac tranſmittere poſſint. Cauſas uerò defluxionem ad partem iam phlegmone obſeſſam accerſentes ſummouemus,particulam ipſam, ſi imbecilla ſit,confirmantes,roborantéſue: ſi laxa nimis,adſtringẽtes: ſi calida eſt,ut eſſe ſolet,refrigerantes:& dolorem,ſi diſcruciat, demulcentes: ac corpus uniuerſum,ſi ſanguine abundet,& parti contagium trãſmittat, uenæ ſectione uacuantes: de quibus omnibus mox dicetur. 1. Fluxio qb⁹ prohibeatur. 1. Retractio 2. Repulſio 3. Cauſæ ſummotio.

Vacuamus autem quod iam influxit,& in partem affectam ſe recepit,non modò medicamẽtis ijs quæ digerunt, hoc eſt, diſcutiunt ac reſoluunt,ſed etiam quæ adſtringunt,& refrigerant. Magiſque profectò (inquit Galenus) ad incipientes phlegmonas,frigidis, aſtringentibúſq;, quàm 2. Vacuatio eius quod iã influxit. Gale. 13. Therap.

quàm ijs quæ digerunt eſt utendũ. Atque etiam magis, ubi craſſum quod confluit non eſt. Sed ſi ſanguis in particula, quam phlegmone prehendit, uehementer eſt impactus, non eſt ampliùs repercutientibus utendum: ut in præcedentibus dictum eſt, ſed tum digerere eſt tempeſtiuum. In ueteraſcente quoque inflammatione, quæ poſt totius corporis uacuationẽ, aliámque idoneam curationem, duritiem quandam ac nigrorem in partibus reliquit, ſanguinem ſcarificationibus aufferre (Galeno etiam autore) non eſt incommodum. Atque hæc ſummatim de uniuerſali quadam methodo dicta ſint de curatione inflammationum, quas Græci peculiariter phlegmonas appellare conſueuerunt, ex humorũ defluxu incidentium. Quæ certè rationali medico, & in artis operibus exercitato, ſatis eſſe poſſent. Verumenimuerò quoniam chirurgiæ candidatis, & non ita eruditis, hæc ſcribenda ſuſcepimus, non abs re, neque alienũ à noſtro inſtituto factum uidebitur, ſi quæ de phlegmonarum curatione ſcriptis ſuis non modò ueteres medici, ſed & recentiores chirurgi nobis ſcripto reliquerunt, poſt hanc uniuerſalem ac compendiariam methodum ſermone magis peculiari, & uulgari ſubijciamus. Itaque rationem curandi phlegmonem, præter regimen (ut uocant) uniuerſale, in quatuor ſcopos, ſeu intentiones, particulares, reuocare ſolent poſterioris huius ſeculi chirurgi: nempe in debitam uitæ rationis obſeruationem: in fluxionis inhibitionem, ſeu materiæ (quod aiunt) antecedentis auerſionem: in humoris, qui iam ſe in parte recepit (quam materiam coniunctã uocant) uacuationem: & in ſymptomatum ſeu accidentium correctionem. Prima itaque intentio perficitur debita ſex rerum (ut uocant) non naturalium, & eorum quæ illis annexa dicuntur adminiſtratione.

Sarificatio

4. ītētiões curationis phlegmões

1. 2. 3. 4.

1. Prima intẽtio q̃ eſt uitæ ſtitutio.

Sunt aũt res non naturales à medicis dictæ numero ſex, ut ſtatim ab initio huius operis dictũ eſt, aër, cibus & potus, motus & quies, ſomnus & uigilia, inanitio & repletio, animi affectus, ſeu accidentia. Quæ omnia (quoniã phlegmone ſubindè febres accendit) ad frigiditatem, & moderatam humiditatem ſpectare debent. Pro quibus ſequentia ſubiecimus præcepta.

Res nõ naturales.

Aër. Aërem ſyncerum & clarum eundémque frigidiuſculum deligito.

Cibus. Victum tenuem frigidum & humidum ſeruato.

Potus. Vinum debile & pauciferum, id eſt, quod in temperando haud multam aquæ miſtionem ſuſtinet (Græci oligophoron uocant) aſſumito. Quòd ſi febris uehemens (ut ſæpè aſſolet) acceſſerit, abſtemius eſto.

Vinum oligophoron.

Motus. Partem phlegmone obſeſſam ne exercitato.

Quies. Quietem quantum potes, præſertim ſi plurima ſuccorum abundantia

tia ſit, ſeruato.

In ſomno & uigilijs modum teneto. Somnum diurnum, & præſertim meridianum,uitato. Somnus.

A crapula & ingluuie ſummoperè caueto. Repletio.

Aluus fuſa,& mollis tibi ſemper eſto,atque eam interdùm, ſi opus eſt,clyſteribus ſubducito. Inanitio.

Iram,clamorem,contentionem,ut inimica,fugito. Animi pathemata.

A ueneris uſu, ſeu concubitu, uelut ab hoſte infeſtiſſimo, te ſubſtrahito. Venus.

Secundus ſcopus curandæ phlegmones,qui eſt fluxionis auerſio, p-ficitur uenæ ſectione,ſi uires & ætas ferant. Semper autem in omnibus mẽbris è regione ſiue è directo (quod Græcè κατ' ἐυθυ dicitur) ſiue reuellere, id eſt,in contrarium retrahere uelis,ſiue ad latus deriuare. Vena ſecanda eſt, etiam ſi plethora adſit. E directo autem ſunt dextra dextris,& ſiniſtra ſiniſtris. Ergo ſi ophthalmia oculum dextrum infeſtet, uel ſynanche partem gutturis dextram occupet, humeralis uena,uel eius loco(ſi non appareat)alia,ſtatim per initia fluxionis, in brachio dextro incidenda eſt. At ſi humor in genu confluat, ſecanda eſt cubiti uena,uel interna,uel media, niſi alterum crus malis ſcarificare, aut in eo uenam pertundere,ut alicubi Galenus conſuluit. 2. Auerſio fluxionis, quæ ſecunda eſt intentio. Vena ſemp è directo ſecanda.

Itaque uenæ ſecandæ electio, & auerſionis in contrarium(quæ ab Hippocrate antiſpaſis dicitur)inuentio,à laborante particula,& curandi membri poſitu præſtatur,indicatúrque,ut 13.& 14.meth.med.ac ſæpè alibi Gal.docet. Venæ ſecãdæ electio à laborante particula indicatur.

Cæterùm corpus ipſum,quod phlegmone occupatur,non modò cùm plethoricum eſt, ſed etiam ubi morbi magnitudo ſuadet, cùm mediocritatẽ ſuccorum continet,ſanguinis emiſſione uacuamus, ſi ſaltem Galeni conſilium ſequamur, qui lib.13.metho.medendi ita fieri præcipit,inquiens: Gal.li 13. Therap.

Dolor ſiquidem,& membri,in quo phlegmone ſedet,calor, etiamſi purũ ab excrementis totũ corpus ſit,fluxionis cauſa fiunt. Expedit autẽ tunc parciùs id efficere[hoc eſt, ſanguinem detrahere] ac uacuare quidem, prout maximè tum ætati laborantis, tum naturæ congruit. Aeſtimatis præterea tum anni tempore,tum regione, tum hominis ipſius conſuetudine. Conferunt etiam non parùm ad retractionem ſanguinis in partem affectam confluentis, motus, frictio, & ligatura partis oppoſitæ, ſed maximè celebrata priùs (ut dictum eſt) ſanguinis detractione. » » » » » » »

Itaque ſi in manibus phlegmone eſt orta, crura exercitanda ſunt, uincienda, fricanda. Sin in cruribus, manus. Sed hæc magis ad medicum quàm chirurgum pertinent.

Tertium

3. Tertius ſcopus qui eſt huõris iam in parte recepti uacuatio.

Tertium ſcopum aſſequimur ſolis, per initia phlegmones, repellentibus (exceptis priùs memoratis caſibus) parti inflammatione laboranti admotis. Vacuatur enim (ut Galenus ait) quod impletum eſt, non modò medicamentis ijs quæ digerunt, ſed etiã quæ adſtringunt & refrigerant: cuius generis ſunt, quæ repellentia & regerentia dicuntur. In augmento autem ad præſentem intentionem, id eſt, ad uacuandum quod iam influxit, ſimul & prohibendum ne deinceps amplius aliquid confluat, miſcenda ſunt digerentibus reprimentia: ita tamen ut horum copia ac potentia, illis adhuc præpolleat. In ſtatu uerò æquis portionibus inuicem commiſcenda ſunt, ac mitigatoria (cùm uehementiſſimi tunc dolores adſint) applicanda. At in fine ſtatus, & in declinatione, ſolis digerentibus quod impactum eſt, uacuare oportet, ſi ſaltem ipſa phlegmone reſolutione ſeu diſcuſſione terminari debeat. Si uerò degeneret in abſceſſum, & fieri non poſſit, ut puris collectio ac eruptio impediatur, tũ ſuppurantibus, aperientibus, ac detergentibus medicamentis uti licebit. Porrò exiccantia conferunt in fine utriuſque affectus, hoc eſt, phlegmones & abſceſſus. Hæc enim quod reliquum humoris eſt prorſus abſumunt. Verùm facta ſectione in abſceſſu iam ſuppurato, medicamentũ quod ſine eroſione ſiccet, imponendum eſt, ut in ſequentibus dicetur.

Reprimentia in augmẽto præpollere debẽt digerẽtibus.

Si phlegmone ĩ abſceſſum degeneret.

Repellẽtia circa initiũ phlegmões admouẽda.

1. Oxycraton

Porrò ad incipientes phlegmonas repellendo aptiſſimum auxilium eſt Galeno oxycraton, quod Latini puſcam aquoſam nominant. Eſt autem miſtura ex aqua & aceto, ita quidem temperata, ut adhuc bibi poſſit: ſpongia ergo hoc ipſo oxycrato perfuſa atque imbuta, parti, in qua phlegmone reſidet, imponenda eſt. Loco autem oxycrati, Galeni ipſius conſilio, ſumi poteſt uinum aliquod auſterum, uel frigida ſolùm in particulis ſcilicet, quæ circa artus ſunt. Galeni uerba hæc ſunt, ſi Romano ſermone loquatur: In particulis, quæ circa artus ſunt, ſat fuerit [per initia phlegmones] etiam ſpongiam uel ex frigida aqua, cui paululùm aceti ſit immixtum, uel aqua ſola imponere, ſicut etiam ex uino aliquo auſtero. Ad idem ſummè efficax eſt eiuſdem Galeni cataplaſma, ex ſemperuiuo, & malicorio in uino decoctis, rhu.i. ſumach, & polenta. Repellit enim quod influit ſtringendo, atque id quod continetur exiccando uacuat, affectáſque partes utroque nomine confirmat & corroborat. Hoc remedium à recentioribus, ex Auicenna, ſub hac formula poſteà deſcriptum eſt: ℞. ſucci ſemperuiui libram unam, uini quod craſſæ ſit ſubſtantiæ, & ſaporis acerbi lib. ſemis, farinæ hordei quart. unum, corticis malorum granatorum, & ſumach puluerizatorum ana unciam ſemis, coquantur, & fiat linimentum. Aliud quod ad idem efficaciter auxi-

li.13.meth. med.

2. Galeni cataplaſma lib. 2. ad Glau.

Fen. 3. li. 4. tract. 1. cap. 3.

3.

auxiliatur, ex Halyab. Santali albi & rubri ſingulorum drach. tres, memithæ, id eſt, glaucii drach. duas, terræ cimoliæ, boli Armenicæ, ſingulorũ drach. unam & ſemis: omnia in tenuiſſimum pollinem terantur, & diligenter cribrentur, poſteà diſſoluantur in ſucco ſemperuiui, aut portulacæ, uel lactucæ, & fiat linimentum. Aliud ad incipientes etiam inflãmationes phlegmonoſas, tritum & uulgare, quod & recentibus uulneribus, & nuper acceptis contuſionibus, ualde utile eſt. Conſtat oui candido liquore, roſaceo, & ſtillaticia roſa, hoc eſt, aqua roſarum. Panniculi hoc imbuuntur, parti inflammatæ apponuntur, & ſubindè mutantur. Cæterùm plurima alia tum ſimplicia, tum compoſita medicamenta, ad incipientes phlegmonas ſtringendo, & fluxionẽ reprimendo conferunt, quæ partim ex libro ſexto (quem antidotarium uocauimus) partim ex alijs autoribus, qui de hac re ſcripſerunt, requirenda ſunt. Sed hæc ad præſens nobis uiſa ſunt ſufficere.

Halyab. linimẽtũ. 4.

Remedia ĩ phlegmonarum incremẽto mouenda. 1.)

INTER REMEDIA, quæ phlegmonarum incremento forinſecùs admota ſubueniunt, efficaciter auxiliatur roſaceum, Græci rhodinon uocant. Hoc enim (ut Galeno uiſum eſt) partim repellit, partim per halitum digerit: quippe quod olei roſæque mediam ad unguem naturam obtineat. Itaque roſaceo paucula quædam ineſt adſtrictio, quæ tenues ipſius particulas præuertere quidem (inquit Galenus) nequit: ſed ubi illæ altiùs penetrauerint, in ipſam iam ſuperficiem agere incipit, pro uiribus conſtipando, contrahendo, ac condenſando. Proindè fit, ut roſaceum phlegmonarum augmẽtis optimum ſit et aptiſſimũ præſidium. Aliud Auicennæ phlegmonarum incremento ualde efficax. Cõcipit foliorum maluæ M. unum, abſinthij, roſarum ana unciam ſemis, farinæ hordei unciam unam, olei chamæmelini quart. ſemis: coquantur, & pinſantur, ac in formam emplaſtri mollis redigantur. Aliud eiuſdẽ habet uini ad dimidias uel tertias cocti (hoc ſapam, illud defrutum appellamus) quart. unum aquæ roſaceæ, aceti ana quat. ſemis, croci, drach. duas: moderato igne parùm ferueant, poſteà colentur, & panni eo liquore imbuti parti phlegmone obſeſſæ applicentur, epithematis more. Porrò eiuſmodi præſidia, quæ in augmẽto inflãmationis adhibẽtur, mixtáſq; ex reprimẽtibus et digerẽtibus facultates habẽt, tardiùs amoueri, et mutari debent, q̃ pura repellẽtia, initio ipſius phlegmones accõmoda.

Lib. 3. de ſimp. medi.

Roſaceum in phlegmonarũ aug. 2.) mẽto optimũ eſſe præſidium.

3.

AVXILIA, in uigore ſeu ſtatu phlegmones, & cùm in ea uehemẽtes urgent dolores, idonea ſunt Aëtio, malua priuatim, & cum modico pane, & roſaceo illita. Melilotum quoque in paſſo decoctum, & cum pane admotum. Idẽ poſſunt (inquit) et palmulæ in paſſo elixatæ, et cũ pane

Quæ ĩ ſtatu phlegmones conueniant.

et roſaceo confectæ et mixtæ.Aliud quod p halitũ digerit,in uigore phle gmones ſũmè efficax. Perdicii,*id eſt,parietariæ,maluæ ana.*M.i.*furfu ris,ſubtilis farinæ uolatilis,ana.*p.i.*fœnigræci, anethi,ana,unciã.*ß.*olei chamæmelini quart.*ß.*coquãtur in uino,et exactè ſubigãtur,donec in uni tatẽ coeãt,et fiat emplaſtrũ.Aliud ex* Gal.*deſumptũ lib.*13.*Therap.*Re- 5
Emplaſtrũ Galeni. *cipit medullæ panis frumentacei lib.unã,maceratur ſpatio unius horæ in aqua feruenti,poſteà exprimitur, & huic admiſcetur mellis optimi quart.unum,formatúrque emplaſtrum molle. Hoc diſcutit, & dolores mulcet.Vnguentum baſilicon,& quod è ſuccis conficitur,diachylon no- minatur,in uigore phlegmones admouenda eſſe conſuluit Arabs ille A- 10 uicennas: uerùm hoc remolliendo, illud uerò maturando magis eſt ido- neum: quanquàm tamen utrumque ui aliqua etiam digerente polleat.Ho rum autem deſcriptiones ex antidotario requirendæ ſunt,ubi & ualde multa diſcutientia tum ſimplicia,tum compoſita recenſentur,quæ in ſta- tu eiuſmodi inflammationum efficaciter auxiliantur. Cæterùm hæc & 15 ſimilia,quæ ad diſcutiendũ quod iam influxit,et ad dolores mitigandos, præſidia adferuntur,cùm multa humiditate participent, tardiſſimè mu tanda erunt.Porrò cum ex admotis nuper memoratis auxilijs,humor in particulam phlegmone obſeſſam delapſus diſcutitur, tumórque & ex- tenſio minuuntur,doloréſque mitiores fiunt: tunc inflammationis decli- 20*
Quibus ſit utendũ auxilijs in declinatione phlegmõis *nationem adeſſe putato,quo tempore ſolis diſcutientibus utendum eſt. Cuiuſmodi ſunt,agreſtis malua illita, & paſſulæ exemptis acinis cum pane & modico melle,& hordei farina cum melle applicata.Item lanæ ſuccida,ſtupæ,ſpongia, aut quid ſimile,uino calente imbuta,poſteà ex- preſſa & appoſita: hæc enim omnia diſcutiendi ui pollent,& dolorem 25 non excitant. Cæterùm ſi ob morbi pertinaciam & difficultatem locus affectus nimis multam,& reſolutioni contumacem materiam continue- rit,non ideò protinùs,ut quidam faciunt,ad chirurgiam,id eſt, ſectio- nem aut uſtionem, prorumpere oportet, ſed eniti, ut collectus humor diſcuſſorijs medicamentis p halitum digeratur. Moliri enim priùs di 30 geſtionem oportet,medicamentis ad id conducentibus, quàm inflamma- tionem incídere. Quòd ſi tumor digerentibus medicamentis non cedat, nulláque ampliùs diſcutiendi quod in eo continetur, ſpes relinquatur: ſed uideatur potiùs materia ad ſuppurationem ſpectare,ad ea quæ ma*
Quãdò ſperanda reſolutio. *turant,& pus mouent, tranſeundum erit. Speramus autem tumorem 35 (etiam ſi iam in abſceſſum degenerauerit) per halitum digeri poſſe, ſi materia,quæ eum excitauit,tenuis & pauca, reſoluíque idonea fuerit: ſi & in loco minimè profundo deliteſcat, cutíſque particulæ laborantis*

rara

rara extiterit. Si uerò humor multus ſit & craſſus, atq; in alto ſinu recõditus, cutis uerò denſa, exhalatio ſeu reſõlutio nequaquàm ſperanda eſt.

Proinde ad maturantia & pus mouentia ueniendum erit: cuiuſmodi eſt cataplaſma, quod ex farina triticea, in aqua & oleo temperatè ac mediocriter cocta, conſtat: hoc enim celeriter inflãmationes, quæ digeſtioni non ceſſerunt, ad ſuppurationem perducit, ut etiam Galenus nobis autor extitit. Siquidem & calorem habet noſtro calori perſimilem, nempe temperatum ac mediocrem, & ratione farinæ, & olei (quæ lentoris quippiam habent, quo meatus obſtruendo partis calorem natiuum digeri prohibent) ui emplaſtica præditum eſt. Quæ duo maximè in maturãtibus & pus mouentibus medicamentis deſiderantur. Sunt qui huic cataplaſmati croci momentum coloris gratia adiiciunt. Cæterùm ſi tumor, ob infartos in eo craſſos & uiſcoſos humores, ægrè ad ſuppurationem ducitur, eximiè ſubueniet cataplaſma ex radicum altheæ, & caricarum dulcium ac pinguium decocto, quod mellis craſsitudinem repræſentet, & farina triticea compoſitum. Ergo accipe prædicti decocti lib. unam, farinæ triticeæ ſelibram, incoquantur ſimul, & in formam cataplaſmatis reducantur. Si autem loco farinæ triticeæ bordeacea apponatur, uel cibarius panis, quem Græci ſyncomiſtum uocant, diſcutiendæ inflammationi magis quàm ſuppurandæ conueniet, ut libro ad Glauconem ſecũdo Galenus annotauit. Aliud in declinatione phlegmones puri mouendo apprimè idoneum, quod à uulgaribus chirurgis communiter uſurpatur. Habet autem corticis radicis maluauiſci, id eſt, altheæ, radicis lilii, ſenecionis, Græcis erigeron dicitur, & foliorum maluæ, ſingulorum M. unum, farinæ triticeæ quart. unum, farinæ ſem. lini unciam unam, axungiæ ſuillæ recentis lib. ſemis: coquantur herbæ in aqua quantum ſatis eſſe uidebitur, & tundantur cum reliquis in mortario, fiátque cataplaſma. Plæraque alia puri mouendo accommoda, libro ſexto deſcripta ſunt, ex quibus peritus quiſq; chirurgus, & in artis huius, quam docemus, operibus exercitatus, præſtantiora, & naturæ laborantis, ac particulæ cui medetur, magis idonea ſeligere atque in uſum præſentem aſsumere poterit. Cæterùm ſi collecto ac iam confecto pure, abſceſſus in quem phlegmone degenerauit, ſponte non aperiatur, ſcalpello, uel cauterio, aut medicamento quopiam erodente (liberis iam ab inflammatione partibus) molienda puri, quod digeri non potuit, euacuatio eſt. Deinde ulcus ad cicatricem, ſimiliter reliquis ulceribus, perducendum eſt, nempe detergendo, carne implendo, glutinando, & demũ cicatricem inducendo. Porrò ſi materia, quæ tumorem parit, craſſa eſt,

Pus mouentia.

lib. 2. ad Glauc.

Huius cataplaſmatis memunit Halyab.

Cataplaſma cõmune

& reſolutioni, atque etiam concoctioni contumax, uehementérque carnis meatibus impacta (qualis eſſe ſolet in diuturnis inflãmationibus malè curatis, reſoluta ſcilicet tenuiori humoris parte, & craſſiore in meatibus relicta) ſcarificatio timẽda non eſt, præſertim (ut 2. lib. ad Glau. Galenus admonuit) ubi duities, liuor, ac nigror, apparuerit.

4. Symptomatum correctio.

QVARTVS ſcopus, qui in curanda phlegmone chirurgo ac medico proponebatur, eſt ſymptomatum ſeu accidentium, quæ ipſi inflãmationi ſuperueniunt, correctio, & ſummotio. Ea autem ferè ſunt, dolor, regreſſus materiæ, ex qua tumor excitatur, ad interiora, putredo et corruptela partis ſuppurantis, & ueluti lapidea quædam duities, ex

1. Dolor.

ualenter exiccantibus & digerentibus relicta. Ergo ſi uehemens dolor inflammationi acceſſerit, modis omnibus laborandum eſt, ut ſtatim mitigetur. Quandoquidem præterquàm quòd uires proſternit, & legitimas actiones impedit: fluxiones quoque accerſit, & ſanguĩnem ad ſe allicit. Itaque ſi dolor acriùs urget in phlegmone, confeſtim imponenda medicamenta ſunt, quæ doloris uehementiam citra ullam noxam leuent,

Dolorem in phlegmone lenientia.

& demulceant. Quale eſt, quod ex paſſo, oleo roſaceo, & paucula cera, cum bis ambobus liquata conficitur Galeno: hoc autem lana ſuccida, quæ plurimùm habet œſypi, excipiendum eſt, acæſtate quidem frigidũ: hyeme uerò tepidum apponendum. Itaque medicamentum eiuſmodi, ſic ut dictum eſt attemperatum & admotum, rarefacit, extenuat, digerit, euacuat: humorem acrem, lentum, craſſum, aut multum, partibus dolentibus hærentem, æquabilem reddit, uaporémque craſſum, cõmodum exitum non habentem, diſcutit, atque ſic dolorem mulcet: nullam uerò ſua caliditate noxam inuehit: roſaceum namque calorem retundit, & infrenat. Quo fit, ut hoc remedium citra noxam ullam dolorem mitiget, & affectui non incommodet, ut aqua calida, oleum, & triticea farina, quæ in inflammatione cum dolore incidente ex uſu eſſe non poſſunt, ut teſtis

Lib. 2. ad Glauc.

eſt Galenus. Hæc enim calfaciendo ac humectando relaxant, ac robur partis reſoluunt, unde & imbecillior redditur, & ad fluxionem excipiendam pronior. Ad eundem uſum (nempe ad mitigationem doloris in phlegmone) efficaciter apponuntur, roſaceum, ouorum lutea, quæ & uitellos appellant, mica panis albi, in aqua calente macerata, poſteà expreſſa, & roſaceo permixta. Præſenti etiam auxilio ſunt, maluæ in a-

Crocum.

qua decoctæ, mixtæ cum furfure & roſaceo, uel oleo uiolaceo. Crocum autem in omnibus ſedandis doloribus aſſumitur Auicennæ, atque alijs anodynis, id eſt, dolorem mitigantibus, utiliter cõmiſcetur. Porrò ſi tãta támq; uehemens ſit doloris acerbitas, ut ijs quæ à ſedando, leniendó-

que

que dolore quaſi ſuppetijs latis naturæ, propriè anodyna & paregorica dicta ſunt, demulceri non poſſit, ad narcotica, id eſt, ſtupefacientia, tranſeundũ erit. Inter quæ hyoſcyamum admirandam opem ſæpe contuliſſe, quorundam ſcriptis prædicatur, & à nobis, aliíſue ualde multis frequenti experimento comprobatum eſt. Itaque folia eius ſub calidis cineribus coquito, recenti axungiæ miſceto, & admoueto. Hoc uehementes dolores mulcet, & phlegmonoſos tumores ad ſuppurationem perducit. Cauenda autem ſemper eſt, dum hoc moliris, nimia humectatio: quippe quæ per initia inflammationum, cum magno dolore fluxu incidente, pernicioſa ſit, ut paulò antè diximus. Cæterùm ſi metus adſit recurſus materiæ phlegmonem excitantis, ad loca penitiora, & maximè uerſus principes partes, trahentibus medicamentis (de quibus lib. ſexto fuſiſſimè egimus) uel etiam admotis cucurbitulis, quæ uehementiùs & ex penitioribus partibus trahunt, eam foràs euocare oportet. Si uerò à uehementer exiccantibus ac digerentibus inflammationi temerè admotis, reliquiæ tumoris in ſcirrhum abierint, radices cucumeris agreſtis (qui uulgò herbarijs et officinis cucumer aſininus dicitur) aut bryoniæ, aut aſari, in aqua incoques: ſæpe quidem (ut præcepit Galenus) has ſolas, nonnunquàm uerò & caricas pingues adijciens. Deinde farinam cum aqua miſceto, cui & aliquid adipis, præſertim anſerini aut gallinacei, adiicito. Quòd ſi horum copia non ſit, ſuillum addito, & cataplaſma cõficito. Hoc ſcirrhoſum affectum, ex ualentiùs exiccantibus & digerentibus medicamentis in parte, quæ phlegmone occupabatur, relictum, efficaciter ſanat. Prædictarum quoq; herbarum, & cum his althææ radices, poſt moderatam decoctionem cum pane & adipe contritæ, & admotæ, eiuſmodi induratos tumores diſcutiunt, ut libro ſecũdo ad Glauconem luculenter docet Galenus. Itaque ſi phlegmonoſos tumores, qui ægrè per halitum digeruntur, nec facilè concoquuntur, in ſcirrhum mutari timuerimus, ualenter digerentibus ſemper emollientia remiſcebimus. Sed de ijs iterùm libro ſexto, cui nomen fecimus antidotarium, locupletiùs dicemus.

Nota de hyoſcyamo.

2. Reuulſus materiæ ad interiora.

3. Duritiei relicta.

Galeni cata plaſma, ad induratos tumores.

PORRO ſi portio aliqua ſuppurantis particulæ computruerit, eam protinùs excidere oportet, uel plurimis ſcarificationibus profundis incidere: dein aqua ſalſa perfundere: & demùm emplaſtrum apponere, ex fabarum, aut orobi farina cocta in oxymelite. Reliqua quoque tibi molienda erunt, quæ in curatione gangrænæ mox ſubijciemus. Sed meliùs fuerit capita curationis eiuſmodi phlegmonoſi affectus, breuibus quibuſdam ſententijs complecti.

4. putrefactio.

Capita curationis rheumaticæ,id eſt,ex humorum influxu factæ phlegmones adhuc incipientis,& cum dolore non vſque adeo magno,affligentis. Ex Galeno lib.2.ad Glauc.

1. CORpus uniuerſum cõgruis uacuationibus, ſed præſertim uenæ ſectione,modò nihil obſtiterit,inanito.
2. Partem inflammatam his, quæ influentis humoris repellendi uim habeant,perfundito,ac illinito.
3. Humorem quì in affecto loco continetur, admotis exiccantibus, ac digerentibus medicamentis,uacuato.
4. Robur ac uirtutem affectæ parti, & eam circunſtantibus addito.

Capita curationis eiuſdem phlegmones,quandò cum grauiore dolore affligit.

1. VBi inflammatio ex defluxione orta, grauiore cum dolore affligit, doloris uehementiam citra ullam noxam leuato,mitigatóue.
2. Ergo quæ uehementer ſtringunt,aut quæ calfaciendo & humectando relaxant,ac robur reſoluunt,ne admoueto.
3. Sed quæ quod influit,mediocriter ſtringendo,repellunt,& quod iã affectam partem obſidet,uacuant,inflammato loco adhibeto.
4. Spongiam acerbo uino, aut poſcâ imbutam, ut fluenti humori uia præcludatur,applicato.
5. Si hæc profecerint,& nuſquam adhuc pus appareat, mollibus,& ijs quæ aduerſus fluxiones temperantur emplaſtris, utitor.
6. Ex ijs autem,quæ exiccare, & fluentem ſanguinem repellere citra dolorem poſſint,tanquam optima deligito. Quale eſt,quod chalcite conſtat,roſaceo reſolutum. Deinde lanam puram, ex uino acerbo madentem, ſuperponito.
7. Vbi uerò pus in parte ipſa apparuerit,ſemel atque iterum ſupradictum cataplaſma, aut potiùs quod ex hordei farina conſtat,admoueto.
8. Si puris,eiúſque craſſi copia, medicamenta ſuperet, adeò ut nulla exhalationis ſeu reſolutionis ſpes habeatur,exitũ ei quod digeſtioni nõ ceſſit,eo potiſſimùm loco, quo eſt editiſsimum, parato.
9. Poſt ſectionem,niſi dolor urgeat, uulnus exiccato,ac citra dolorem detergito.
10. Si poſt ſectionem dolor urgeat, eum fomentis primùm, deinde caplaſmate, mox humectante aliquo medicamento, aut ſaltem non ſiccãte, mitigato.
11. Si uerò pars adhuc inflammata ſit, cataplaſma ex lenticula, quod uacuat, & repellit,imponito.

De

De carbunculo, gangræna & ſphacelo, quas ſanguineas puſtulas vocant. Cap. VII.

POſtquàm de phlegmone prima inflammationum differentia, & noſtris corporibus frequentiſsimè incidente, abundè ſatis, quantum ad chirurgum attinet, diſſeruimus: conſequens uiſum eſt, ut primùm de carbone ſeu carbunculo, qui Græcis ἄνθρακξ dicitur: deinde de gangræna & ſphacelo (quem uulgò cũ Auicennæ interprete eſthiomenon appellant) dicamus. Ille enim ex ſanguinea fluxione, uti & phlegmone, ortum habet, febrémque acutiſsimam infert. Hæc uerò magnas phlegmonas ſubindè concomitari ſolent. Vt libello de tumoribus præter naturam, & plæriſque alijs locis Galenus annotauit. Itaque carbo ex influente ſanguine, nigro, craſſoque, ac feculento, eodémque feruente, atque impenſè calido, naſcitur. Cui ſi tenues quædam humiditates admixtæ fuerint, puſtulæ quædam ambuſtis conſimiles, per ſumma cutis excitantur, appellatúrque tunc hæc inflammatio, carbunculus cum puſtula. Quod uitium ſanè frequentiſsimè incidit. Interim tamen (licet rarò) & citra puſtulam, puſtuláſue incipit: uerùm omnibus cruſtoſum ulcus fit. Dixi autem, citra puſtulã, puſtuláſue. Quoniam una duntaxat aliquandò puſtula maiuſcula cũ hoc morbo exoritur, qua rupta, ulcus cum cruſta gignitur. Sæpè uerò non una tantùm puſtula erumpit, ſed multæ exiles, ueluti milij ſemina, crebræ in particula reſidentes: quibus præruptis, ſimiliter cruſtaceũ ulcus prouenit, quale ferramenta candentia excitant. Cæterùm inter initia priuſquàm puſtulæ enaſcantur, ſcabunt particulam omninò.

De carbunculo.

ἄνθρακξ. γαγγραίνα. σφακελὸς. Gangræna et ſphacelus magnas cõſequuntur phlegmõas

Carbunculi generatio et deſcriptio. Carbũculus duplex.

NOTAE carbunculi.
1. Vlcus cruſtoſum.
2. Puſtula una maiuſcula, uel plures exiguæ

Cruſta autem ipſa modò cinereum colorem, modò nigrorem præſefert, eóque loco leuari cutis non poteſt, ſed inferiori carni quaſi affixa eſt. Circũiacens caro in ſummam ac feruidam peruenit inflammationem, quam Græci phlogoſin appellant, & colore nigreſcit, ſplendétque bituminis & picis modo, ueluti ſi pluſculo rubro minùs miſceas nigri. Talis autem eſt color bilis exactæ atræ. Et hæ quidem notæ ſunt carbunculi ex ipſo affectu deſumptæ. Quibus accedit grauis & moleſtus admodùm laborantis particulæ dolor, perindè ac ſi uinculis eſſet uehementer conſtricta. Neceſſariò quoque qui ita ſunt affecti, febricitant, idque etiam magis, quàm illi, quibus eryſipelatoſa eſt phlegmone. Quòd ſi uenenoſitas aliqua ſubſit (ut ferè ſemper aſſolet) nauſea quoque & frequenti uomitu, unà cum omnimoda appetitus proſtratione miſerè torquentur laborantes. Sed & cordis tremor, &

3. Cruſtæ color cinereus aut niger.
4. Carnis circũpoſitæ inflãmatio cũ nigrore.
5. Dolor grauis.
6. Febris uehemens.
7. Nauſea.
8. Vomitus
9. Proſtratio appetentiæ.
10. Cordis tremor.

11. Animi deliquium.

palpitatio, & frequens animi defectio illis adsunt. Quod uitium tũc huius ætatis chirurgis peculiari nomine anthrax appellatur, à carbunculo quidẽ malignitate & uenenositate (ut uolunt) differens. Cùm tamẽ ἄνθρακες Græcis sit idem, quod carbo, uel carbunculus Latinis. Proindè supervacaneum est, eorum signa & curationem (quod ferè omnes chirurgi faciunt) distinguere, & in diuersis capitibus de ijs pertractare. Cæterùm carbunculi ipsi ex causis populatim grassantibus, magna ex parte oriuntur, & pestiferam luem consequuntur. Quocircà diligenti animaduersione circa eos opus est, tantum abest, ut negligi debeant.

Carbunculi luem pestiferã ferè semper cõsequuntur.

IVDICIA

Porrò tametsi ἄνθρακες, seu carbunculus omnis, morbus sit acutus, periculosus & contagione inficiens, omnium tamen pessimus est Auicennæ, & maximè lethalis, qui in emunctorijs, & prope membra principalia enascitur. Timendum enim est ne ad interiora & partem aliquam principem materia hæc uenenosa, quæ carbunculum excitauit, subitò recurrat. Quod si acciderit, in maximo uitæ discrimine æger est, præsertim si mala aliquot signa se prodiderint. Quin sola illius putida, & plusquàm lerneo tincta ueneno exhalatio, sufficiens est hominem enecare. Si circa stomachum, siue œsophagum, faucésue incidat carbunculus, subitò (ut ait Celsus) spiritum sæpe elidit. Minùs lethalis est carbũculus, Auicennæ, qui primùm ruber, deindè citrinus apparet. Qui uerò liuescit, aut nigricat, neminem ferè non iugulat. Nullus tamen ex sua natura non periculosissimus censetur. Si accidentia quæ morbum hunc comitari solent, plurimùm remittantur, spes aliqua nobis promittitur. Si uerò magis atque magis semper intendantur, & uehementiora fiant, tum planè est desperandum.

1. Carbũculus quandò maximè lethalis, sumpto à loco affecto iudicio.

2. Aliud iudicium à loco affecto

3. Iudiciũ à colore.

4. Iudiciũ ab accidentibus.

De curatione carbunculi.

Carbũculi curatio à sanguinis missione statim auspicanda.

CArbunculi curationem (supposita conuenienti uictus ratione) statim ab initio (si nihil obstiterit ex ijs, quæ uenam incîdi uetant) auspicandam esse à sectione uenæ Gal. præcepit libro meth. med. 14. & secundo ad Glauconem: uúltque sanguinis uacuationem, ad animi defectionem usque fieri. Quippe quæ plurimum commodi hoc uitio laborãtibus sit allatura: ídque perpetuò est obseruandum, ut uena è directo pertundatur. Venæ autem secandæ electio ex laborante particula (ut in curatione phlegmones dictum est) nobis indicatur. Quocircà ea in re consulendus est à chirurgo peritus aliquis medicus, qui undè, & quatenùs sanguis mittendus sit, probè nouerit definire. Secta ut decet uena, si nihil, ut dixi prohibuerit, alienum non fuerit eiusmodi tumorem scarificare, plagis quidem (ob infestantis succi crassitudinem) satis profundis:

Vena è directo secãda.

Scarificationes profundæ.

fundis: nempe quæ mediocribus(ut Galeno uiſum eſt) ſint altiores. Sũt qui præcipiant ipſos ſcarificatus in cruſtaceo ulcere duntaxat eſſe faciendos. Ipſas uerò inciſiones aqua ſalſa calente ſtatim perfundunt, ne in illis ſanguis coëat, concreſcátue, ſed foràs egrediatur. Interdùm etiam erodens aliquod medicamentum imponunt, cuiuſmodi eſt arſenicum, quod in ea re inter cætera primatum obtinet. Quidam uerò loco ſcarificato ſanguiſugas admouent. Cæterùm laboranti particulæ (tametſi quod ad inflammationem ſpectat, refrigerantia deſideret) ualidè repellentia haudquaquàm admoueri debent. Nec enim eiuſmodi fluxionem, propter humoris craſſitiem, atque etiam malitiam auertere poteris. Et ſi quandò id feceris, aliud quippiam (ut Galenus ait) quod in alto ſit corpore offendes. Atqui nec affatim affluere is humor, ipſo Galeno autore, permittendus eſt. Inquirenda igitur remedia ſunt, quæ cum modicè reprimendo, etiam digerere ſeu diſſipare poſſint. Tale profectò eſt cataplaſma, tum quod ex plantagine conficitur, tum quod ex bis cocta lente conſtat. Sed hîc admiſcenda nobis erit mica panis, qui furno ſit coctus. Eſto autem panis (ex Galeni conſilio) nec omninò à furfure purus, nec nimium eius habens. Huiuſmodi autem cataplaſma recentioribus appellatur emplaſtrum de arnogloſſa, cuius forma apud eos eſt talis. ℞. arnogloſſi, lentium, panis furnacei, ſingulorum partes æquales, coquantur in aqua. His gallas addidit Auicennas, qui & ad eandem intentionem probat emplaſtrum, quod conſtat duobus malis granatis, coctis in aceto, aut aqua acetoſa. Et hæc quidem tum parti ipſi laboranti, tum circumiacentibus imponunt. Huic ſententiæ accedit & Paulus Aegineta, inquiens, Vt radicitùs carbunculo diuellas, dirimáſque ab adiacentium commercio, malum Punicum acidum minutatim cõciſum in aceto coques: ubi autem intabuerit, in læuorem deteres, linteóque illitum induces: cùm ſicceſcit, aceto humectabis. Item nucis auellanæ ueteris, uel etiam non ueteris medulla, carbunculos maturat, rumpítque. Optimum autem etiam fuerit perpetuò circumiacentibus ipſis partibus unguentum ex bolo Armenia, roſaceo, uel myrtaceo oleo, & aceto confectum, inducere: ne ſcilicet intrò, qui iam fluxit humor, recurrat. Sunt qui uirus ipſum, & malignũ humorem in peſtilenti carbũculo, ſũctu, cucurbitulis, & medicamentis attrahentibus ad locum carbone obſeſſum euocant & alliciunt. Quod ſanè & faciendum conſuluerim, ſi artus, & minoris notæ partes, ἄνθρακες occupet, & pigrè moueatur fluxio. Si uerò ualidè, atque affatim ualde irruat, modicè reprimentibus (ut modò ex Galeno adductum eſt) infrenandus utcunque eſt fluxi-

Perfuſio ex aqua ſalſa calente.

Arſenicum.

Sanguiſugæ.

Fluxionem in carbunculo nec auerti poſſe, nec debere, li. 14. The.

Cataplaſmata carbũculo ido nea.

Emplaſtrũ de arnogloſſo.

Emplaſtrũ ex malis Punicis.

„ Paulus.

Medulla nucis auellanæ carbunculos maturat, et rumpit.

Auxilia attrahentia uirus.

fluxionis impetus, ne ſcilicet ingens nimis dolor ex fluxione tam ualenter irruente in laborante particula excitetur, atque ita malum exaſperetur. Super ipſum uerò ulcus cruſtoſum, ubi præcipuè membrum putrefit, ualens aliquod medicamentum, & quod uehementer exiccet, non autem quod concoquat, & pus moueat (quandò ita putredinem particulæ foueris) imponendum eſt. Cuiuſmodi eſt Andronis, Muſæ, Paſionis, uel Polyidæ: diluíque id uino aliquo dulci, uel ſapa, ad ſordium craſſitudinem debebit. Cataplaſma etiam, quod ex orobi farina, & oxymelite conſtat Galeno, rectè apponitur, ubi ulcus malignum & cum putredine fuerit. In communi autem uſu eſt unguentum uulgò Aegyptiacum nominatum. Quòd ſi hæc parùm proficiant, ad acriora, & quæ ignis uires habeant, deueniendum erit. Cuius generis ſunt, radix dracunculi, uel ariſtolochiæ, ex aceto trita, & impoſita, calx, arſenicum, & ſandaracha, & alia huiuſmodi, quæ non aliter, quàm ignis adurunt. Hæc proficiunt ſatis, ſi protinùs à uiua corruptam partem reſoluant. Quo facto, quicquid corruptum eſt & emortuum, protinùs auellere & radicitùs extirpare oportet. Cùm autem ſub ipſis erodentibus medicamentis ſequatur cruſta, undique à uiua carne diducta, uulnus quidem, quod ex eis excitatur, ut cætera aduſta curandum eſt. Cæterùm cum extremis morbis (ut inquit Hippo.) exquiſitè extrema remedia optima ſint, cogimur aliquandò (uictis ſcilicet malo medicamentis) malignum carbunculũ, cauterio, ut uocant, actuali, hoc eſt, candente ferro extirpare. Finis autem adurendi eſt, dum ex omni parte ſenſus doloris eſt, ut rectè Celſus admonuit. Poſt hæc cruſta ulceribus inducta, auxilijs ad id accommodis, reſoluenda eſt. Quòd ſi aduſtionem laborans pati recuſauerit, aliquis ex humili plebe adhibẽdus eſt, qui carbonem ipſum mordicùs apprehenſum radicitùs euellat. Quales olim erant Pſylli in Italia nominati, qui uulnera ex morſu ſerpentum illata, innocuè exugebant. Porrò auulſo ſic uel quomodocunque abſumpto carbunculo, ſinus, ceſſante iam inflammatione, primùm detergeri: deindè iam purus factus, implentibus medicamentis (quæ Græci ſynulotica uocant) curari debet. Vbi uerò iam penitùs fuerit impletus, nec ampliùs quicq; illi cauum remanſerit, ea quæ cicatricem inducunt, ſimiliter reliquis ulceribus adhibere fuerit tempeſtiuum. Horum autem omnium materia ex antidotario & tractatu de ulceribus requirenda eſt. Cæterùm ſi nõ admodùm ſæuiat malum, nobíſque aliquas dederit inducias, maturatur, & aperitur Auicennæ, admotis ficubus, fermento, & ſale adiuuicem mixtis. Vbi autem bis uel ter appoſitum fuerit huiuſmodi emplaſtrum,

Quid ſup ulcus cruſtoſum impoñendũ.

Cataplaſma ex orobi farina et oxymelite.

Vnguentũ Aegyptiacum.

Adurentia medicamẽta.

Quãdo ad uſtionẽ perandũ.

Finis adurẽdi.

Pſylli.

Auulſo uel abſumpto carbunculo, quid poſteà agendum.

Maturatiuum Auicennæ.

ſtrum,locus omninò niger & debiſcens apparere ſolet. Atq; tunc mundificatiuo ex apio locus detergendus erit. Medicamen quoque ex uitellis ouorum & ſale confectum,ſi ſæpiùs admoueatur,maturat & aperit carbunculum, ut ſcribit Theodoricus. Ad eundem finem in communi uſu eſt hodiè emplaſtrum ex melle,ſale,triticea farina, & ouorum luteis compoſitum. Conſolida maior (quod Græci ſymphyton appellãt) inter duos lapides contrita, diuino quodam (ut referunt) miraculo anthracem ſanat,& ex toto intra diem unum interimit,ita ut nulla ampliùs deinceps curatione egeat, præterquàm ea, quæ communis eſt alijs uulneribus. Miranda etiam narrant alij de ſcabioſa: nempe quòd comeſta uel ex uino pota,internos tumores ad exteriora protrudit,& inſenſibiliter diſſoluit, diſcutítque.

Mũdificatiuum ex apio.

Emplaſtrũ uulgare optimũ, quod uſurpatur in Pariſiorũ Noſocomio.

Conſolida maior.

Scabioſa.

Quæ cruſtas vlceribus reſoluunt.

CRuſtas huiuſmodi carbunculi ulceribus reſoluunt, butyrum recẽs, axungia porci, & alia id genus pinguia. Ad id etiam mirè proficit ſubſequens emplaſtrum. Nam præterquàm quòd eſcharam, id eſt, cruſtam,citiùs multò quàm prædictareſoluit,dolorem etiam ab acribus & adurentibus medicamentis, uel candente ferro excitatum,demulcet: atque malignum ipſum ſuccum,qui carbunculum creabat, potenter diſcutit. Habet autem farinæ triticeæ & hordeaceæ, ſingulorum uncias tres. Ex quibus cum decocto maluarum, uiolarum, & radicum altheæ fit ſolidum emplaſtrum,addendo butyri, & axungiæ ſuillæ liquefactæ ſingulorum uncias duas,uitellos quoque duorum ouorum, qui adijci debent quandò ab igne remouentur: atque hæc omnia rurſus cum radice & foliis prænominatis,diligenter contuſis,& ſubactis, ac per incerniculum cretis,adinuicem miſcenda ſunt. Victus ratio, epithemata, opiatæ, & alia id genus, quæ cordi roborando dicata ſunt: Item uacuationes, ſi quæ neceſſariæ ſint, ad diæteticen & pharmaceuticen omninò pertinent. Quare in ijs adminiſtrandis peritus aliquis medicus erit cõſulendus. In communi autem uſu eſt apud omnes theriace, quæ ad fabæ magnitudinem exhiberi ſolet, ex aqua ſcabioſæ, uel ſi febris adſit admodùm acuta & uehemens,ex aqua roſacea uel bugloſſi: debétq; à laborante aſſumi ſex horis à paſtu. Cæterùm quoniam ſuperiùs facta eſt mẽtio de trochiſcis Andronis,Polyidæ,Paſionis,& Muſæ,quos tantoperè celebrat Galenus, non alienum fuerit eorum deſcriptionem hîc ſubijcere.

Emplaſtrũ eſcharã reſoluens.

Theriace.

Andronis trochiſcus hæc recipit.

CYTINORVM, id eſt, *florum ſeu capitulorum mali Granati, dra-*

drachmas decem, aluminis ſciſsilis drachmas quatuor, chalcanthi drach. duodecim, myrrhæ drachmas quatuor, thuris, ariſtolochiæ, gallæ, ſingulorum drachmas octo, ſalis ammoniaci drachmas quatuor.

Polyidæ ſphragis paſtillus hæc continet.

Quod ſic ✻ſtellatim decuſſatur, nota eſt de narij, quæ pro drachma hic ponitur.

MALICORII ✻ *pondo ſex, myrrhæ* ✻ *pondo octo, aluminis ſciſſilis* ✻ *pondo quinque, thuris* ✻ *pondo quatuor, chalcanthi* ✻ *pondo trium, fellis taurini* ✻ *pondo ſex: uino dulci excipiuntur.*

Polyidæ paſtillus alius.

ALVMINIS *fiſsi pondo denarium trium, thuris pondo denariũ quatuor, myrrhæ tantundem, chalcanthi pondo denarium duum, cytinorum pondo denarium duodecim, fellis taurini pondo denarium ſex, aloës põdo denarium octo: uino auſtero excipiuntur.*

Muſæ trochiſcus hæc habet.

ALVMINIS *ſciſsi, aloës, myrrhæ, chalcanthi, ſingulorũ pondo* ✻*ſex, croci, crocomagmatis, ſingulorum pondo* ✻ 3. *cytini pondo* ✻ 4. *mulſo ex falerno facto aſſumuntur.*

De gangræna & ſphacelo.

Gangræna quid, & ũde ortum habeat.

GAngrænas nominat Galenus libro 2. ad Glauconem, *eas, quæ ex magnitudine inflammationis fiunt mortificationes, nondùm tamen integrè factæ ſunt, & iam confirmatæ.* Eius mali tanta uis eſt ac tyrannis, *ut niſi celerrimè ſuccurras, facilè affecta pars mortis habitum repræſentet, hoc eſt, promptiſsimè, uitæ, ſenſus & motus extinctionẽ contrahat.* Vbi uerò *membrum ſic uitiatum, & languens, in totum ſenſu fuerit deſtitutum, ac omninò emortuum, ita ut percuſſum, uel ſectum, uel aduſtum, non ſentiat quæ patitur, affectum hunc non iam ampliùs gangrænam, ſed ſphacelon Græci nominant. Latini uerò ſyderationem, recentiores eſthiomenon appellant: quod nomen etiam ad gangrænam extendunt.* Auicenna autem *eſthiomenon uocauit, quandò ad partes continuas tranſit corruptio, quo noĩe in re alia utũtur Græci.* Quidã *affectũ hunc modò herpeta eſthiomenon, modò cancrum ulceratum nominant.* Accidit autem *hic affectus etiam oſsibus, cùm caro ipſis circundata ac circũfuſa tetros gignens ichoras, id eſt, deprauatam ſaniem generans, hoc tetro uiru ea imbuerit, ac fœtidiſsima putrilagine conſumpſerit.*

Gangræna peſsimus tyrannus.

Sphacelus.

Oſsium ſyderatio.

Syderatum membrum confeſtim reſecandũ.

Cùm itaque *membrum ita ex toto, uita, ſenſu, motúque priuatum apparuerit, confeſtim ad uiuum uſque, quàm proximè ſanæ parti erit reſecandum.* Itaque *differt ſphacelus à gangræna, quòd ille oſsibus etiam (ut dictum eſt) innaſcatur, nedum carni & uaſis: hæc uerò oſsibus non adueniat: una tamen ſpecies ſphaceli eſt, ſed proprium nomen & ſingu-*

lare

lare præter commune ſortita. Huiuſmodi abſolutam partis affectæ corruptionem, ſenſum penitùs auferentem, uulgus Gallicum appellat ignem Sancti Antonij, aliàs Sancti Martialis. Alij uerò (ut diximus) herpeta, eſthiomenum: alij cancrum ulceratum uocant. Accidit autem trifariàm eiuſmodi membrorum mortificatio, ſeu uitæ in membris extinctio, ac deſtructio. Vno modo, quando membrum non ampliùs poteſt recipere uitã ſibi à corde per arterias tranſmiſſam, propter diſſipationem ſeu diſſolutionem mixtionis atque harmoniæ ipſius laborantis membri. Diſſoluitur autem ac deperit mixtio atque harmonia partis, uel ob nimiam frigiditatem, ut aliquando contingit per hyemem ualidam atque aſperam: uel ab immoderata, & inconſultè ac temerè molita inflammationum refrigeratione: aut ab excedenti ac ſupra modum uehementi caliditate, & uenenoſitate inflammationum ac malignarum (ut uocant) puſtularum. Altero modo gangrænam & ſphacelum fieri contingit, quando uita in membro recepta præfocatur, atque extinguitur, ut nõnunquam euenit in magnis inflammationibus, quæ ita interdum uenas, arterias, & poros cutis obturant, conſtipántque, ut ſpiritus ibidem, prohibita in totũ effluuij uaporoſi tranſpiratione, & aëris externi attractione, ſtranguletur, ſuffocetúrque. Tertio modo, hæ mortificationes & uitæ extinctiones fiũt in membris, quandò prohibetur tranſitus atque influxus uitalis ſpiritus, à corde ad membrum aliquod: idque uel propter uehementem ligaturã, uel contuſionem aliquam in uijs, ac meatibus ipſis, per quos defertur ſpiritus, factam. In ſumma, gangræna & ſyderatio, quam Græci necroſin, & ſphacelum uocant, noſtris corporibus accidunt, uel denegata parti uitali facultate, uel natiuo eius corporis calore, ac temperie pereunte.

Ignis ſancti Antonij.

Mortificatiõis cauſæ 3.

1.

Quæ membri mixtionem diſſoluunt.

2.

3.

Cæterùm ſigna gangrænæ & ſyderationis, Galeno in opuſculo de tumoribus præter naturam ſunt hæc. Primum quidem illud coloris floridum, quod phlegmonis, id eſt, inflãmationibus adfuerat, in ipſis extinguitur. Deinde dolor & pulſus ſeu pulſatio, hoc eſt, arteriarum motus ipſi ægro ſenſibilis, recedunt, nõ ſimita adhuc diſpoſitione, uerùm ſenſu iã emortuo. Vnde membrum mox nigrum conſpicitur, molle quoque & putridũ, fœtorémq; expirans, cadaueroſum efficitur. Quo fit, ut cùm præmitur digitis, facilè cedat in profundum, nec poſteà reuertitur aut reſilit, imò apparet cutis à carne ſeiuncta. Hæc autem partis affectæ mortificatio, quam Græci gangrænam appellant, tantæ eſt (inquit Paulus) ferocitatis, ut niſi quis rupta omni mora præſentiſſimas tulerit ſuppetias, laborans particula facilè emoriatur, & uicinas ſedes inuadat, ac hominẽ ipſum iugulet. At ſi (ut refert Celſus) nondum planè tenet, ſed adhuc

SIGNA gangrænæ et ſphaceli.

1.

2.

3.

4.

IVDICIA.

Lib. 4.

Lib. 5.

incipit, eam curare non difficillimum eſt, utique in corpore iuuenili, & magis etiam ſi muſculi integri ſunt, ſi nerui uel læſi nõ ſunt, uel leuiter affecti ſunt. Vbi uerò penitus inſedit hoc malum, & iam in ſphacelum abiit, inſanabile eſt, pluriméque ſub frigido ſudore moriuntur.

De curatione gangrẽnæ ex magnis inflammationibus genitæ, & ſphaceli ex gangræna creati extirpatione.

Corrupti ſanguinis uacuatio.

CVm ſanguinis copia gangrænã generet, eius curãdi ratio ſtatĩ auſpicãda eſt à copioſa corrupti ſanguinis, qui in mẽbro laborante cõpingitur, uacuatione. Sed interĩ negligi nõ debẽt, q̃ ad diæteticã, pharmaceuticã, uenæ ſectionẽ (ſi neceſſaria fuerit) et cordis tutelã ptinere uidebũtur, pro quibus conſulẽdus erit chirurgo peritus aliquis medicus, qui oĩa ꝓbè, et ut res exigit, norit inſtituere. Fit autẽ larga illa ſanguinis ita impacti (cuius occaſione fiunt mortificationes) ex parte affecta emiſſio, uel uena inciſa, ſi quæ amplior, ac turgens circa eandẽ partẽ cõſpicitur, uel cute uniuerſa partis affectæ, unà cum ſubiecta ſubſtãtia, exciſa, uel pluribus & altis ſcarificationibus diuiſa. Alij ad eundem finem ſanguiſugas admouent, & uenas minores proximas aperiunt. Verùm profundæ illæ ac frequentes ſectiones aut ſcarificationes, multò ſunt ad eius mali curationem efficaciores. Cæterùm pro affectus magnitudine, uel maximæ ſectiones fiunt, uel inciſuræ (quas ſcarificationes appellamus) utræque frequentes: illa, ubi putredini uicinius malum eſt: hæ, ubi tantùm putreſcere incipit. Quo enim uitium maius eſt, eo maiore remedio, ut cuiq; conſtat, indiget. Vbi autem abundè ſanguinem ex altis illis plagis emanare permiſeris, locus aqua ſalſa abluendus erit, ut ſanguis craſſior, & qui alioqui ibidem concreſceret, foràs egrediatur. Deinde medicamentũ aliquod putridis conſecratum, id eſt, quod putrefactionem prohibeat, ac reſoluat, induci debet, quale eſt farina orobi, aut lolij (quod Franci iuraiam, quòd uini modo temulentiam concitet, appellant) aut ſi harum facultas non ſit, fabacea ex oxymelite, uel ſyrupo acetoſo. Vtile etiam fuerit, locum ſcarificatum bis in die aceto calente, ſed mulſo præſertim lauare. Hæc enim ſua ſiccitate ſaniem & putrilaginem abſumunt, eámque detergunt: frigiditate uerò, quod nõdum uitiatum ac corruptum eſt, à putredine uindicant. Vbi uerò iam ipſe ueluti feruor ſubſederit, ac mali furia ſeſe remiſerit, unguentum id, quod uulgò Aegyptiacũ appellatur, ex flore æris, alumine, melle, & aceto, ad æquas portiones mixtis & coctis compoſitum, ſuperimponẽdum erit. Hoc enim putrefactionem prohibet, ac reſoluit: putrefactum quoque ac corruptum ab integro & ſano adhuc dirimit, & decidere cogit. Denique cruſtam inducendo, quod ſanũ eſt, conſeruat, ac tuetur. Quòd ſi ualentius atque efficacius medicamen

Poſt ſcarificationem locus aqua ſalſa abluendus.

Medicamẽta putridis cõſecrata.

Vnguenti Aegyptiaci uis.

uelis

uelis apponere, ſalem prædictis adijce: aut ſi malum magis adhuc increuerit, aliquem ex trochiſcis paulò antè memoratis exquiſitiſsimè tritum aceto & uino dilutum, utpote uel Andronis, uel Polyïdæ, uel Muſæ, uel Paſionis, uel unum ex ijs qui in antidotario dicuntur, calidicon, aldaron, & ex aſphodelo, qui ob ſuam uim cauſticam corruptum à ſano diriment. Probatur in ea re ante omnia arſenicon quod uocant ſublimatum, purum, aut correctum, idque uel in puluere, uel ex uino diſſolutum, & linamento, aut xylo, quod Galli cotonem appellant, exceptum, inter ſanũ & corruptum applicatum. Hoc enim confeſtim malum ſiſtit, & id quidem ſine dolore. Quòd ſi neceſsitas exigat, ſpathula uel ſpecillo ſeparãdum eſt ſanum à corrupto. In eiuſmodi autem medicamentis adhibendis, ut res ſecuriùs tractetur, attentos ſedulò nos eſſe oportet circa naturam corporis ægroti, ſicuti rectè nos Gale. admonuit, inquiens, Si corpus ruſticum fuerit, & durum naturâ, uehementiora deſyderat medicamenta: fœmineum uerò, & mollem carnem habens, imbecilliora. Infantes quoq; uel pueri, & quicunque inter uiros & balneas amant, & in otio degũt, mollia exigunt medicamina. Conſyderanda inſuper eſt partium, quæ malè affectæ ſunt, nedum corporis totius natura: quandò abſcindis, aut circũcidis id quod iam computruit. Quædam enim ſunt, quæ citiſsimè ad putredinem ueniunt, ſi negligenter curentur: aliæ uerò tardiuſculè. Quædam item medicaminum uires ac beneficia tardiùs ſentiunt, aliæ citiùs. Porrò ſi nihilo magis malum his cauſticis medicamentis conſiterit, uri id quod eſt inter integrum, ac uitiatum locum, debet. Solent uerò hæc auxilia omnia, nihil interdùm proficere, atque tunc unicum: tametſi (ut Celſus ait) miſerum auxilium eſt, membrum quod paulatim emoritur, abſcindere, ut cætera pars corporis tuta ſit. Nam quod computruit, ueneni in modum ſuo contactu, quod adhuc ſanum & integrum eſt, inficit, & corrumpit. Si quandò autem putrefactam huiuſmodi atque emortuam partem abſcideris, uel quod in membro quopiam computruit uſque ad ſanum corpus concideris, eam quæ ueluti quædam radix eſt, ſanæ atque integræ parti adiunctam, ob maiorem ſecuritatem, ex Galeni conſilio, candenti ferro adurere conuenit. Ita enim celeriter ſanguinis profluuium compeſces, & putredinẽ arcebis. Facta uerò aduſtione, porri ſucco, uel (ut Paulus ait) ſale cum porro utendum eſt, uel aliquo ex ijs, quæ paulò antè diximus. Hæc enim ſiccant, & ſtringunt putredinem, atque humorum affluxum prohibent. Vbi uerò tibi uidebitur his remedijs adhibitis ceſſare putredo, ut cruſtæ citiùs decidant, cataplaſmate utendũ eſt ex pane uel hordeacea farina, uel triticea ex hydrelæo incocta.

Trochiſcã cauſtica.

Arſenicum ſublimatũ.

Lib. 2. ad Glauco.

Vſtio quando adhibẽda.

Si gãgræna inſphacelum abierit.

Lib. 2. ad Glauc.

Lib. 4.

Cruſtas à partibus exuſtis ſolaũetia.

Item medicamẽto,quod cephalicum uocãt,ex melle illitum. Hæc enim detergendo,cruſtam à ſubiecta carne reſoluunt. Quinetiam medicamentũ, quod tetraphармacum dicitur: præterea & Macedonicum,pus mouendo ac emolliendo,cruſtas à ſubiectis corporibus diducunt. Quemadmodùm & reliqua omnia,quæ ad ſuppurationem perducũt. Hæc enim præterquàm quòd emolliunt,pus ſub cruſta conficiũt,quod eam reſoluit, ſcilicet inter carnem ſubiectam & cruſtam ipſam interiacens. Panis quoque cum apio tritus,aut ocymo,optimè cruſtas à ſanis partibus citra eroſionem detergendo,detrahit. Sic & iris,uel radix panacis, uel ariſtolochiæ,uel acori cum melle. Solent autem uulgò ad cruſtas reſoluendas uti butyro,aut alio quouis unctuoſo. Vbi uerò cruſta exciderit, locum aceto abluunt. poſtea ſequens emplaſtrum admouent,quod ad Guillelmum à Saliceto refertur. Recipit autem mellis ſelibram, uitellos ouorum crudos tres, aut quatuor numero, farinæ hordei ſelibram: hæc miſcentur in formam emplaſtri. Poſt biduum uerò uel triduum, ut melior fiat mundificatio, huic emplaſtro addi poſſunt drachmæ decem myrrhæ electæ. In teneris autem corporibus ad eſcharæ ſeparationem, & ſordium deterſionem, abundè ſufficit Galeno orobi farina cum melle, uel thure. His ritè peractis huiuſmodi ulcera ad ſanitatem perducenda ſunt medicamẽtis, quæ carnem producant, & cicatricem inducant: ſynulotica, & epuiotica Græci uocant.

Butyrum.

Emplaſtrũ Guillelmi à Saliceto.

Lib.2.ad Glauc.

Capita curationis gangrænę & ſphaceli.

1. VItiatum ſanguinem in affecta parte impactum affatim uacuato.
2. Poſt ſcarificatus aut ſectiones, locum affectum aqua ſalſa abluito. Deinde medicamentum putridis conſecratum inducito.
3. Vbi mali furia ſe remiſerit, unguentum Aegyptiacum ſuperimponito.
4. Si malum ijs remedijs non ceſſerit, id quod inter uitiatum & integrum eſt, ferro candente adurito.
5. Quòd ſi hæc omnia nihil profecerint, & iam gangræna in ſphacelum degenerauerit, membrum quod ſic planè emortuum fuerit, uſque ad partem ſanam, ita ut nihil prorſus putridi relinquatur, ocyſſimè abſcindito.
6. Vbi quod computruit reſecueris uel amputaueris, quò ſecuriùs mali radicem euellas, ferramenta igne flagrantia adigito.
7. Poſt exuſtionem porri ſuccum, atque alia id genus, quæ ſiccãt, ſtringunt, & fluxionem arcent, admoueto.
8. Cruſtam uel medicamentis adurentibus, uel ignito ferro inductam, à ſubie-

à ſubiectis corporibus reſoluere (ſolet enim inde ſanguinis profluuium ſequi)ne properato.

Cùm putredo ceſſauerit, nec ampliùs ſanguinis profluuium reformidaueris, ea quæ cruſtam detrahunt, applicato. 9.

Vbi cruſtæ exciderint, curationem reliquis ulceribus communẽ adhibeto. 10.

Quiſequuntur aphoriſmi, ad medicum pertinent.

VIctum tenuem, & refrigerãtem, gangræna & ſyderatione, id eſt, ſphacelo laborãtibus inſtituito. 1.

Fluxionem ſanguinis miſsione, ſi nihil obſtiterit, auertito: atque eâdẽ plenitudinem (ſi adfuerit) uacuato. 2.

Medicamento quod catholicon appellatur, uel nigra caſsiæ fiſtularis medulla, ad hæc tamarindorum, lupuli, ac fumariæ decocto, ſanguinem mundificato, depuratóque. 3.

Theriacam, atque id genus alia, quæ cor uitæ fontem ac principium, à putridis, & graueolentibus illis, à parte uitiata ſublatis effluuijs, tuentur, laboranti ſumenda exhibeto. 4.

De eryſipelate, & aliis tumoribus à bile creatis. Cap. VIII.

AMetſi phlegma, quod Latini pituitam uocant, in generatione humorum, ſanguinem conſequatur, maiórque eius humoris portio ſit in corpore ſecundum ſanguinem, quàm aliorum humorum: quia tamen tumores præter naturam à bile procreati (quæ apoſtemata cholerica communiter uocant) in ualde multis conſpirant cum ſanguineis: conſequens eſt, poſt determinationem phlegmones, & aliorum qui à ſanguine fiunt, tumorum præter naturam conſtitutionum, de ijs nunc dicamus, qui à bile excitantur, & nomine quidẽ cõmuni eryſipelata uocantur Græcis, Latinis uerò antiquioribus ignes ſacri. Eſt igitur eryſipelas biliosæ fluxionis germen, circa cutim utramque maximè conſiſtens, et eam ſcilicet, quæ foris eſt, omnium partium cõmune tegumentum: & membranoſam illam ac tenuem, quæ ſingulis internarum eſt circundata. Nonnunquàm uerò & aliquid quoque ſubiectæ ſibi carnis occupat, ſicuti & phlegmone (quæ fluxionis ſanguineæ ſoboles eſt, in carnoſa corpora maximè incidens) etiam cutis aliquid apprehendit. Itaque cùm flaua bilis uerè tenuis, uel ſanguis ſeruẽs & conſiſtẽtia tenuis (qui recentioribus cholera dicitur naturalis, Galeno uerò χολὴ ξανθὴ) per ſolam cutem diffuſus fuerit, nihil inferiorem carnẽ moleſtans:

Pituita ĩ humorũ generatione ſanguini proxima.

Eryſipelas quid.

Eryſipelas exquiſitũ.

particulam tamen in tumorem aliquantum attollens, cum inflammatione & rubore in flauum elangueſcente, ac protinùs ad tactum euaneſcente: affectus hic priuatim ac propriè Galeno uerum atque exquiſitum eryſipelas nuncupatur. Hoc autem unius rationis eſt, ſeu (ut dicunt) uniforme, & abſque ulceratione incidit. Auicennas ſpinam uocauit. Cùm uerò amaræ bilis ſuccus craſſior acriórque, quàm pro naturæ modo redditus fuerit, ſummam cuticulam (quam epidermida Græci uocant) exulcerat, excoriátue, atq; aliquandò cutis exulceratio ſpacio temporis ad profũdum peruenit, ita ut inferiorem ſeu ſubiectam carnem attingat. Nuncupatúrque tunc eiuſmodi affectus etiam eryſipelas, ſed cum ulceratione, quod (Galeno autore) eiuſdem generis eſt cum herpete. Verùm enimuerò, ſi nec planè bilioſa, nec ſanguinea fluxio ſit, ſed ex ambabus mixta, non iam tantùm eryſipelas, ſed diſpoſitio permixta eryſipelate atq; inflammatione nominatur Galeno. Ab eo autem quod in miſtura exuperat, nomen uitio indetur. Etenim ubi ſanguis præcellit, phlegmone eryſipelatoſa dicetur. Vbi uerò flaua bilis præpollet, eryſipelas phlegmonoſum appellabitur. Verùm ubi neutrum uincit, & æqualia utriuſque apparuerint accidentia, tunc uitium id phlegmones eryſipelatóſque, medium uocabitur. Iam uerò & aliarum mixtionum ſimilis utique erit interpretatio: nempe ſi multa bilis, pauco humori pituitoſo aut atribilario remiſceatur, eryſipelas œdematoſum, uel ſcirrhoſum dicetur. Porrò cùm ſimpliciter bilem dicimus, uel bilioſum humorem, more Galeni & aliorum Medicorum, nos pallidam bilem ſeu flauam, & amaram, non autẽ acidam & nigram, inaudimus. Hæc autem naturalis cholera, & certa, aliis nominatur, ex ſanguine quidem tenui & feruente generationem obtinens. Atram uerò bilem nunquàm abſolutè bilem nominamus, ſed ſemper cum adiectione humoris, appellationi colorem adiungentes. Eſt igitur bilis, quæ χολὴ Græcis dicitur, uulgò autem cholera, humor calidus & ſiccus, ex tenuiori & calidiori parte chyli, uel ex ſanguine tenui & feruente, ut modò diximus, procreatus. Hæc autem duplex eſt iuxta nœotericorum diuiſionem, naturalis ſcilicet, & non naturalis. Naturalis, eſt humor calidus & ſiccus poteſtate: ſubſtantiâ quidem tenuis, colore uerò flauus, aut ruber, declinans ad quandam citrinitatem ſeu flauitiem: ſapore uerò exactè amarus, non aũt acutus ſiue acris, ut quidã malè affirmauerũt. Nõ naturalis uerò, bilis dicitur, quæ à prædicto humore uerè bilioſo degenerat, ũtra terminos tamẽ ſuæ latitudinis cõtinetur, quos ſi egrediatur, nõ iãbilis, ſed alius humor reputabitur. Hoc aũt (bilem inquã egredi limites ſuæ latitudinis) cõtingit bifariã: uno mõ (ut ſic dicatur)

Spina.

Eryſipelas cum ulceratione.

Eryſipelas nõ legitimũ & eius ſpecies.

Phlegmone eryſipelatôdes.

Eryſi. phlegmonôdes.

Medium uitium.

Bilis.

Bilis flaua duplex.

1. Naturalis.

2. Nõ naturalis.

Bilis duo.

tur)per ſe,et in ſe:Altero modo,per admixtionem. Per ſe,& in ſe adhuc dupliciter:Vno modo,quãdò bilis illa naturalis putreſcit,et aduritur,& talis dicitur aduſta per putrefactionem. Altero modo, quandò bilis non naturalis uitellina dicta,igneo calore percoquitur in hepate, aut in uentriculo,aut in uenis,& efficitur porracea,quam etiam praſinam uocãt, uel æruginoſa, quæ extremè quidem malæ ſunt. Per admixtionem uerò bilis efficitur nõ naturalis,ſeu præter naturam,cùm alius humor illi extrinſecùs accedit.Et hoc quidem fit multifariàm. Nempe ſi phlegma tenue & aquoſum illi admiſceatur, citrina ſeu crocea efficitur, ſi craſſum & uiſcoſum, uitellina: ſi uerò melancholia aduſta illi permiſcetur, efficitur bilis aduſta per admixtionem. Et ſic iuxta Auicennæ placitũ,ſex ſunt ſpecies bilis non naturalis. Apud Halyab.uerò quatuor duntaxat. Nullam enim prorſus mentionem fecit de duabus ſpeciebus aduſtis. Galeno autem libro 2.de uirtutibus naturalibus,nulla bilis præter naturam eſſe dicitur,præter uitellinam,quæ ouorum uitellis, tum colore,tum craſſitudine eſt adſimilis. Siquidem porraceã & æruginoſam ex prauis ac corruptis humoribus, propter quorundam eſculentorum aut olerũ cruditatem,qualia ſunt,beta,cepa,braſſica,ſæpenumerò in uentriculo ait generari.Atque etiam interdùm talibus nequaquàm ingeſtis,ratione ægritudinis,aut malæ alicuius diſpoſitionis in uenis ipſis generatur. Ex ijs itaque colligitur,quatuor ſpecies ſeu differentias inflammationum (quæ uulgus cholerica apoſtemata uocat)ex bile ipſa generari.Nempe ex bile uera,ſyncera,& laudabili (quam tenuem feruentémque ſanguinem appellamus)procreatur ea ſpecies inflammationis, quæ Galeno uerum atque exquiſitũ eryſipelas appellatur,lib.2.ad Glauc.quod tanquàm cutis ſolius paſsio eſt. Græcè autem ἀκριβὲς ἐρυσιπέλας nominatur. Ex bile uerò non naturali,& alijs humoribus permixta,tres aliæ naſcuntur differentiæ,utpote eryſipelas phlegmonôdes,eryſipelas œdematôdes,et eryſipelas ſcirrhôdes,ſeu ſcirrhoſum. Ex bile autem quæ præter naturam ex aduſtione facta eſt,pro ratione tenuitatis aut craſsitiei, ſubſtãtiæ ipſius generantur,uel herpetes eſthiomeni,id eſt,exedentes (qui eiuſdem generis ſunt cum eryſipelatis, quæ cum exulceratione incidunt) uel phagedænæ(quæ cum cute pariter ſubiectam carnem altiùs erodũt) & exulcerati cancri, aliáque eiuſmodi erodentia, & cacoëthæ, id eſt, maligna ulcera,quæ puſtulæ corroſiuæ recentioribus chirurgis dicũtur. Itaque tenuiſsimus quidem in eiuſmodi humoribus, eſt is,qui exulceratum herpetem excitat:craſsiſsimus,qui cancrum. Proximum deinceps locum occupat,quod ad craſsitudinem attinet,qui phagedænas creat,ut li-

bus modis deficit à ſua natura.
Vitellina ex meracis bile.
Bilis porracea.
Aeruginoſa.
Croca bilis.
Vitellina, ex admixti õe pituitæ. Auicen. Haly.
Porracea bilis quõ gignatur.
Quatuor ĩ flãmationũ differẽtiæ, ex flaua bile oriũtur.
Verũ Eryſipelas.
Tria eryſipelata illegitima.
Herpes exedens.
Phagedænæ.
Cancri exulcerati.

Cauſæ ueri eryſipelat.

bro 14. methodi medendi Galenus annotauit. Cauſæ ueri eryſipelatis uti & phlegmones ueræ, ſunt tres. Prægreſſæ, quæ & primitiuæ dicuntur: antecedentes, & coniunctæ. Cæterùm rarò fit eryſipelas à cauſa prægreſſa, frictiones tamen uiolentæ, inſolatio & admotio medicaminum attrahentium ipſum nonnunquàm excitant.

De ſignis & iudicijs veri eryſipelatis.

Signa & iudicia ueri atque exquiſiti eryſipelatis ſumũtur ex collatione ipſius ad phlegmonem iuxta Galeni doctrinam, 14. Therap. & 2. ad Glauconem: ex quo apertè colligitur uerum ac legitimum eryſipelas ueluti quandam ſpeciem eſſe phlegmones, id eſt, inflammationis generaliter acceptæ. Notæ igitur eryſipelatis ſunt, color aſpectu rubidus, in flauum elangueſcens, qui (rubor inquam) flaueſcens, ad tactum, hoc eſt, digitorum appreſſu facilè ſubterfugit, rurſúsque illabitur.

NOTAE eryſipelat.
1. Rubor flaueſcens, ad tactũ ſubterfugiẽs.

Tumor exiguus, in cute potiùs conſiſtens, quàm altè deſcendens.

2. Tumor paruus.

Calor uehemens febrem excitãs maiorem, eâ, quæ ex phlegmone accenditur. Siquidem calidius multò eſt eryſipelas, quàm phlegmone.

3. Calor uehemẽs.

Pulſatio (quæ magnæ phlegmones proprium eſt ſymptωma) non admodùm fortis.

4. Pulſatio exigua.

Dolor mordicans & pungens nullam (ut in phlegmone contingit) inuehens tenſionem, & ſi quæ ſunt alia bilis dominium ſignificantia.

5. Dolor pũctorius.

IVDICIA.

Quod autem ad iudicia pertinet, eryſipelas utplurimùm faciem prehendit, incipítque maximè in ea naſi parte quæ uulgò lepus appellatur. Deinde mox in faciem totam expanditur, gemina quidem occaſione: nempe ob faciei raritatem, & ipſius bilis leuitatem. In oſſis autem exutione ſeu denudatione, eryſipelas ſuperueniens, malo eſt, ut ſcribit Hippocr. Aph. 19. lib. 7. hoc eſt, ſymptωma prauum eſt, ſi oſſe nudato caro circunſtans ab eryſipelate occupari uideatur. Hoc autẽ Galeno teſte, rariſsimè accidit. Rurſus ſequenti aphoriſmo ſcribitur ab eodem Hippo. quòd ab eryſipelate putredo aut ſuppuratio, malum. Hæc enim (inquit Galenus) nunquàm eryſipelatis ſuperueniũt, niſi ualde malignis. Verum, ac legitimum eryſipelas quatuor habet tempora, uti & alij præter naturam tumores. Horũ autem ſigna ex præcedentibus ſunt requirenda. Exquiſitum eryſipelas rarò terminatur ſuppuratione, ſed magna ex parte inſenſibili tranſpiratione ſeu reſolutione. In eryſipelate quædam interdùm contingunt accidentia, ſeu (ut Græci dicunt) ſymptωmata, quæ nonnunquàm magnitudine ipſius morbi cauſam exuperãt, atque ideò curandi rationem interpellãt, hoc eſt, curationis ordinẽ euariant, peruertúntque, ut etiam ſuperiùs de phlegmone dictum eſt.

IVDICIA.
1.
2.
In cõ. præd. Aph.
3.
4.
5.
6.
7.

Eryſipelas motũ ſequitur tertianæ febris.

Ad hæc eryſipelas motum ſequitur tertianæ febris, nam ad eius materiam

teriam quandam habet analogiam. Vtriusque enim materia, humor est bilioſus. Cæterùm eryſipelas ab exterioribus uerti ad interiora non eſt bonum: ab interioribus autem ad exteriora, bonum, ut ab Hippocr. ſcriptum eſt aph. 25. lib. 6. Eryſipelata uerò, quæ capiti oboriuntur, plus faceſſũt negotij, adeóq; (ut Paulus ait) periculoſa eſſe ſolent, ut niſi efficax conſequãtur auxilium, interdùm affectos ſtrangulent. Scribit etiã Hip. lethale eſſe, ſi eryſipelas ſit in utero mulieris prægnãtis. Facto enim ſic in utero eryſipelate, fœtus ex neceſsitate moritur. Siquidem acuta febris (ut Galenus ait in commentario) ſæpe eum citrà inflammationem interimit.

8. Eryſipelatis circa caput curatu difficillima. 9. 10. Eryſipelas ĩ utero prægnãtis fœtũ enecat.

Eryſipelatis curatio.

CVm eryſipelas, ſicuti & phlegmone, de qua paulò antè egimus, affectus calidus ſit, & ex humorum defluxione fiat, geminus etiam erit totius curationis ipſius ſcopus, nẽpe refrigeratio & uacuatio. Atque luti uacuatiõis indicatio in phlegmone, refrigerationis indicationẽ uincebat: ita refrigeratiõis indicatio in eryſipelate, magis urget q̃ uacuatiõis. Illa enim quantitate, hoc uerò qualitate magis premit & diſcruciat. Itaque eryſipelas magis refrigerari, & minùs uacuari: Inflammatio contrà magis uacuari, & minùs refrigerari debet. Quanquàm utriuſq; affectus curandi (ut inquit Galenus) commune caput ſit, infeſtantis ſcilicet humoris uacuatio. Ideóque poſtquàm refrigeratum eryſipelas fuerit, ad ea quæ digerunt ſeu diſcutiunt medicamenta conuertimur. Porrò ut geminum hunc ſcopum uniuerſalem, refrigerationem inquam & humoris infeſtantis uacuationem, aſſequamur, quatuor alijs ſcopis particularibus iuxta poſterioris ætatis chirurgorum placita, eſt opus.

Curationis eryſipelatis, ſcopi uniuerſales duo.

Particulares curãdi eryſipelatis ſcopi 4.

Primus ſcopus, conſiſtit in recta uitæ inſtitutione atque obſeruatione. 1.

Secundus, humoris ad partem affectam confluentis, quem antecedentem materiam appellant, auerſionem concernit. Tertius in humoris, qui iam in partẽ ægram influxit (quem materiam coniunctam dicũt) uacuatione conſiſtit. Quartus uerò & poſtremus circa ſymptomatũ correctionem, ac propulſionem uerſatur. Primum ſcopum facilè aſſequemur, ſi rerum omnium, quas non naturales uocant, adminiſtratio, ad humiditatem & frigiditatem (ut in febre tertiana) ſpectauerit. Quandoquidem eryſipelas ex flaua bile ortum habet, quæ temperaturæ eſt calidæ & ſiccæ.

2. 3. 4. 1. Primus ſcopus.

Ergo aërem atque habitationem, quoàd fieri poteſt, qualem eſſe expedit, id eſt, frigidiorem & humidiorem deligito, præperatóque.

Aëris delectus. Ambientis præparatio

Aeſtate igitur ſubterraneas domos frigidiſsimas, maximè perflatas,

las,& ad arctum uersas,tibi deligito. Si loci huiusmodi occasio non datur,& calidior aër extiterit,ipsum sic præparato.

Aquam frigidam ex uasis in uasa subinde transfundito.

Pauimenta domus assiduè aqua, quæ prorsus gelida sit,aspergito.

Rosas,& uiolas plurimas,uitium folia,& capreolos,salicis quoque ramulos,& reliquos flores ac germina, quæ frigidæ humidæque facultatis sunt, humi spargito,ac in aërem proïcito.

Turbam hominum conclaue laborantis ingredi prohibeto.

Cibus. Pinguia,dulcia,acria, calidáque omnia uitato.

Lactuca,cucurbita,portulaca,oxalide, (quam acetosam uocãt)hordeato,oriza,& alijs id genus, quæ sanguinem incrassant,& refrigerant,lubens uescitor.

Potus. A uino in totum abstineto.

Cremor ptissanæ,aut aqua hordei tibi potus esto.

Repletio. Victus temperantiam seruato.

Inanitio. Aluus tibi semper mollis esto.

Motus. Ab omni motu, præsertim uehementi atque immoderato abstineto.

Animi affectus. Iram,contentionem,atque omnem animi uehementiorem motum, aut perturbationem,tanquàm aduersissima fugito.

Nitida,ac munda circa te omnia sunto.

Venus. Venerem ne exerceto. Atque hæc de primo scopo dicta sufficiant.

2. Secundus scopus. Secundum autem scopum curationis erysipelatis consequemur, si succum in corpore delinquentem commoda uacuatione ademerimus. Ergo in uero ac legitimo erysipelate non necessario,ut in phlegmone, sanguinem ex uena detrahemus: sed medicamento quod flauam bilem exigat (cholagogon Græci uocãt)uentrem per inferiora expurgabimus,si saltem affectus magnus sit, & corpus bile abundare uideatur. Itaque cum erysipelas febres accendat,et eas uehementiores quàm phlegmone, medicamenta,quæ impensè calida sunt,& scammonij succum, quod recentior Græcia dacrydion uocat,recipiunt: (cuiusmodi est, quod uulgò in officinis electuarium de succo rosarum appellatur) huic affectui minimè idonea sunt. Ergo uel rhabarbarum offerendum est, uel potio, quæ Rasi aqua tamarindorũ dicitur. Recipit aũt pruna Damascena 24. tamarindorum recentium drachmas decem,sacchari uiolati quart. semis. Cui ut efficacior reddatur, aliquid diluti rhabarbari adïci potest. Quòd si exigua sit affectio,ne hæc quidem cholagoga medicamenta necessaria erunt,sed abundè fuerit, tunc acri clysteré uti, ut Galeno uisum

2. ad Glauc.

ſum eſt. At in eryſipelate phlegmonoſo nõ abs re feceris (modò nihil obſtiterit) ſi curationem à ſanguinis miſsione auſpicatus fueris. Tale autẽ ſæpiùs faciem apprehendit, unde & Paulus protinùs ab initio uenam in cubito præſertim humeralem in eo incîdi iubet. Sin autem hæc non appareat, eam quæ ſe conſpectui magis obiicit. Si quid uerò ſanguinis detractionem impediat, purgatione ex medicamento, quod bili ducendæ dicatũ eſt, utendũ præcipit. Non pugnat tamen Paulus cũ Galeno. Nẽpe cùm Paulus ſecandã eſſe uenam præcepit in eryſipelate, quod capiti ſeu faciei oboritur, de phlegmonoſo eryſipelate intellexit, q̃ ſæpiſsimè faciẽ apprehẽdit: Galenus uerò de legitimo eryſipelate locutus eſt, in quo ſanguinem nõ mittit. At in œdematoſo aut ſcirrhoſo eryſipelate, purgatione utendũ eſt, quæ mixtas habeat facultates, hoc eſt, partim flauã bilẽ, partim uerò pituitoſum, aut melancholicum ſuccum educat. Atque in iis quidem omnibus conſulẽdus eſt doctus aliquis ac prudens medicus, à cuius conſilio & decretis ne tranſuerſum quidem unguem diſcedere debet chirurgus. Sitque hoc ſatis ſemel monuiſſe, quòd chirurgus nihil unquàm in iis, quæ ad purgationẽ, & ſanguinis miſsionẽ per phlebotomiã, attinẽt, attentare debet, citra periti alicuius medici conſilium, niſi forſan ſiquandò urgeat neceſsitas, & ubi nullus præſtò adeſt medicus. Tertiam intentionem complent refrigerantia & reprimentia, in principio fluxionis, exceptis caſibus in capite uniuerſali commemoratis. Tranſacto uerò principio, & ſtata iam fluxione, quod membro inhæſit, & impactum eſt, digerentibus ſeu euaporantibus medicamentis extrinſecùs admotis, uacuandum eſt, per occultam ſcilicet ſenſui trãſpirationem. Omnium ſiquidem huiuſmodi tumorum ſic præter naturam conſiſtentium, uacuatio duplex eſt Gal. 14. Therap. Vna quidem repellentium ad alias partes: altera foràs digerentium, per eum qui ſenſum fugiat halitum. At quoniam eryſipelas non quantitate modò affligit, ſed etiam, ex uehemẽti ſcilicet inflammatione, qualitate ipſa cruciat, ampliorem refrigerationem, quàm phlegmone requirit. Poſt totius igitur corporis (ut paulò antè dictum eſt) uacuationem, reprimentibus auxilijs utemur, afflictã particulam, ſeu ipſam quæ patitur cutem, ut decet, refrigerantes, præſertim cùm ſine manifeſta aliqua occaſione factum fuerit eryſipelas.

In eryſipelate phlegmonoſo cõ petit phlebotomia.

Chirurgus ĩ iis quæ ad phlebotomiam et purgationẽ attinẽt, nihil attentare debet, citra periti alicuius medici cõſiliũ.

3. *Tertia intentio.*

Hic Guido deprauatè citat Gale.

Eſt autẽ refrigerationis terminus, ipſa coloris mutatio. Etenim quod purum eryſipelas eſt, ſtatim cum hoc quieſcit. Quod non purum eſt, ſed iam quodammodò phlegmonôdes, ſi pluſculum refrigeres, liuidam cutim præfert. Sin ne ſic quidem quis deſiſtat, nigricat, potiſsimũ in ſenili corpore: ſic ut quædam ita refrigeratorum, ne digerentibus quidem poſteà medi-

Quatenus refrigerandum in eryſipelate.

medicamentis ad perfectionem poſsint ſanari: ſed ſcirrhoſus quidem tumor in particula derelinquatur. Ergo ſatius eſt (inquit Gal.) ubi laborãtis particulæ alteratum colorem uideris, à refrigerantibus retundentibúsq; ad contraria, id eſt, diſsipantia ſeu digerentia et exiccantia, trãſire, priuſquàm uel liuida uel nigra prorſus fiat. Adhibenda autem ſemper cura eſt, ut quæ illinuntur, perliquida ſint atq; humida, eáque ſæpiùs cõmutentur, ac per ſpongias frigido aliquo liquore imbutas, ſubinde quæ admota ſunt, abluantur. Siquidem multus particulæ feruor celeriter in uaporem erumpens, hæc deſiccat. Cæterùm inter ea quæ refrigerandi, atque repellendi facultatem obtinent, in hoc affectu conuenientem, laudat imprimis Auicennas ex ſimplicibus, perfuſionem aquæ frigidæ.

Lib. 14. Therap.

Materia refrigerãtiũ ex Gal.

Adiecta ex Paulo.

Galenus uerò commendat ſuccum ſolani, ſemperuiui, portaculæ, pſyllij, alterci, id eſt, hyoſcyami, lactucæ, umbilici Veneris (quæ herbula Græcis cotyledon appellatur) intybi, id eſt, cichorij, & lenticulæ paluſtris, atq; alia id genus, quæ ultra hæc à Paulo adduntur. Cuiuſmodi eſt cucurbita, glauciũ, apium (quod uulgi eſt petroſelinum) & rhamni folia, per ſe, uel cum pane cataplaſmatis modo illita.

Ceratum.

Ceratum quoque ex aqua admodùm frigida, quod recipiat quadruplum roſacei ad ceram albam. Sit autem roſaceum ex oleo omphacino, id eſt, immaturo, ſine ſale cõfecto, quibus in pila emollitis aquæ frigidæ ſuperfunditur, quantum poteſt recipi. Si uerò aceti tenuis & pellucidi momentum admiſcueris, præſtãtius, atque efficacius medicamentum reddideris. Porrò hæc omnia actu frigida ſunt admouenda, & ſubindè mutanda, priuſquàm manifeſtè incaleãt, aut areſcant. Conducit etiam plurimùm ad rem præſentem, ſi pars eryſipelate obſeſſa, illinatur ceruſa ſola, uel mixta cum aceto & lycio, uel terra cimolia, aut figulari cum ſolano, aut argenti ſpuma cum roſaceo, item acacia cum aceto.

Compoſitũ medicamẽtum.

Ad idem confert plurimum & ſequens cõpoſitio. Succi plãtaginis uncia una, roſacei, unciæ tres, litharg yri nutriti, uncia una, ceruſæ lotæ drach. tres, lactis muliebris ſemuncia, miſcẽtur omnia ſimul in mortario plumbeo, & fit linimentum. Teri debẽt primùm litharg yrũ & ceruſa: deindè oleum & ſuccus paulatim & ſenſim affundi debent, donec exactè miſceantur. Quòd ſi ampliorem refrigerationẽ deſyderes, bis & alijs priùs enumeratis (ex Pauli ſententia) admiſceri poteſt, opij aliquid, uel cicutæ, uel mandragoræ. Verùm ab ijs, & ſimilibus, quæ ſtupefaciendi uim habent, abſtinendum eſſe cenſeo, niſi maxima urgeat neceſsitas.

Euacuatio coniunctæ materiæ, p euaporãtia

Cæterùm ubi inflammatio ægrotantis membri iam deſijt, ac feruor eryſipelatis ſeſe remiſit, Galenus humorem in particula receptum, quam coniunctam materiam uocant, priuſquàm ex refrigeratione

tione liuor appareat,discutit,hoc est, resoluit, impositο cataplasmate,ex hordei farina,seu ex cruda polẽta,ὠμὴν λύσιν Græcè uocãt,et alijs in ratione phlegmones superiùs dictis. Quẽadmodùm enim signa erysipelatis sumebantur ex analogia signorum phlegmones, ita & curationis ipsius erysipelatis auxilia, ex analogia remediorum curationis phlegmones sumenda sunt. Porrò talia medicamenta,quæ dissoluendi,seu euaporandi facultatem obtinent, in hoc affectu conuenientem: plurima tum simplicia, tum composita referuntur à Paulo Aegineta lib. 4.cap. 21. Item ab Aëtio libro de re medica decimoquarto. Satis autem fuerit,nunc unũ ex multis recensere, quod omnium mihi præstantißimum uisum est. ὠμὴ λύσις

Altheæ nouellæ foliorum pondo.i.libra assumitur, concoquuntur in hydrelæo: cocta uerò probè teruntur, adiectóque rosacei triente.i. uncijs quatuor,argenti spumæ,& ceruscæ, singulorum uncijs duabus & semisse,id est,dimidia: iterum læuigantur cum succo coriani, aut semperuiui, aut solani: deindè micis panis adiunctis,ut emplastri formam induat, illinitur. Quod si fortè liuor iam locum occuparit,incisa antè cute, cataplasma superponendum est,perfundendúsque locus, plurimùm quidem (ut Galenus præcipit) aqua calida: digerit enim, & plagas abluit: sed & aqua,& muria interim conducet locum fouere, cùm scilicet crassior est. Hæc enim crassitudinem incîdunt,ac detergent. Hydrelæum est mistura ex aqua & oleo,seu oleum dilutum. Si liuor iã locum occuparit.

4. Quarta intentio curationis erysipelatis,quæ est accidentium correctio,perficitur, ut in curatione phlegmones dictum est, cùm agebatur de reditu materiæ, de induratione,& corruptione. Item de dolore & ardore. Hæc enim symptomata etiam erysipelati,uti & phlegmonæ accidere solent. Quarta intentio.

Porrò optimum doloris ac uehementis ardoris mitigatorium auxilium fit, ex folijs, & radicibus hyoscyami, involutis in stupis, & coctis sub prunis: deindè mixtis cum unguento, quod populeon uulgò appellatur,uel cum axungia,ut superiùs dictum est in curatione phlegmones. Doloris et ardoris mitigatoriũ.

Si uerò contingeret ipsum erysipelas exulcerari, curetur admotione unguenti albi,aut unguenti de litharg yro, quorum descriptiones ex antidotario requirendæ sunt. Quòd si illis adderetur aliquid scoriæ, hoc est,recrementi plumbi,optimum sanè atque efficacißimum foret remedium. Sed præstat ut totam curandi erysipelatis rationẽ, breuibus quibusdam sententijs in modũ epilogi complectamur, ut quæ diffusiùs à nobis suprà dicta sunt,memoriæ tenaciùs hæreant. Si erysipelas exulceretur.

Septem de erysipelate aphorismi, totam ipsius curationem summatim complectentes,ex Galeno.

1. IN exquiſito ſeu legitimo eryſipelate, ſanguinem ne detrahito.
2. Si bile corpus abundet, & affectus magnus ſit, uentrem medicamento cholagogo, id eſt, bilem exigente, per inferiora purgato.
3. Quòd ſi exiguus morbus ſit, & corpus bile uacuum, à medicamento flauam bilem per aluum ducente, abſtineto, & acri clyſtere contentus eſto.
4. Vniuerſo, ut oportet, corpore purgato, partem affectam per initia moderatè reprimentibus medicamentis, & abundè refrigerãtibus, uſq; ad coloris mutationem, perfundito, atq; illinito.
5. Vbi laborantis particulæ alteratum colorem uideris, & feruorem eryſipelatis iam remiſſum, ac inflammationem deſiiſſe, à refrigerantibus, aſtringentibúſque, priuſquàm uel liuida, uel nigra prorſus particula fiat, ad contraria, hoc eſt, digerentia ſeu diſcutientia, & exiccantia, tranſito.
6. Quæ ex ulceribus, aliiſq; euidentibus cauſis fiunt eryſipelata, primùm ſcarificato, deindè cataplaſma ex hordeacea farina imponito.
7. Si eryſipelas non exquiſitum fuerit, ſed phlegmonôdes, id eſt, quodammodò ad inflammationis naturam uergens, præſertim ubi ſanguis in corpore exuberat, intrepidè ſanguinem mittito.

De tumoribus, qui cum eryſi. ſocietatem habent, hoc eſt, de herpete miliari, & exedente, quæ puſtulæ cholericæ recentioribus chirurgis dicuntur.

De Herpete.

TVmores illos præter naturam, qui cum ſuprà comprehenſo eryſipelate ſocietatem habent, atque ad ipſum quodammodò pertinere ac referri uidentur: ex bile autem non naturali, & ſecreta, id eſt, alijs humoribus, minimè permixta, generationem obtinent, recentiores tum medici, tum chirurgi, puſtulas malas cholericas appellant: Græci uerò, (ut Hippocrat. Gal. & Paulus) herpetas uocant. Quæ uox Latinis ferè ſonat, malum quod ſerpit: ἕρπω enim idem quod ſerpo, undè ἕρπης ſerpens dicitur. Herpes tamen non abſolutè malum quod ſerpit, ſignificat apud medicos, ſed certum morbi genus, de quo nunc agitur. Itaque malum quod ſerpit, latiùs patet quàm herpes. Nã & phagedænæ ſerpentia etiã ulcera dicuntur. Huiuſmodi autem uniuerſas puſtulas Auicennas formicas appellauit: Galenus uerò eas inter inflammationes adnumerauit, ſed Celſus ſub ignis ſacri nomine has intellexiſſe uidetur lib.5.cap.28. Fit igitur herpes, quandò flaua bilis, nõ naturalis, ſola, & ſecreta, id eſt, nullo alio illi (ſaltem ſenſus iudicio) admixto humore, in particulam aliquã confluit, decumbitue, atque ibidem conſiſtit: quæ ſi conſiſtentia ſua craſſior ſit, acriórque, totam exulcerat cutem, uſque ad carnem ſuppoſitam,

Puſtulæ malæ & cholericæ uulgo dictæ.

Herpetes.

Formicæ Auicennæ.

Herpes quãdo fiat.

Herpetis ſpẽs duæ.

uoca-

uocatúrque tunc uitium huiuſmodi Hippocrati & Græcis ἕρπης ἐσθιόμενος, Latinis uerò herpes exedens, uel depaſcens: & decimoquarto Therap. Galeno abſoluto nomine herpes. Si uerò tenuior & minùs acris, calidáque fuerit bilis, puſtulas exiguas per ſummam cutem, id eſt, in ſola ſuperficie cutis (hãc enim tantùm ueluti deürit) milio, hoc eſt, milij ſeminibus, ſimiles excitat: ob quam ſimilitudinem affectus tunc Latinis miliaris herpes nominatur: Græcis uerò quibuſdam poſt Hippocratis ætatem κέγχρως ob eandem rationem dictus eſt: κέγχρος enim Græcis, milium nobis dicitur. Atque hæc ſpecies Galeno autore lib. 2. ad Glaucon. Hippocrati generis ſortitur appellationem, cùm ſimpliciter, & ſine additione illi herpes uocetur. Alibi tamẽ herpetis nomine, Galenus herpetem eſthiomenum, id eſt, exedentem intelligit, ut paulò pòſt dicetur. Hîc autem non protinùs ulcus facit, ut alter qui exedens dicitur, ſed ut dictũ eſt, admodùm exiguas puſtulas ad ſpeciem milij, quæ & ipſæ interpoſito ſpacio, ac procedente tempore, cùm diſrumpuntur ſcilicet, in ulcus abeunt. Proindè non ſine ratione Oribaſio et quibuſdam alijs uiſum eſt, in eiuſmodi uitio, bili eſſe aliquid pituitæ tenuis admixtum, quæ puſtulas illas minutulas procreat. Vndè & nonnullis puſtuloſus herpes dictus eſt.

1. ἕρπης ἐσθιόμενος, i. exedẽs, uel depaſcens.

2. Herpes miliaris, ſiue cẽ chria.

Lib. 14. Therap.

Ex Paulo, & Gal.

Alter uerò, qui eſthiomenos appellatur, non ita pituitæ commixtus eſt, ſed exactæ bilis, ac nullo alio humore infectæ, eſſe uidetur: ideóque cum eroſione accidit, affectu cutis continuitatem præhendente, undè & nomen illi impoſitum eſt. Eſthiomenos enim idem eſt quod erodens uel exedens. Atque hic affectus quidem eiuſdem generis eſt cum puſtuloſo atque exulcerato eryſipelate: à quo tamen differt humoris ipſius bilioſi (ex quo uitium utrumque ortum habet) tenuitate. Id quod teſtatur Gal. his uerbis: Eſt enim (inquit) admodùm tenuis humor qui herpetem excitat, adeò profectò, ut non ſolùm omnes interiores partes, quæ utiq; carnoſæ ſubſtantiâ ſunt, tranſeat, ſed etiam cutim ipſam ad ſummam uſque cuticulám (epidermida Græci uocant) quam ſolam, propterea quòd ab ea remoratur, tum erodit, tum exedit: quandò ſi hanc quoq; ſudoris uice tranſiret, haud quaquàm ulcus excitaret. Quippe id, ulcerum quæ ex mordente humore oriuntur, quæ nimirùm ſpontanea uocant, commune eſt, quòd humor qui ea facit, ſiſtitur in exitu, ac tardat. Hactenùs Gal. ubi nomine herpetis ſimpliciter & ſine additione, intelligit herpetem eſthiomenum, ut ex ipſo cõtextu, ſignis, & curatione, facilè eſt deprehẽdere. Atque ita illo in loco generis ſortitur appellationem, cùm ſimpliciter, & abſolutè herpes nominetur: quemadmodùm & in libello, de tumoribus præter naturam, ubi de eo ſic idem Gal. ad uerbum ſcribit:

Lib. de tu. præter nat.

„Lib. 14. met. med.
„Humor bi „lioſus qui „herpetẽ excitat, „admodũ „tenuis eſt.
„
„

Herpes ſoli cutis eſt exulceratio.

Depaſcitur quidem & herpes, uicina, id eſt, ea quæ in circuitu ſunt, erodens: uerùm ſolius cutis eſt exulceratio. Cæterùm utramque herpetis ſpeciem, id eſt, tam miliarem, quàm exedentem, ſub nomine formicæ

Auicennas myrmecias cõfundit cũ herpetibus

Barbari ferè omnes næoterici comprehendunt. Quibus ea in re, ut & in multis alijs, erroris occaſionem primus præbuit Auicennas, qui nominis ſimilitudine deceptus, quoniam Græci myrmecias, id eſt, formicas, genus quoddam uerrucarum uocant, eodem capite uerrucas illas cum herpetibus errore fœdiſſimo commiſcuit. Guido tamen diſcrimen ponit, inter herpetem & formicam, confunditque nomẽ formicæ modò cum uerrucis (quas myrmecias & acrochordonas Græci uocant) modò cum herpete exedente: qui (comedens inquam herpes) modò etiam illi herpeſtẽ, modò herpes abſolutè nominatur: putatúrque eidẽ nihil aliud eſſe, quàm

Guidonis error maximus.

Herpetem eſthiomenũ et eryſipelas ulceratũ nõ omnino idẽ eſſe.

eryſipelas puſtuloſum, & ulceratum. Cùm tamen ille (ut ex Galeno adductum eſt) ab hoc differat humoris tenuitate. Tenuior eſt & bilis quæ herpeta creat, quàm quæ ulceratum eryſipelas. Ad hoc eryſipelas quod cum exulceratione incidit, non tantùm cutem, ſed cum ea etiam aliquid ſubiectæ carnis occupat. Herpes uerò, quo de hîc agitur, ſolam cutim apprehendit, exulcerátque. Itaque tametſi hæc eiuſdem ſint generis,

Morbilli ex herpetum ſũt genere.

(ut Galeno uiſum eſt) non tamen omninò ſunt idem. Porrò puſtulas illas, quæ Auicennæ interpreti, & imperitæ medicorum turbæ, morbilli appellãtur, ſub herpete comprehendiſſe uidetur Hippocrat. lib. 3. Epidemiarum. Fiunt autem morbilli huiuſmodi à tenuiore materia, quàm

Variolæ.

puſtulæ illæ, quæ uulgò uariolæ dicuntur. Hæ enim (ut uoluit Auicẽnas) ex ſanguine, illi uerò ex bilis ſanguiníſque fiunt mixtione. Si quis autẽ deſyderat, quo nomine eiuſmodi puſtulæ apud antiquiores dictæ ſint,

Papularum eruptiones Ecthymata Exanthemata.

diximus Latinè à Plinio uocari papularum, & interdùm pituitæ eruptiones: Græcè uerò Hippocrati ecthymata lib. 3. Epidemiarum: Galeno autẽ exanthemata. Cæterùm utriuſq; herpetis notæ, iudicia, & cauſæ, ex præcedentibus ſatis innoteſcunt. Supereſt igitur, ut eorum curationem ſubijciamus.

Herpetis curatio.

Herpetis curatio tres habet ſcopos ſiue intẽtiones.

IN curandis herpetibus, ſicut et in alijs eiuſmodi ſpontaneis ulceribus, quæ ex mordenti & acri humore oriuntur, tres ſcopi communes ſunt obſeruandi.

1. Primus eſt, ut humoris in partem affectam confluxio inhibeatur.
2. Secundus, ut quicquid in laborantem particulam confluxit, & eidem inhæſit, uacuetur.
3. Tertius, ut ſanetur ulcus.

Primus ſcopus.

Primum ſcopum, ſeu primam intentionem aſſequimur, totum corpus, medica-

medicamine, humorem unde uitium enaſcitur, educente, expurgando. Mox repurgato corpore humorem influentem reprimendo, regerendóque. Ergo in herpete exedente, medicamento utendum eſt, quod flauã bilem per aluum exigit. Hunc enim purus, ac ſyncerus (uti diximus) bilioſus procreat ſuccus. Proindè ſit, ut quantum ad totius corporis euacuationem attinet, comedentes herpetas ſimiliter ut eryſipelata curare oporteat. Itaq; quoniam tenuis humor eſt, qui id uitium creat, abundè eſt Galeno, etiam aluum leniter ſoluiße, uel urinas, per ea quæ id modicè efficiũt, citaſſe. In altero nerò herpetum genere, quem à ſimilitudine quam habet cum milio, miliarem & cenchriam Græcè appellari diximus: medicamento opus eſt, quod mixtæ ſit facultatis, hoc eſt, quod bilem ſimul & pituitam educat. Quibuſdam enim non ſine ratione (ut Galenus ait) uiſum eſt in eiuſmodi uitio bili eſſe aliquid pituitæ admixtum. Porrò uacuato, ut decet, eo qui in corpore redundat, ac uitium committit, humore: medicamentis utendum eſt, quæ influentem humorem reprimãt, regerántque. Tutior nanque ac conuenientior tunc fuerit eorum uſus. Quãdoquidẽ (inquit Gale.) ſi quis exiguũ uitioſi humoris, poſt ritè factam purgationem adhuc in corpore remanens ad uiſcera, & magnas uenas retrudat: nullum profectò quod ſenſu percipiatur malum commit tet. At ſi, inquit ille, eius non leuis quantitas ſit, in princeps aliquod mẽbrum aliquandò procumbit. Vbi ſcilicet priùs naturæ uiribus totum corpus expurgantis, non ſit, uel per deiectionem, uel urinas, uel cutim, quæ totum corpus includit, uacuatus. Cæterùm reprimunt quidem regerúntque non ſolùm ea quæ adſtringunt, ſed etiam quæ ſine adſtrictione refrigerant. Cuiuſmodi ſunt lactuca, poligonion, ex ſtagnis lens, portulaca, ſeris, ſemperuiuum, et id genus alia, quæ eryſipelatibus ualde erant oportuna. Verùm eiuſmodi medicamenta, quæ ſcilicet præter id quod refrigerant, etiam humectare naturâ apta ſunt, herpetes præſertim depaſcentes, minimè deſyderant, ſed ſola ea admittunt refrigerantia, quæ etiam maximè poſſunt exiccare. Quæ enim refrigerandi, atq; unà exiccandi uim habent, ſed mediocrem (cuiuſmodi eſt ſolanum) non ſatis illis cõueniũt. Apponere igitur ipſis oportet ex Gale. cõſilio, ab initio quidẽ, ex uite capreolos, & folia rubi, & rubi canini, & arnogloſſi. Poſt hæc uerò & lẽticulam his adiungere oportet, & aliquandò mel, & farinam hordeaceam. Itẽ cataplaſma ſine ſemperuiuo, quod ad phlegmonas, quæ ex fluxione eueniunt, inſcribitur. Repellit enim quod influit, atque id quod in parte affecta continetur, exiccat, & membra corroborat. Proindè tranſacto morbi principio efficax erit remedium. Itaque fiet huiuſ-

Herpes exedens medicamẽtũ exigit cholagogon.

Herpes miliaris medicamẽtũ deſyderat, quod bilem ſimul et pituitam educat.

Reprimẽdi tẽpus.

Lib. 14. Therap.

Nõ eſſe reprimendũ, ſi multus ſit uitioſus ſuccus.

Regerẽtiũ materia.

Quæ refrigerant pariter et humectãt, nõ conueniũt herpetibus exedẽtibus

Reprimentia herpetibus exedentibus accõmoda. 2.

Hæc complent ſecũdam intentionem.

Cataplasma

iusmodi cataplasma,ex corticibus malorum Punicorum in uino decoctis, & Rhu,siue Rhoë.i.semine coriarij fruticis (quod posteriori medicinæ

Sumach.

Sumach appellatur)& farina hordei. Cæterùm hoc cataplasmate secundam intentionem, seu scopum curandi herpetis probè assequeris. Quippe cùm sufficienter digerere possit, quod iam in affectum locum confluxerit. Constat autem,quòd in generatione ulceris exuperare debebunt quæ reprimendi facultatem habent:ubi uerò non ampliùs confluit in ægrotantem particulam uitiosus humor,quæ digerunt. Quod ad tertium scopum attinet,qui ulcus sanandum proponit, summatim hæc te cognoscere oportet. Nempe quòd omne ulcus siue sponte siue ex accidẽti factum fuerit, exiccari desyderat medicamento(ut inquit Hippo.)nõ aspero,hoc est, non mordente,neque uehementer irritante,præterquàm ubi malignum,& cum putrilagine fuerit. Talia enim (inquit Galenus) acriora expetunt medicamina,et quæ ignis uires habeant:quale est mysi,& chalcitis,& arsenicum,& calx,& sandaracha, atque id genus alia,quæ non aliter,quàm ignis adurunt. Loca igitur exulcerata in herpete exedente,inungenda sunt pastillis,seu trochiscis,in libris,qui pharmaceutici dicuntur, ad herpetas inscriptis. Qui,cùm res exigit, ut illis utamur,passo,uel uino aliquo dulci,uel si dulce non adfuerit, uino tenui & subaustero non nimis ueteri (hoc est, quod non aliquam in gustu ob antiquitatem contraxerit acritudinem)aut posca aquosa (quod oxycratum uocant)diluuntur,seu (quod dicunt)eliquantur, dissoluuntúrue. Paulus his utitur remedijs,ad herpetem,qui sub cute affligit. Retrimẽtum plumbi,rutæ leuigatæ succo excipitur, aut ceratum myrteum in uicem rutæ. Aliud, Lanæ ueteris illotæ, circa tedam combustæ,drachmæ duodecim & semissis.i.dimidia,ceræ drachmæ uiginti quinque, recrementi plumbi drachma, sæui caprilli curati lotique ex aqua, drachmæ uiginti quinq;, myrtei unciæ quinque. Ad herpetas uerò acutè seu acriter depascentes, hoc remedium iubet admoueri. Corij mali Punici dulcis drachmæ sex, argenti spumæ tantundem,lanæ illotæ,tedæ seu tedaceo ligno adhærentis, & cõbustæ drachmæ tres, ceræ drachmæ duodecim, ceruse drachmæ octo,thuris,aluminis sciśi,singulorum drachma,uino aut myrteo excipiuntur. Iam uerò in longum tempus protractis ulceribus,neque uino dulci,circuli parui,id est, trochisci, & huiusmodi alia medicamenta, quæ ad herpetas scribuntur, dilui debent: sed neque pusca adhuc aquosa,quin potiùs uino satis austero, præcipuè uerò nigro,& si id non affuerit,albo. Medicamenta autem in hoc tempore,hoc est,inueteratis iam ulceribus, efficacia, & maximè accommoda

3. Vlceris aut ratio i herpete,quæ tertius est scopus.

Vlcus omne exicari desyderat. Lib.2.ad Glauc.

Loca exulcerata qui bus inungẽda.

Posca uel pusca.

Remedia ex Paulo sumpta.

Ad herpetas depascentes.

Ad inueteratā iam ulcera.

sunt

ſunt, paſtilli ſeu trochiſci Muſæ, & Andronis, & Polyidæ: quorum deſcriptiones in fine curationis carbunculi poſitæ ſunt. Item trochiſci, qui calidicon & aldaron dicuntur Auicennæ & recentioribus, quorum deſcriptiones ex antidotario requirenda ſunt. Herpetas uerò, qui tantùm ſummam cutem exulcerant, ut ſunt, quos miliares diximus, nullo horum medicamentorum ſuperiùs commemoratorum (ſi ſaltem Galeno credimus) inungere oportet. Vehementia enim ſunt ac ualidè exiccant: uerùm iſtis ſufficiunt quæcunque uim glaucij, id eſt, memithæ habent, eáque diluere oportet, maximè quidem aqua. Quòd ſi hæc nihil profecerint, etiam acetum miſcendum eſt. Quòd ſi etiam ſolani ſucco intinxeris, aut arnogloſſi, magis adhuc iuueris. Hactenùs de herpete. Cæterùm quoniam de formicis nonnihil obiter in ſuperioribus attigimus, quas turpiter (ut diximus) recentiores, & Arabes cũ herpetibus confundunt, præſens locus expoſtulat, ut de ijs, & alijs in cute eminentibus excreſcentijs, quas Latini uerrucas uocant, paucula annotemus.

Si puſtulæ miliares in ulcus abeũt quid agendum. Lib. 2. ad Glauc.

De formicis, & aliis verrucarum differentiis. Cap. IX.

TVmores illos exiguos, ſeu humiles illas excreſcentias, quæ inſtar monticulorũ quorundã in cute eminẽtes conſpiciũtur, Latini appoſitè uerrucas appellarunt: uerruca enim propriè editiorem montis partẽ ſignificat. Vulgus autem porra nuncupat. Quia quandoque intra ſe fila quædam continent porrorum radicibus non diſſimilia. Græci nomen non habent, quo omnia eiuſmodi uerrucarum ſeu porrorum genera comple ctantur, ſed quamque proprio nomine ſpeciem nuncupant. Hæ autem ferè ſunt, μυρμηκία, ἀκροχορδόνες, ἄλος, θύμιον. Itaque Myrmecia illis dicũtur uerrucæ, quæ latiore ſunt baſi, & quaſi ſeſſiles, ſimilẽ uellicãtis, ſeu mordentis formicæ ſenſum, dum attrectantur, inducentes: unde & nomen illis factum eſt. Græci .n. μύρμηκα formicam nominãt. Quare Latini eas (nomine quidem ad Græcum uocabulum ſeſe accommodante) formicas, uerrucas dixerunt. A figura uerò & formatione, ſeſſiles uerrucas. Hæ naſcuntur Celſo, aut in palmis, aut in inferioribus partibus pedum: radices autem altiùs exigunt, ac humiliores ſunt thymio durioréſque, maiorémque dolorem mouent: ſed minùs ſanguinis mittunt, uíxque unquàm magnitudine lupini modum excedunt. Acrochordon uerò penſilis, & anguſtiore baſi uerruca eſt, hoc eſt, rotunda quædam in cute eminentia ſeu excreſcentia, quæ baſim, id eſt, partem imam ad cutem anguſtam habet: ſic quidem

Verrucæ. Porra.

Verrucarũ diuerſa genera. Myrmecia.

Seſſiles uerrucæ. Lib. 5.

Acrochordon. Penſilis uerruca.

Myrmecia et acrochordones quibus inuicē diſſideant.

dem dicta, quòd chordæ nexu ſuſpenſa pendere uideatur. Itaque hoc diſcrimīe acrochordones à myrmecijs dirimūtur, quòd illi ima parte ad cutē anguſtiores ſint, ſupremâ uerò latiores: myrmeciæ contrà, baſi ſint (ut dictum eſt) latiore, ſuper autem tenues. Sed & hæ nonnunquàm cū ſumma cute prorſus ſunt æquales. Acrochordones uerò ſemp à cute extant, ut libro decimoquarto de morbis curandis Galenus ſcriptum reliquit. Adhæc acrochordones Celſo ferè plures naſcuntur, pueros maximè infeſtant, nonnunquàm ſubito deſinunt: quandoque uerò mediocrem inflammationem excitant. Sunt quæ etiam in pus conuertuntur. Rarò autem fabæ magnitudinem excedunt: Auicennæ claui dicūtur. Verùm Latinis claui appellantur uerrucæ albæ, rotundæ, clauorum capiti ſimiles. Hi in digitis, plantiſque pedum maximè contingunt, ubi dolorem ſi non aliâs, tamen ingredienti mouent. Hos Græci ἄκλους uocant: Auicenna uerò almiſmar. Ex contuſo ſæpiùs naſcuntur, interdùm etiam aliter. At thymion uel thymon Celſo & Græcis, uerrucula eſt, ſuper corpus eminens, infrà ſeu ima parte ad cutem, & ipſa (ut acrochordon) tenuis, ſuprà uerò latior: ſubdura quoque, & in ſummo peraſpera. Idque ſummum, colorem floris thymi repræſentat, undè ei nomen eſt, ibique facilè finditur, & cruentatur. Nonnunquàm & aliquantum ſanguinis fundit, ferèque circa magnitudinem fabæ Aegyptiæ eſt, rarò maius, interdùm perexiguum: modò unum, modò autem plura naſcuntur, uel in talis, uel palmis, uel inferioribus pedum partibus, hoc eſt, in plantis. Peſſima tamē in obſcœnis ſunt, maximéque ubi ſanguinem fundunt. Auicenna uidetur huiuſmodi uerrucæ genus tuſium, uel, ut alia habet lectio, tarſecum nominaſſe. Ex uerrucarum quoque genere ſunt, uocata ab Auicenna cornua non alio à cæteris diſtantia, quàm quòd oblonga ſunt, & inſtar cornuum recuruantur. A clauis non magnoperè differunt calli, quos Græci uocant τύλους, niſi quòd per ſe indoloroſi ſunt, eodem quo cutis colore, neque ſpontè, ſed ex labore obdurata cute gignuntur.

Claui.

Ἄκλοι. Almiſmar. Thymion.

Thymij magnitudo.

Thymia in obſcœnis peſſima.

Cornua.

Calli.

Verrucarum iudicia, & curatio.

Acrochordon. Thymion. Lib. 5. Myrmecia. Claui

EX his acrochordon & thymion ſæpe etiam per ſe (ut retulit Celſus) finiuntur, et quo minora ſunt, eò magis. Myrmecia, & claui ſine curatione uix unquàm deſinunt. Acrochordon ſi exciſa eſt, nullam radiculam relinquit, ideóque ne renaſcitur quidem. Thymo clauóque exciſis, ſubter rotunda radicula naſcitur, quæ penitus deſcendit ad carnem, eáque relicta idem rurſus exigit. Myrmeciæ latiſſimis radicibus inhærent: ideóque, ne excidi quidem ſine ulceratione magna poſſunt. Clauum ſubindè deradere, commodiſſimum eſt, & aqua tepida perfundere.

Nam

Nam ſine ulla ui ſic emolleſcit. Ac ſi ſanguinis quoque aliquid emiſſum eſt, ſæpe emoritur. Tollitur etiam, ſi quis eum circunpurgat, deindè imponat reſinam, cui miſcuit pulueris paulùm, quẽ ex lapide molari contri to fecit. Cætera uerò genera, ut ab eodem Celſo traditur, medicamentis adurẽda ſunt. Aliiſq; id quod ex fece uini: myrmecijs, id quod ex alumine & ſandaracha fit, aptiſsimũ. Paulus Aegineta, lib. 4. cap. 15. plurima enumerat, quæ uerrucas huiuſmodi, præſertim ſeſsiles & penſiles tollunt, exterúntque. Cuius generis ſunt, elaterium (quod ſuccus eſt fructus cucumeris agreſtis) cum ſale infricatum, thuris cortex cum aceto, groſsi, id eſt, primitiuæ ficus, quæ uelut præcoces non matureſcunt, cum aceto, farina, & nitro. Idem quoque illi præſtat ſuccus, ſeu liquor fici arboris illitus, tithymali, ſmaridis piſcis caput ſalſum concrematum, ærugo cum ſulphure uiuo, hoc eſt, ignem non experto combuſta, ocymi folia cũ atramento ſutorio, quod Græci chalcanthum uocant, ſarmentorum adhuc uiridium uſtorum, quod diſtillat, ſimus ouillus cum aceto, hircinũ fel illitum, heliotropij magni fructus per ſe illitus, uel cum uino applicatus, ruta cum nitro & pipere, nitrum cum urina pueri impubis & nondùm uenerem experti, ſtercus bouis gregarij, ſeu armentarij adhibitum in aceto. Cæterũ hæc quæ ad myrmecias & acrochordonas exterendas cõmemorata ſunt, ferè omnia & ad clauos, & thymia etiam magnoperè cõducunt. Tradunt etiam lacertæ caput myrmecias, acrochordonas, & clauos tollere. Sunt qui decoquant capita ſalſorum piſcium in aqua illa, quæ diſtillat ex ſarmentis uiridibus, dum comburuntur: ídque præſtantiſsimum ad prædicta uitia remediũ eſſe prædicant. Alij ad eadem exterenda linimentum conficiunt ex ærugine (quæ recentioribus uiride æris, & flos æris dicitur) ſulphure, & aqua, ſeu inſtillatione illa ſarmentorum. Atque hic unus eſt curandi modus, quo uti ſolent ad uerrucas è medio tollendas, per medicamenta ſcilicet erodentia, adurentiáque. Id autem unum ſumma cura obſeruandum eſt, in eiuſmodi medicamentis adminiſtrandis, quod Celſus monet libro quinto: nempe quòd ea quæ circà ſunt, folijs contegi debent, ne ipſa quoque exulcerentur. Alij ob eandem cauſam circuniacentes partes illinunt, unguento ex bolo armenia, terra ſigillata, aqua roſacea, & aceto. Porrò acrochordonas, myrmecia, & thymia non ſolùm præſcriptis biſce adurentibus medicamẽtis abolemus: ſed & ignis flamma, uel candente ferro, hoc eſt, cauterio (ut dicunt) actuali, illis ritè admoto. Ea quoque nonnunquàm excidimus. Interdùm uerò ligatura ſcitè illis coaptata (ut fit in uero ficu) uel primoribus dentibus, ut quidam Romæ Galeni tempore facere ſolebat, euellimus, ac radi-

Myrmeciæ

Verrucarũ per medicamẽta curatio ex Paulo.

Aqua ex ſarmẽtis diſtillans.

Stercus bubulum.

Lacertæ caput.

Aerugo quid.

Hoc Halyab. & Guido probãt.

Aliæ curandi ratiões.

Quomodò urendæ sint tutò uerrucæ.

radicitùs extirpamus. Cæterùm si ignem aut candens aliquod ferrũ uerrucæ admoueris, lamina quædam ferrea pertusa, uel simile quidpiam, ita uerrucæ adurendæ coaptari debet, ut foramen eam exactè comprehendat, adeò ut nihil circunpositæ cutis appareat. Facta uerò adustione, crusta butyro uel aliquo alio unctuoso illito resoluenda est. Deindè ulcus similiter reliquis ulceribus curandum erit. Quopacto autem myrmeciæ quæ à cute non extant, sed illi prorsus sunt æquales, educi debeant, atque excidi, pulchrè docet Galenus libro decimoquarto methodi medendi: ubi refert quendam fuisse Romæ suo tempore, qui nouam huiusmodi uerrucarum curationem excogitauit. Nimirùm has certâ primùm labiorum applicatione, ceu suctu ad se trahebat, atque (quod mirum uidebatur) à radice euellebat. Deinde primoribus apprehensis dentibus, totas simul eximebat. Acrochordonas uerò, utpote à cute extantes statim mordicùs prehendebat, & ita protinùs educebat. Harum quoque et geminam aliam curandi rationem mox subiungit Galenus, inquiens: Sed & scalpro ad myrtacei folij speciem formato, & ferramento eo, quod scolopomacherion Græci uocãt, quispiam manibus exercitatus, facilè eas excidat: cùm proprijs lineamentis à circunposita cute circunscriptæ discernantur. Aequè uerò & ualente aliqua pinna, circulo myrmeciæ imposita, ipsam educimus. Debebit porrò pinnæ fistula esse myrmeciæ crassitudini par, ut eam undique prorsus constringat. Quæ posteà circumacta, ac simul deorsum impulsa, celerrimè ita myrmeciam etiam cum ipsa radice totam educet. Constat uerò, & quòd finis ipse pinnæ, quæ eam circulo secabit, non tenuis modò, sed etiam acutus & firmus esse debebit. Itaq; tum galli ueteris pinna, tum uel magis aquilæ, ad hũc usum est accommoda. Abscindere uerò ab his tantùm radicem uersus oportet, quatenùs reliquæ partis fistula complecti myrmeciam possit. Sanè ex ipsa statim abscissione, si modò scitè fiat, etiam acumen ipsi comparabis. Hæc Galenus hactenus. Vlcus uerò quod relinquitur sic auulsa uerruca, similiter reliquis ulceribus impleri debet, & ad cicatricem perduci.

Myrmeciarũ cũ summa cute æqualium curatio.

Myrmeciarũ noua curatio ex Galeno.

Alia curatio myrmeciarum. 14 meth. med.

Scolopomacheri-on.

Alia curatio per pinnam.

Pinna sciti è radicẽ uersus abscindãda.

De œdemate, & tumoribus frigidis, pituitosis, & flatuosis. Cap. X.

Vm de tumoribus, qui succis calidioribus procreantur, satis disputatum sit, de ijs quæ à materia frigida ortum habent, nunc tractare rursum instituimus: principium quidem ab eo quod οἴδημα Græcis dicitur, sumentes. Quemadmodùm enim ex bilioſa fluxione erysipelas, ita ex pituitosi humoris confluxu œdema

dema excitatur. Eſt autem œdema (definitore Gal.) laxus quidam atque indolens tumor, ſeu rara quædam atque expers doloris moles, ex pituitoſo humore in particulam aliquam influente exurgens. Ita quidem Galenus cenſuit libro 14. Therap. de œdemate, quod morbus eſt, non ſymptωma. Equidem ſcimus (inquit) aliter quoque [quàm ex pituitoſi ſcilicet humoris fluxione] œdemata prouenire. Nempe ex pituitoſo humore aut ſpiritu uaporoſo, ut in cruribus & pedibus eorum, qui aquæ ſubter cutẽ affectu laborãt. Et phthoë, id eſt, corporis habitu contabeſcente: & cachexia, hoc eſt, malo habitu corporis. In illis quippe periculoſis diſpoſitionibus, œdema, affectus eius qui hominem premit, ſymptωma eſt, hoc eſt accidens neceſſariò conſequens, nullam ſeorſum propriam, præcipuámque curationem poſtulans, ut in ſequentibus dicetur.

Oedema quid.

14. Ther. et 2. ad Glauc.

Oedema ut ſymptωma eſt quibus maxime accidat.

OEdema, uti & phlegmone atque eryſipelas, in duas chirurgis finditur differentias, in uerum ſcilicet œdema, & nõ uerum, ſeu illegitimũ. Verũ œdema fit ex pituita naturali, quæ certè nihil aliud eſt, quàm ſanguis crudus aut diminutè coctus: qui in maſſa quidem ſanguinaria inuenitur, membris pituitoſis enutriendis accommodus. Non uerum, ſeu illegitimum œdema, fit ex pituita non naturali. Eſt autem pituita naturalis (ne quid obſcurum relinquamus) humor frigidus & humidus ſubſtantia crudus, colore uergẽs ad quandam albedinem: ſapore uerò, & (ſi fas ſit dicere) odore ad dulcedinem. Non naturalis pituita, ea eſt, quæ à modò deſcripta degenerat, intra tamen ſuæ latitudinis terminos, quos ſi forſan pertranſeat, non iam ampliùs phlegma pituitáue, ſed alius humor, dici debet. Contingit autem bifariàm pituitam ipſam à propria ſua natura degenerare: Vno quidem modo (ut loquuntur) in ſe, quandò ſcilicet in propria ſuiipſius ſubſtantia citra alterius admixtionem permutatur. Quod ſanè multifariã accidit. Aut. n. in ſubſtantiã aquoſam cõuertitur, aut in flatuoſam, aut ĩ admodũ tenuẽ. Dicitúrq; tũc phlegma aquoſum, flatuoſum, aut tenue: aut craſſius ac uiſcoſius redditur: idque tunc phlegma craſſum, & mucilaginoſum efficitur, et per maiorem, ſeu (ut dicitur) ulteriorem indurationem, gypſeum, ſeu uitreum. Aut ipſum putreſcit, & alteratur, efficitúrque tunc ſalſum nitroſum, & corroſiuum. Altero modo pituita efficitur non naturalis, per admixtionem. Quandò ſcilicet alius quiſpiam humor illi extrinſecùs accedit, uerbi gratia, uel ſanguis, uel bilis flaua, aut atra. Si ſanguis pituitæ permiſceatur, hæc dulcis efficitur: ſi flaua bilis, ſalſa: ſi melancholia, pontica, & acida. Sunt ergo octo ſpecies phlegmatis non naturalis iuxta Auicennæ placita. Halyabbas tamen quatuor tantùm conſtituit. Galenus aũt (inquit Guido) uidetur, duo ſolùm

Oedema duplex.

1. Verum.

2. Illegitimũ.

Pituita quid.

Pituita quãdo et quomodo à propria ſua natura degenerat.

Galen. duo tantũ pituitæ genera poſuit.

ſolùm genera aſsignare,nempe ſalſum & acidum. Tametſi libro ſecundo de differentijs febrium,& libro 2. de locis affectis, atque in multis alijs locis,mentionem faciat de uitreo,quod ſubindè ſub acido(propter eam, quam cum eo habet affinitatem ac conuenientiam)reponit. Ex ijs igitur colligitur,quòd ex pituita generantur octo ſpecies, ſeu differentiæ tumorum præter naturam. Primò enim ex pituita ſeu phlegmate naturali, fit œdema uerum,ac certum,ſeu legitimum. Secundò ex pituita non naturali per admixtionem generantur tres aliæ differentiæ tumorũ:quippe quòd tres alij humores cum ea poſſunt remiſceri. Nominantur autẽ, œdema phlegmonôdes, œdema eryſipelatôdes, & œdema ſcirrhôdes. Tertiò ex phlegmate non naturali, per alterationẽ in propria ſubſtantia quatuor aliæ exurgunt differentiæ. Primò namq; ex flatuoſo & uaporoſo phlegmate fit tumor is,qui propriè Latinis inflatio, uulgo autem medicorum apoſtema uentoſum dicitur. Secundò,ex aquoſo,aquoſum. Tertiò,ex crudo phlegmate, craſſo, & mucilaginoſo, procreantur tumores illi,qui leues nodi quibuſdam dicũtur,& abſceſſus pituitoſi, quos uulgò exituras phlegmaticas appellant. Auicẽnæ uerò interpreti dubelet frigida nominãtur. Cuiuſmodi ſunt ſteatomata,atheromata,& melicerides. Ganglia quoque(quæ Auicennæ glandulæ dicuntur)& id genus alia, quæ in ſequentibus declarabuntur. Ex duro uerò,ſeu magis indurato,& (ut ſic dicatur)gypſeo phlegmate, fiunt nodi omnes duri, qui in iuncturis maximè reperiuntur,& ſtrumæ,quæ uulgò ſcrofulæ nominantur. Quartò ex corrupta & putrefacta pituita generantur fiſtulæ,& ulcera, quæ ſcrofuloſa uocant. Cauſæ œdematis, ut & aliorum tumorũ præter naturam,ſunt triplices. Primitiuæ,ut ſunt caſus ab alto,percuſsio,depraua ta uiuendi ratio,ſeu (ut dicunt) malum regimen. Antecedentes, ut exuberantia humoris pituitoſi in partem aliquam decurrentis. Coniunctæ,ipſa pituita,in membro tumore obſeſſo,iam infarcta,& accumulata. Signa œdematis hæc ſunt, tumor laxus & mollis, qui prementi digito cedit,& foueæ modo cauatur, nec amoto digito reſilit, ſed prementis ueſtigium retinet. Dolor aut exiguus,aut ferè nullus. Color modicus. Color uergens ad albedinem,hoc eſt,ſubalbidus,ſeu(ut uolunt alij) inter album & pallidum medius. Et alia id genus, quæ pituitæ dominium teſtantur. Oedema, ut & cæteri tumores, quatuor habet tẽpora:principium,augmentum,ſtatum, & declinationem. Hoc genus tumoris ut plurimùm terminatur per reſolutionẽ ſeu exhalationem, rarò per ſuppurationem, ſæpiſsimè per conuerſionem, ſeu permutationem in nodos,& alias(ut uocant)excreſcentias,quæ Græcis apoſtemata,Latinis

Octo differentiæ tumorũ præter naturã ex pituita.

CAVSAE *œdematis tres.*

SIGNA *œdematis.*

1. 2. 3. 4.

IVDICIA.

1. 2.

nis uerò abſceſſus dicuntur. Harum autem terminationum notæ, & agnitiones, ſuperiùs in tractatu uniuerſali dictæ ſunt. Tumores hi œdematoſi hyeme magis, quàm alijs tẽporibus, excitantur. Plurima enim tunc in corporibus colligitur pituita. Senes quoque & crapulæ deditos magis ac ſæpiùs infeſtant. 3. 4.

Oedematis, ex pituitoſo humore in particulam aliquam confluente, curatio.

QVoniam œdemata, ex humorum in aliquam partem fluxione, aliorum tumorum more ſuſcitantur, duplex etiam eorum curandi ſcopus erit, ut lib. 2. ad Glauc. Galenus annotauit. Alter, ut horum humorũ, qui iam partem occupant, ſubſtãtia diſſoluatur: alter, ut fluxio cogatur, reſtringatúrque. Atque prout alter ſcopus alterũ ſuperat, remedia ſunt miſcenda, alterum quidem cum altero copioſiùs, aut parciùs. Vbi igitur reſtringendi indicatio, eam quæ uacuandum ſeu digerendum eſſe ſuadet, ſuperabit, augenda reſtringentium uis erit. Vbi uerò plus uacuandũ quàm reſtringendum erit, digerentium ſeu diſcutientium ac exiccantiũ materia, & facultas præpollere in mixtione debebit. Porrò maiorẽ reſtringentium uim miſcendam eſſe oſtendit tum copioſior fluxio, tum parcior in affecta parte materia. Contrà, exiccantium ac digerẽtium uberiorem modum adhibere oportet, ubi copioſior materia locum obſidet, & fluxio minor eſt. In inueterato autem œdemate, & quod non adhuc ingignendo eſt, non ampliùs hac curandi ratione, miſtam facultatẽ quaſi ſcopum habente, ſed ad digerendam diſſecandámq; materiam declinante, utendum erit. Quod & in omnibus ferè diuturnis affectibus obſeruandum eſt. Cæterùm œdema quod ſymptoma eſt periculoſos affectus ſequens, ut tabem, aquam intercutem, & uitiatum corporis habitum, quẽ Græci cachexiam uocant, nullam ſeorſùm (ut ſuprà diximus) propriam, præcipuámque curationem deſyderat. Curari enim, niſi affectu ex quo naſcitur, profligato, non poteſt. Aliquid tamen ex eo remittendum eſt, ſi quidem uires demoliatur, aut primarium affectum augeat, aut curationem impediat. Satis ergo fuerit, ſiquidem curatione egebit, ipſum tumẽtem locum perfricare, aliâs oxyrhodino, aliâs oleo cum ſale, aut etiam oxyrhodino ſalem habente. Eiuſmodi enim frictio tumorem remittit & dolorem, ſi ex nimia diſtenſione, (ut aliquandò contingit) excitetur, demulcet. Oxyrhodinon fluxionem arcet, oleum cũ ſale uim habet digerẽdi, & uacuandi quod impactum eſt: oxyrhodinon uerò, cui ſal admixtum eſt, partim digerit, & exiccat, partim reſtringit, & humorum afluxum probibet. Sed præmiſſa hac uniuerſali methodo, ad propriam ipſius legitimi œdematis, quod ex tenuis pituitæ influxu ortum habet, cu-

Curãdi œdematis ſcopus duplex cũ adhuc gignitur.

Oedematis inueterati curandi ratio.

Oedematis ut ſymptoma eſt curatio.

randi rationem, ſermonem conuertamus. Hæc autẽ in rebus quatuor (ſicuti de phlegmone & eryſipelate dictũ eſt) poſterioris huius ætatis chirurgis, cõſiſlit. Nẽpe, in debita uiuẽdi ratione, in pituitoſi humoris præparatione, quã æquationẽ uocãt, et eiuſdem expurgatione: in fluxi & iã particulam occupantis humoris, repreſsione, diſſolutione, & exiccatione: & poſtremò in ſymptωmatum ſeu accidentium ipſum œdema conſequentium correctione, & ſummotione. Hæ itaque ſunt quatuor intentiones particulares, quibus duas illas generales ſuprapoſitas indicationes aſſequimur. Prima igitur intentio perficitur, debita ac congrua ſex rerum non naturalium adminiſtratione. Porrò, ritè ac commodè, res ipſæ non naturales corpori laborantis adhibebuntur, ſi ad caliditatem et ſiccitatem, cum quadam attenuatione, declinauerint uniuerſæ. Ergo tenuẽ & ſiccum aërem deligito, præparatóue. Vinum defecatum, pellucidũ, album, uel ſubrubellũ (quod claretũ uocant) in ſuo genere optimũ, & modicè aquâ dilutum, in potu aſſumito. Panis probè coctus, & ritè præparatus eſto. Carnibus ouillis, aut ex montanis & campeſtribus auiculis lubens ueſcitor, iiſque aſsis potiùs, quàm elixis. Iuſculis, oleribus, & offis parcè utitor. Ab azymis, id eſt, non fermentatis, crudis quoque & præhumidis, abſtineto. Legumina, caſeum, fructus præſertim horarios & immaturos, piſces quoque (niſi forſan ſaxatiles, eóſque uel aſſos, uel uino incoctos) ne guſtato. Aſſa in uniuerſum meliora ſunt elixis, & ijs quæ piſtoris induſtria præparantur. Parùm comedito, ac minùs bibito. Breuiter uitæ luxum, atque ingluuiem fugito. Si aluus non reſpondet, eam ficubus & carthamo ſoluito. Ergo ficus aridas quinque uel ſex numero accipito, eáſque medulla ſeminis carthami impleto, & manè uel prima menſa comedito. Corpus moderatè exerceto, ſi tamen particula laborans citra noxam id admiſerit. Somnus breuis eſto. Balneum atque omnia humectantia prorſus uitato.

Quatuor ſcopi partiales in 3. arando 4. legitimo œdemate ob ſeruandi.

1. Prima intentio.

Aër. Potus. Cibus.

Repletio. Inanitio. Motus. Somnus. Balneum.

2. Secunda intentio.

Secunda intentio completur præparãtibus ſeu æquantibus (quæ uulgò digeſtiua uocant) & uacuantibus materiam illam pituitoſam, quæ ſcatet corpus laborantis. Ergo genus aliquod oxymelitis offerendum eſt, quod pituitam in corpore deliteſcentem poſsit incidere & detergere. Deindè præparata hoc modo expulſioni antecedens materia, medicamento aliquo phlegmagωgo, id eſt, pituitam expurgante, ex periti alicuius medici præſcripto uacuanda eſt. Quod ſi (inquit Guido à Cauliaco) plethora adeſſet, tutò uena aperiri poſſet: non citra tamẽ periti alicuius etiam medici conſiliũ. At uix unq̃ in corpore plethorico uiſuntur œdemata ſaltem legitima. Nam in eo nõ magis pituita, quàm cæteri humores

mores abundant. Proindè uix ſola, & non alijs humoribus remixta, in particulam aliquam corporis plethorici influere poteſt. Quare uenæ ſectio in œdemate ſaltẽ legitimo nequaq̃ ex uſu eſſe uidetur. Tertia intentio perficitur in principio, admotis repercutientibus: non ijs quidem quæ natiua ſua frigiditate uehementer ſtringendo repellũt, ſed quæ non inualidè ſiccandi, & modicè digerendi uim habeant: ea aggregantia exiccationem & reſolutionem uocant. In augmento uerò diſcutientibus paulò fortioribus. At in ſtatu, circa eius ſmem præſertim, & ſtata iam fluxione, puris, iiſque fortiſſimis digerentibus ſeu reſoluentibus. In declinatione autem abſumentibus ſeu (ut dicunt) conſumptiuis & exiccantibus, ſi reſolutione ſaltem terminari debeat. Si uerò degeneret in abſceſſum, quem exituram uocant, maturantibus, & reliquis quæ in curandis abſceſsibus propoſita ſunt auxilijs, curabitur. Porrò auxilia reprimẽtia, ſiccandi ſimul & digerendi facultate prædita, quæ competunt initio œdematis ex pituitoſi humoris influxu creati, tribus præſertim formulis comprehenduntur. Prima eſt Galeni lib. 14. therapeutices, & ſecundo ad Glauconem: ubi inquit, At ſi ex pituitoſo humore in particulam influente œdema conſtitit, abundè aliquandò ſatisfacit ſpongia, quæ ex aqua, in qua ſit aceti aliquid, maduerit. Porrò hæc ita attemperabuntur, ut uel bibi poſſint, uel ut nõ multùm ſupra hoc aceti habeant. Deligare uerò ſpongiam debebis, ab inferiore parte incipiens, ac ſuprà finiens. Eſto autem ſpongia modò conductura ſit, omninò noua. Huius ſi occaſio non eſt [hoc eſt, ſi nouæ copia non ſit] hanc detergebis, expurgabíſque, exquiſitè abluẽdo nitro, & aphronitro, & aqua lixiua. Auicennas iubet, ut loco ſpongiæ aliquandò admoueatur pannus lineus duplex, aut quid ſimile. Secunda formula eſt ipſius Auicennæ. Recipit autem aquæ decoctionis baurach, id eſt, nitri uel ſpumæ nitri, & cinerum, & aceti, ana, quantùm ſatis eſſe uidebitur. Tertia formula eſt à Raze deſcripta ad hunc modum: ℞. aloës, myrrhæ, lycij, acaciæ, ſief memithæ, id eſt, de glaucio, cyperi, croci orientalis, boli armenici, ſingulorũ partes æquales: pulueriſentur, & cum ſucco caulium, hoc eſt, braſſicarum, & aceto miſceantur, & fiat emplaſtrum. Porrò eadem nuper commemorata auxilia, in huius œdematoſi tumoris incremento, etiam bene faciunt, adiecto ſaltem illis aceto copioſiore, uel modico alumine, in corporibus præſertim robuſtioribus, & cutem duram habentibus, atque ubi aquoſior poſca nõ profuerit. Ergo ſi ſub his paulò antè memoratis auxilijs œdema nõ ſubſidat, quieſcátue: ubi rurſus deligabis, paulò plus aceti miſcebis, ut poſca ualentior ſit, uel puſillum aliquid aluminis conijcies, ac nouam ſpongiam admo-

3. Tertia intentio.

Auxilia in principio œdematis admouẽda.

1.

Poſca ad quoſa.

2.

3. Emplaſtrũ Razis.

Remedia ĩcremẽti tẽpore admouenda.

admouebis. Hæc enim & copiosum medicamentum excipit, diúque continet, & sua substantia affectam partem exiccat. Si nouæ copia non sit, melius est, inquit Galenus, eo, quod uulgus uocat elychnion, utare. Id uerò ante omnia molle esto: quod genus Tarsicum est, cuius si facultas est, audacter utitor: utilius enim experiere, quàm spongiam. Madeat uerò ex pusca, quæ & aliquid habeat aluminis. Tum (ut præscriptum est) deligetur, ab inferiore sursum: hoc est, ligatura incipiat in imis partibus, & desinat in altioribus. Sit autem arctatio mediocris, uelut in ossis fractura. Ac primæ quidem iectiones fasciæ, quæ scilicet inferire incipiunt, magis arctandæ: quæ deinceps sunt, sensim remittendæ: cæterùm non adeò, ut laxa sit aliqua deligationis pars. Remedia autem, quæ post uigorem status, ubi iam cõstitit fluxio, & in declinatione uniuersali admouenda sunt, si œdema tendat ad resolutionem, sub triplici etiam formula describi solent. Prima est Auicennæ: nempe spongia imbuta aqua lixiua, ex cinere fici, uitis, & ilicis, quæ species est quercus, & particulæ admota: siquidem huic magna uis inest exiccandi, ac detergendi.

Lib. 14. therap. et 2. ad Glau.

1. Status & declinationis remedia

Spõgia lixiuio ĩbuta

Secunda est Bruni, quam & usurpauit Theodoricus. Recipit autem aluminis, sulphuris, myrrhæ, et salis, singulorum pares portiones: misceãtur hæc omnia cum rosaceo, & aceto, & fit linimentum, quod præcedẽti remedio potentiùs adhuc exiccat. Tertia rursus est Auicennæ, cuius descriptio est talis: Re. stercoris uaccini, lib. semis, olibani, styracis, usneæ, id est, musci arborum, qui Græcis bryon dicitur: calami aromatici, spicæ, absynthij, singulorum semunciam: confice omnia cum aceto, & decocto caulium, siue brassicæ, & fiat emplastrum. Atque hæc quidem ratio est curandi œdematis, quod resolutione terminatur. Si uerò digestioni non cedat, sed ad suppurationem spectet, unguentum è succis diachylon nominatum, atque id maximè, quod à Rogerio compositum est, perq; utiliter apponitur. Ad id etiam confert uel magnoperè & sequens emplastrum, quod recipit maluam, brancam ursinam, (uel, si mauis dicere hircinam, quæ & achantus, & achanta dicitur) radicem altheæ, radicẽ lilij, cepas assas, limaces, fermentum, & semen lini: cocta, & subacta, et cum axungia uel butyro mixta, rediguntur in formam emplastri. Aliud ad idem summè efficax. Accipe succi ebuli, sambuci, oxylapathi, quod nostrates officinæ lapatium acutum nominant: leuistici, seu ligustici, & marathri: ex horum singulis quantum lubet, pari tamen pondere: deindè ut oportet coquito, unà cum dialthea, melle, oleo, & butyro, atque ex ijs emplastrum conficito. Maturato apostemate, non expectetur, donec spõtè aperiatur: quoniam tardè admodùm, uel fortasse nunquàm id contingeret:

2. Linimẽtũ.

3. Emplastrũ Auicenn.

Vsneæ quid

Cõcoquentia seu maturantia.

Hoc ad Theodoricũ refertur.

geret: ſed ferro candente, aut cauſtico aliquo medicamento fiat apertio, qua pus excernatur, iuxta modum et formam ſuperiùs expreſſam. Deindè ſordes detergeantur, unguento uulgò Apoſtolorum dicto, uel mundificatiuo ex apio, & ſucco abſinthij, uel unguento ſubſcripto, quod pus craſſioris ſubſtantiæ attrahit, & mundificat. Accipit autem id galbani, ammoniaci, reſinæ terebinthinæ, picis, ſepi uaccini, olei antiqui, ana partes æquales: diſſoluuntur gũmi ex aceto, et liquefiunt ad ignẽ cũ reliquis, & fit unguentum. Poſt hæc uerò ſimiliter reliquis ulceribus ſordidis curetur. Cæterùm quartam intentionem aſſequimur, pro ratione & natura accidentium ſuperuenientium, ut ſi accidat dolor, imprimis ſedandus erit, admota (iuxta Auicennæ doctrinam) œſipo humida, uel uino cocto, uel cerato compoſito ex oleo chamæmelino, oleo de abſinthio, oleo de ſpica, & cera. Si uerò durities adfuerit diſſoluenda, atque emollienda eſt, medulla bubula, uel ceruina, uel quapiam alia ſimili, ut in ſequentibus dicetur. Galenus autem in diuturno œdemate partem oleo liniens, ſpongiam ex lixiuio apponebat, atque ſtringens arctiùs, affectum perfectè curabat.

Apertio.

Vnguẽtũ mundificatiuũ quod ad Dinum refertur.

4. Quarta intentio.

Lib. 2. ad Glauc. Oedemati inueterato.

Capita curationis œdematis.

OEdemati quod ſymptoma eſt, hoc eſt, accidens aliis morbis ſuperueniens, ut aquæ inter cutem, tabi, & cachexiæ medicamenta, quæ diſcutiunt, & ſine moleſtia deſiccant, adhibeto.

1. Oedema morbi accidens.

Ergo tumentem locum oxymelite, uel oxyrhodino, aut oleo cum ſale, aut etiam oxyrhodino ſalem habente, perfricato. Hac enim frictione & dolorem (ſi quis ex diſtenſione excitetur) mitigabis, & tumorem remittes.

2.

Oedemati uerò ex tenuis pituitæ influxu excitato, ſi nondum reſtitit fluxio, medicamenta quæ partim digerant, partim uerò cogant, reſtringántque, admoueto.

3. Oedema morbus.

Ergo ſpongiam nouam, uel aliam lixiuio ablutam, initio poſca dilutiore in mollioribus præſertim corporibus madentem alligato, uinculáque (ſi artus tumor occupet) ab inferiori parte ad ſuperiorem, ut in fracturis, ducito, & mediocriter conſtringito.

4.

Quòd ſi p hæc tumor nõ remittitur, ſubſideátue, poſcæ, id eſt, oxycrato, aluminis momentum adijcito.

5.

At ſi iam in uetuſtatem affectus inciderit, non ampliùs remedia miſtam hanc facultatem (digerentem ſcilicet & reſtringentẽ) habentia, ſed digerentia ac diſſecantia potiùs adhibeto.

6. Oedema in ueteratum.

Igitur, parte oleo priùs inuncta, ſpongiam qualem ſuprà diximus, li-

7.

xiuia delibutam,imponito,ac faſcias arctiùs deligato.

De tumoribus præter naturam,qui inflationes dicuntur Latinis,vulgò autem apoſtemata ventoſa. Cap.XI.

Inflationis & œdematis differentia.

VNc tempeſtiuum eſt,ut de inflationibus diſſeramus, quibus diuerſa ab œdematis curatio eſt. Illa nãque, ut Galenus ait lib. 14. Therap. ex pituitoſo ſucco ortum habent: proindè prementibus nobis cedunt, digitique admodùm altè in ipſa deſcendunt. Inflationes uerò, ex flatuoſo ſpiritu collecto naſcuntur, aliâs ſub cute, aliâs ſub membranis, quæ oſſibus circundantur, aut muſculos, uiſcerúmue aliquod includunt. Porrò colligitur aliquandò non parũ etiam in uentriculo & inteſtinis: itémque in medio ſpatio horum, et peritonæi, ut in aquæ (inquit Paulus) ſubtercutẽ genere, cui nomen eſt tympanias. Differunt quoque hæ ab œdematis, quòd & preſſæ digitis non retinent ueſtigium, & ſonitum uelut tympanum reddunt: itémq; quòd in cauitate ſenſibili ſubinde continentur, atque hac nonnunquàm maxima. Cauſa huiuſmodi inflationũ Gal. lib. ſexto de morb. et ſymptomatis, eſt caloris natiui ĩbecillitas, in materia pituitoſa, ad flatus excitãdos diſpoſita. Calor nanque eiuſmodi ſuſcitare quidem uaporẽ ex humida materia poteſt, ſed non diſcutere, uti aſſerit Galenus his uerbis: Quemadmodum enim (inquit) in externis rebus uidemus, ut frigidiſſima conſtitutio, maximè ſpirante Borea, aërem ſereniorem reddit, ac calidiſſima per æſtatem conſtitutio ambientem nos aërem purum efficit, mediæ uerò conſtitutiones nebulas pariunt: ita in animantibus accidit. Neq; enim calor per extremam imbecillitatem, neque cùm uehementes ſunt ei uires: ſed cùm medium inter has affectiones obtinet, flatum gignere poteſt. Retinetur autem flatus eiuſmodi in loco quopiam (ut dicit Auicennas) uel propter denſitatem, ſeu (ut dicunt) ſpiſſitudinem membri, uel propter ipſius uaporis ſeu ſpiritus craſſitiem. Quod & ijs uerbis Paulus ex Galeni ſententia teſtatus eſt. Membrorum (inquit) denſitas, tum ſpiritus ſimul craſſities efficit, ut idem ſpiritus non diſſipetur.

Inflationũ cauſa.

Lib. 6. de morbis et ſympto.

Lib. 4.

Lib. 4.

De ſignis & iudicijs inflationum.

Inflationũ notæ.

SIgna inflationũ ſunt, tumor renitens tactui, cum lucido quodam ſplendore, ſonum, ut uter, uel tympanum, dum percutitur, reddens. Adhæc perſæpè ſentitur flatus per totum corpus, modò huc, modò illuc diſcurrens, ac dolorem extenſiuum pariens. Quod autem ad iudicia pertinet, flatu-

flatulentus ſeu uaporoſus ſpiritus, qui non diſcutitur, multa parit incommoda. Halituoſus uerò huc atque illuc per corpus diſcurrens, cum dolore & anxietatibus magnoperè uerendus eſt. Quippe qui à materia aliqua uenenoſa attolli uideatur. Inflationũ ꝓgnoſtica.

De inflationum, ſeu flatulentorum tumorum curatione.

CVm tria hæc, materia humida, caloris imbecillitas, & meatuum dẽſitas, ad inflationis generationẽ (ut in præcedẽtibus oſtẽſum eſt) cõcurrãt: curationis ipſius ſcopus erit, caloris ſubſtantiã roborare, uaporem ſeu flatulentam materiam extenuare, & meatus corporum (in quibus uaporoſus ille ſpiritus collectus continetur) denſitatem recludere. Porrò poſteriora duo, nempe denſi corporis rarefactionem, & craſſi ſpiritus extenuationem, ijſdem omninò auxilijs aſſequimur, medicamentis ſcilicet tenuitate partium pollentibus, ſiue extenuantibus, & calfacientibus, magis aut minùs, pro partium inflatione afflictarum denſitate, uel raritate, & uaporum quoque craſſitudine, uel tenuitate. Pro horum nanque differentia facultas medicamentorum quæ admouentur, intendi ac remitti debet. Itaque raræ partes, & uapor ſeu ſpiritus non admodùm craſſus, minùs: denſæ uerò, & uapor multa craſſitie præditus, magis extenuantibus, & calidis egent. Caloris autem ſubſtantia, ſi periit, aut imminuta eſt, pro ratione iacturæ eius, reſarcienda erit. Si uerò alterata fuerit, ad mediocritatem reducenda. Quòd ſi unà dolor excruciet, ad anodyna tranſeundum erit. Non abſurdè igitur, inflationum (quas uentoſa apoſtemata uocant) curationem tribus intẽtionibus perfici dixerunt poſterioris noſtræ ætatis chirurgi: prima in debita uiuendi ratione, ſecunda in proba concoctione, & tertia in flatulenti ſpiritus, qui in particula collectus eſt, diſcuſsione, ſeu (ut aiunt) in materiæ coniunctæ extirpatione conſiſtit. Itaque uitæ inſtitutio talis erit. Abſtinendum imprimis ab omnibus craſsis, uiſcoſis, crudis, pituitoſis, & flatuoſis. Cuiuſmodi ſunt, dulcia, ſubſtantia leguminum, fructus, rapũ, caſtaneæ, & alia id genus, quæ ſpiritum flatuoſum procreant. Vtendum autem calidis & ſiccis: item attenuantibus, & flatum diſcutientibus, ut eſt panis hordeaceus, qui aliquid ſalis & cumini receperit. Laborantis potus ſit uinum album, uel ſubrubellum (quod claretum uocant) aut uinum Græcum. Vtatur decocto cicerum alterato cum cepis, apio hortenſi, quod uulgò petroſelinum appellatur, calamintha, ruta, & cumino. Carnes ſint aſſæ potiùs, quàm elixæ, & præſertim ex uolatilibus, ut in præcedenti capite dictum eſt. Vt autem ſecundam intentionem aſſequaris, roboranda tibi eſt uirtus concoctrix bonis quibuſdam ſpeciebus aromaticis, & cõ- Inflationũ curatio. Tres ſcopi curandarũ inflationũ. I. Prima intenſio. Cibus. Potus. 2. Secũda intentio.

fectionibus,atque(ut uocant)electuarijs ad hoc dicatis,ut ſunt,diacuminum,diacalaminthe, aromaticum roſatum, & ſequens confectio, quam dragetam appellant. ℞. aniſi,maratri,carui,dauci,cymini,baccarũ lauri,tritorum,ſingulorum unciam unam,glycyrrhizæ,quã liquiriviam uocant,galangæ,zingiberis albi,ſingulorum ſemunciam,charyophyllorũ, cubebarum,piperis longi,ſeminis rutæ,ſimgulorum drachmas duas,aniſi ſaccharo incruſtati,quadrantẽ,id eſt,uncias tres,ſacchari ſelibram,id eſt, libram ſemis,fiat puluis. Extrinſecùs uerò inungatur uentriculus oleis de ſpica, de coſto, & ruta: uel fiat epithema, quod ea recipiat, quæ & flatus diſcutiunt, & iuuandæ coctioni dicata ſunt, atque hoc ſtomacho admoueatur. Sed hæc ad medicinam magis,quàm chirurgiam pertinent.

Dragetacoctionem adiuuans.

3. *Tertia intentio.* Tertia intentio completur medicamento, cui mixta facultas ſit,hoc eſt,quod ſimul concoquat,digerat,& modicè adſtringat, nec dolorem augeat. Ad hæc autem conſequenda inſtituuntur tres formulæ auxiliorum,lib 14. Therap. Prima ad hunc modum poſita eſt à Galeno:

1. *Ad inflationẽ ex cõtuſiõe ĩ artubus muſculis, et mẽbranis, quæ oſſa contegunt.* In artubus(inquit)& muſculis,qui ſub cute aut etiam mẽbranis,quæ oſſa ueſtiunt,inflatione orta, ſi citra dolorem ſit, liquor aliquis tenuiſſimarum partium,cuiuſmodi eſt lixiuium noua ſpongia excẽptum, ſatisfecerit. Sin dolor quoque urget,ungenda pars eſt oleo, quod relaxandi, remittendiq; uim habeat. Incidunt porrò ex percutionibus eiuſmodi affectus,ubi uel muſculus,uel membrana quæ os circuit,eſt contuſa. Ac ſuper membranam quidem quæ os ambit, antedicta imponenda eſt ſpongia.

2. *Admuſaulos cũ inflatione dolentes ex contuſione. Sapa. Lana ſuccida. Oeſipus. Ceratũ ex œſipo.* Secunda formula ibidem ita deſcripta eſt. Ad muſculos uerò(nãque hi aliquandò dolent) medicamentum quod magis mitiget, eſt adhibendum. Quò fit,ut ad hos ſolo lixiuio non utantur, ſed immiſſa ei tum ſapa,tum pauculo oleo. Satiùs autem fuerit in principio, nõ addidiſſe lixiuium,ſed ſapa cum uino & exiguo aceto uti, ac quod mediocre ſit, olei adijcere. Vbi mixta ſunt,modicè excalfacere, ac lanam non lotam, quam ſuccidam uocant,ipſis imbutam imponere. Quòd ſi eiuſmodi lanæ facultas non ſit, ipſius œſipus,miſcellæ ſupradictæ eſt inijciendus. Vbi uerò œſipus præſtò non eſt, aliquid cerati, quod ex œſipo componitur, rectè admiſcueris. Debent enim contuſi muſculi leniri medicamento cui mixta facultas ſit,quippe quæ ſimul concoquat,digerat, & modicè adſtringat. Quandò ſi nihil habet adſtrictionis, auget aliquandò phlegmonas,ac maximè in ijs corporibus,quæ ſunt plethorica. Ergo trium iã comprehenſarum indicationum[cõcoquendi ſcilicet,digerendi,& modicè adſtringendi] in inflatis ex plaga muſculis memor, ubi dolor maior urget,mitigatiua magis ratione uteris:[plus olei & uini adijciendo] ubi

abeſt,

abeſt, maiore ui inſtabis. Maiorem uim intelligo, cùm breui uia properatur ad finem. Porrò breuis uia fit, per ea quæ ualentes habent uires. Aceti, uini, & lixiuij collatio.

Hæ autem maximè in lixiuio & aceto habentur, poſt hæc in uino. ,,

Quoties igitur de mitigando non laboras, horum [lixiuij inquam & aceti] plus in mixturam conijcies. Rurſus ubi repellere ſtudes, uini plus q̃ horum immittes. Porrò id optimum in hunc uſum fuerit, ſi nigrum auſterúmque ſit. At ſi digerere males, lixiuij plus indes. Acetum uerò ſi his miſcebis, ad ambo utilis erit mixtura, propterea quòd acetum mixtas habet facultates. Vbi uerò muſculus ſine dolore eſt, licet ſanè in lixiuij penuria, pro ea aphronitrum immittere. Eſto autem id minimè lapidoſum, ſed magis ſpumoſum. ,, ,, ,,

3. Denſatos cutis, ac totius laborantis particulæ, meatus, medicamentis tenuitate partium pollentibus, recludito: deindè flatuoſum ſpiritum diſcutito.

4. Pro locorum autem affectorum differentia, & uaporis ipſius flatuoſi craſſitudine uel tenuitate medicamentorum quæ admouentur, tũ materiam, tum facultatem intendito, ac remittito.

5. Porrò ſi cum dolore & inflammatione tumor eiuſmodi flatulentus inciderit (ut contingit in muſculis ob contuſionem flatu repletis) mitigatoria initio admoueto: procedente uerò tempore, quæ diſcutiendi ui polleant, eorum copiam paulatim augendo, adhibeto.

6. Inflationes quæ ob negligentiam antiquatæ fuerint, primò quidem lixiuio foueto, deinde emplaſtrum quodpiam ex his que molliunt, & diſcutiunt, admoueto.

De tumore è ſeroſa ſubſtantia creato, quod aquoſum apoſtema nominant. Cap. XII.

Leucophlegmatia. Oedema.

PItuitam, ſi per uniuerſum corpus increuerit, ea ſpecies aquæ intercutis, quam leucophlegmatiam uocant, comitatur, ut Galenus annotauit lib. ſexto de ſymptomatum cauſis. Cùm uerò in una duntaxat parte pituitoſa hæc ſubſtantia redundat, œdema enaſcitur: ita enim appellant tumorem laxum, ac doloris expertem. Seroſa autem excrementa ſi abundant, aquam intercutẽ (quã aſcitem nominant) generare ſolent. Quæ ſi in unam aliquam partem incubuerint, in ea phlyctænas, id eſt, puſtulas excitant. Porrò ſeroſum eiuſmodi recrementum, recentiores aquoſum phlegma nominare conſueuerunt. Quemadmodùm etiam & pituitam illam, quæ reperitur in pedibus & cruribus eorum, quos aqua intercutem uexat, & in tabidis, & alijs qui malo habitu (Græci cachexiam uocant) laborant. Adhæc, tumores ex huiuſmodi aquoſo phlegmate, aut ſeroſo iã dicto recremento procreatos, illegitima ac non uera œdemata uocitant. Cæterùm in periculoſis illis diſpoſitionibus ſeu affectibus, tabe inquam, hydrope, & cachexia: œdema (ut ſuperiùs ex Galeni ſententia dictum eſt) ſymptomatis, ſeu accidentis rationem obtinet, non morbi: nulla quidem propria præcipuáque curatione indigens. Sola enim frictio ex oxyrhodino, aut nõnunquàm ex ſale & oleo, uel etiam ex ſale & oxyrhodino, ſiſtit ipſum, aliáque huiuſmodi multa. Horum autem tumorum cauſæ ſunt, alteratrix facultas frigida intemperie uitiata, & alimentorum prauitas, ad aquoſitatem

Seroſum recremẽtũ. Phlyctænæ

Lib. 2. ad Glauc. & 14. thera. Cauſæ tumorum aquoſorum.

ſitatem declinans,ut ex libro ſexto de ſymptomatum cauſis facilè eſt colligere. Signa & iudicia ferè eadem ſunt,quæ & ueri œdematis. Hoc tamen differunt, quòd in iſtis aquoſis tumoribus laxus magis tumor eſt, quàm in œdemate legitimo: atque ideò non tantùm renititur tactui,ſonátque non ut flatus uentú ſue, ſed ut aqua potiùs. Ad hæc aliquomodò ſplendere uidetur,cùm ad lucem quis ipſum intuetur. Quod uerò ad huiuſcemodi tumoris iudicia attinet, aquoſus haud dubiè tumor à maiori enaſcitur frigiditate quàm flatuoſus,ut Galenus autor eſt, commentario undecimo libri quarti aphoriſmorum, ſuper hunc aphoriſmum: Quibus tormina,& circa umbilicum labores & c. Videtur autem (inquit) à maiori frigiditate generari aquoſus hydrops, quem aſcitem uocant: à minore uerò tympanias, quæ ab Hippocrate aqua inter cutem ſicca nominatur. Neq; n. humida ſubſtãtia in flatuoſum aërẽ ſine calore aliquo poteſt tranſmutari. Tumores præterea aquoſi ſæpius in pedibus,teſticulis,ſcroto,capite,& iuncturis accidunt,quàm in aliis quibuſuis corporis partibus: tum quòd humor eiuſmodi in eas partes promptiùs irruat, tum quòd caliditas in ipſis modica ſit: quippe quæ procul à calidiſſimis abſunt partibus,ut ſecundo Progn. ait Galenus. Quemadmodùm etiam flatuoſus ſpiritus rarò inuenitur abſque humore aquoſo,ita uix unquàm aquoſus ſiue ſeroſus humor in particula aliqua concluditur abſque flatu. Hactenùs de generatione,cauſis,ſignis,& iudicijs aquoſi tumoris, nunc de curatione.

Aquoſorum tumorum notæ.

IVDICIA. 1.

Aquæ à maiore frigiditate generantur, quàm tympanites. 2.

Quas partes maximè prehendant aquoſi tumores. 3.

Aquoſi tumoris curatio.

CVm aquoſi tumores, ex ſeroſi (uti diximus) recremẽti fluxione excitentur,non alia certè curandi uia & ratione,ſaltem uniuerſali,in illis profligandis utendum eſt, quàm ea, quæ in alijs ſuprà memoratis tumoribus,qui ex humorum in partem aliquam influxu procreantur, præſanandis,à nobis ſuprà explicata eſt. Duplex igitur curandi indicatio præmittenda in eiuſmodi tumoribus erit: nempe uacuandi quod influxit,& fluxionem inhibendi. Quocirca & compoſita fuerit de talibus affectibus, ueluti & de reliquis morbis omnibus, quicunque in generatione adhuc ſunt, medentis ſollicitudo, ex ea ſcilicet quæ curat, & ea quæ prouidet. Itaque prima indicatio ei medicinæ artis parti ſubijcitur, quæ morbos curat: ſecunda uerò ei parti ſubiacet, quæ futurum morbũ præcauet. Porrò ut geminum hunc ſcopum uniuerſalem aſſequamur, alijs quinque particularibus intentionibus eſt opus, à noſtro Guidone à Cauliaco in curatione tumoris aquoſi hoc ordine & modo qui ſequitur expreſſis. Prima in probæ uitæ inſtitutione atque obſeruatione conſiſtit.

Curandi aquoſi tumoris duplex indicatio.

Quinq; particulares intentiones curãdi aquoſi tumoris. 1.

Secun-

2. 3. Secunda in concoctionis emendatione,ſeu(ut ait)rectificatione. Tertia,
4. in aquoſi humoris per aluum expurgatione. Quarta,in eiuſdem ſeroſi
5. recrementi per urinarios meatus eductione. Quinta & ultima, in coniunctæ (ut loquũtur)ſeu contentæ in particula humiditatis aquoſæ,euaporatione,atque exiccatione. Cæterùm cùm primæ quatuor intentiones magis ad medicum ſpectent,quàm ad chirurgum, quem hoc opere inſtituendum ſuſcepimus,atque etiam ex ijs quæ in præcedẽtibus dicta ſunt, ſatis innoteſcant:conſilium fuit,tantùm de poſtrema,quæ topica deſyderat auxilia,hoc loco agere. Quinta igitur intentio perficitur cum exiccantibus et reſoluentibus huiuſmodi aquoſas ac ſeroſas humiditates,quæ in particula laborante continentur. Horum autem tres communiter
1. formulæ ſtatuuntur. Prima eſt Galeni libro ſecundo ad Glauconem & decimoquarto methodi medendi: nempe quæ conſtat oxyrhodino,
2. & ſale,ut ſuperiùs dictum eſt.Secunda eſt eiuſdem:ſpongia ſcilicet noua,lixiuio perfuſa,& reliqua alia auxilia,quæ ſuprà ad œdemata ſcripta ſunt. Quibus ut potentiùs exiccent,& diſcutiant, addenda ſunt, a-
3. phronitrum,alumen,& ſulphur. Tertia formula eſt cuiuſdam emplaſtri, ab Auicenna deſcripti in curatione ſcrofularum, quod Galeno attribuit in libro de compoſitione medicamentorum κατὰ γένη,id eſt, ſecundum genera.Hoc autem (ut ille prædicat) intra hebdomadam unam ad ſummum: plærunque uerò intra triduum omnem duritiem reſoluit. Porrò tametſi emplaſtrum hoc apud Galenum lib. nuper citato non reperiatur,eo tamen commodè uti poſſumus ad aquoſam & flatuoſam duritiem diſſoluendam: eius autem deſcriptio talis eſt Auicẽnæ:℞.ſeminis ſinapis,ſeminis urticæ,ſulphuris,ſpumæ maris,ariſtolochiæ [rotundæ] & bdellij ana unciam unam, ammoniaci, olei antiqui, & ceræ, ana uncias duas.Quòd ſi hoc emplaſtro nõ diſcutitur, non aliud auxilium melius ac præſentius excogitari poteſt, quàm ut ferro aperiatur, deinde detergeatur,& aliorum ſordidorum ulcerum more curetur.

Emplaſtrũ Auicennæ diſcutiens aquoſos tumores.

Capita curationis aquoſi tumoris.

1. VIctum attenuantem,calfactorium, & deſiccatorium laboranti inſtituito.
2. Vt corpus moderatè exerceat,parcè edat & bibat,non multũ dormiat,uentrémque & ueſicam ſæpiùs ad excretionẽ exuſcitet,imperato.
3. Vt probè alimenta concoquat, & flatus minimè gignat,curato.
4. Seroſas humiditates,quibus laborantis corpus ſcatet uniuerſum,per aluum, & urinarios meatus expurgato.
5. Seroſum illud recrementum,quod in affecta parte continetur, deſic

cato,

cato,& per halitum digerito.

Quòd ſi diſcuti non poſsit,ſcalpellum,uel potiùs igni candens ferra- 6.
mentum,in tumorem,ſi artus occupet,adigito,atque eum parte procliui-
ore(quò faciliùs inde humor emanet)reſerato.

Humore qui tumorem committebat,per emiſſarium uacuato,reliqua 7.
quæ ad ſordidorum,& aliorum conſimilis naturæ ulcerum, curationem
pertinent,ſine mora perficito.

De glãdulis,nodis,ſtrumis,& cæteris abſceſsibus,quas excreſcentias phlegmaticas uocant. Cap. XIII.

GRæcorum ganglia,chœrades,id eſt,ſtrumæ,quas etiam ſcrofulas uocant, bronchocele, quod bocium, & berniam guttu- *Enumeratio abſceſſuum pituitoſorum.*
ris nominãt,melicerides,ſteatωmata,& atherωmata: ad hæc teſtudo,talpa, & nata ſiue napta,tumorum nomina à recentioribus medicis inuenta,& nuſquàm apud antiquos reperta:item fugille Auicennæ: nodi quoque & uulgaris bubo,aliáq; id genus multa,quacunq; corporis parte naſcantur,ferè ex pituita generationẽ habent:atq; ob ib ad pituitoſos tumores meritò referuntur. Cæterùm tametſi nõnulli ex ijs nuper memoratis abſceſsibus in tophaceam duritiem, & ſcirrhoſos affectus aliquandò degenerent: radix tamen & origo illorum parte maiore pituita extitit,ut uoluit Auicennas. Quanq̃ non imus inficias,quĩ & alius humor ipſi pituitæ,cuius eiuſmodi abſceſſus ꝓpriè ſoboles ſunt, interdùm admiſceatur: atque ita compoſiti & bene ogenei naſcãtur abſceſſus. Verùm de ſimplicibus ſolùm nobis hic ſermo erit, ex quorum analogia compoſitorum etiam cognitio facilè habebitur. Hæc enim ad illa, ueluti ad quoſdam certos canones, ſemper adigenda ſunt, ut alibi quoque diximus. Itaque prædicti omnes tumores ſub genere abſceſſuũ pituitoſorum,ſeu (ut uulgarium chirurgicorum more loquar)excreſcentiarum phlegmaticarum,reponuntur,habéntque ſpeciales quaſdam inter ſe differentias,ut ex ſequentibus patebit. Glandula enim (ut Guido putauit)à glandis forma,quam præſeferre uidetur, nomenclaturam accepit: eſtque (inquit)utcunque mollis,unica,mobilis,& ſeparata à partibus circũiacẽtibus:in emũctorijs plærunq; naſcẽs. Auicẽnæ aũt glãdulæ naſcũtur uel in manu,uel in pede, uel in loco aliquo neruis & tendinibus cõiuncto,& has quidẽ tũ uetat extirpari,ne ſcilicet laborãs in ſpaſmum incidat. Eueniunt quoq;,ait,ſummæ uolæ manus,& frõti,uocátq; eas modò apoſtemata glanduloſa,modò nodos. De ijs.n.incõſideratè tractat in

Simplicia ſunt regula compoſitorum.

Glandula Guidonis.

Glandulæ Auicẽ. quæ eædẽ ſunt cum ganglijs Græcorũ

Glandula Guidonis diſsidet à glandula Auicenn. Cap. 16.

diuerſis capitibus,utpote in capite de nodis ad ſinem, & capite de glandulis. Itaque uidentur glandulæ Auicennæ diuerſæ eſſe à glandulis Guidonis,& Græcorum ganglia illis (Auicennæ inquam glandulis) eadem eſſe. Quod ſequentia Pauli uerba apertè teſtantur : Ganglium neruorũ

Lib. 4. Gãglium quid?

concretio eſt,ex ictu aut laſsitudine oboriens,in pluribus quidem corporis partibus,præcipuè motui dicatis: nempe manu ſumma, & pedibus. Rarius cubitum & caput occupat Aëtio,ac rarò eidem ſponte prouenit. Et rurſus idem Paulus lib.6.cap.39,quid ſit ganglium,unde naſcatur,in quibus maximè partibus proueniat,quæ denique notæ ipſum comitẽtur, aperiens:idipſum quod diximus,confirmat, inquiens:Gãglium nerui eſt concretio,ex ictu,aut labore proficiſcens,plærunque uerò in manus iunctura,qua cum brachio committitur, talo & articulamentis abſoluitur: quanquàm in alijs quoque partibus proueniat. Hæ comites ſunt notæ,tumor concolor,renitens,indolénſque. At ſi uiolenter premas,ſtuporis ſenſum exhibet,nõ in alto,ſed ipſa ſub cute radices agens, et ad latera ſpectans:ſin autem ui adigas,tum antè,tum pòſt,nequaquàm id facit. Hactenus Paulus Aegineta de ganglijs. Nunc ad reliquos pituitoſos abſceſſus,ſeu(ut eorum more loquar) excreſcentias phlegmaticas,ſermonem conuertamus. Scrofulæ à uulgo uocatæ,nihil aliud ſunt,quàm indurati,& intra membranulam contenti adenes.i.glandulæ:in collo,axillis,& inguinibus præcipuè conſiſtentes, ubi glandulæ uaſis ſubſtratæ collocãtur. Nonnunquàm tamen, quamuis rarò ex carne eorundem locorum fiunt,quæ affinitate quadam ad ſtrumarũ naturam uertitur ,& materiæ adiectione adaugetur,ut uiſum eſt Leonidæ. Has Latini ſtrumas uocarunt. A Græcis uerò chœrades dicuntur , uel à chæradibus quidem petris per marinas aquas tranſparentibus, uel à ſuibus multiparis animalibus(numeroſæ enim ſobolis exiſtunt,ut ſues) & eo morbo frequenter affectis. Scrofæ etenim,id eſt,ſues,colla habent glanduloſa,& magna ex parte ſtrumoſa. Struma autem Celſo tumor eſt , in quo ſubter concreta quædam ex pure & ſanguine quaſi glandulæ oriuntur. Naſcuntur eidẽ maximè in ceruice,ſed etiam in alis & inguinibus,& in lateribus. In mãmis quoque fœminarum ſe reperiſſe chirurgus Meges autor eſt. De ijs etiam Paulus in eum modum: Oriuntur(inquit)ſtrumæ in priori ceruicis parte,aut in altera,aut utrinque una,aut duæ,aut plures. Omnes autem ſuis membranis includuntur,quemadmodùm ſteatomata,atheromata,& melicerides. Lupia(inquit Guido)ueluti lupulus,mollis , rotunda,in locis duris & ſiccis ſuam ſedem præcipuè deligit,ut in palpebris, & locis neruoſis: uulgus gallicum uocãt vne loupe. Itaque ſi eius deſcri-

Ganglij notæ. Tumor etiã eſt ĩ æqualis Philagr. et Aëtio.

Scrofulæ.

Chœrades Græcorũ

Strumæ Cor. Celſi.

Lib. 6. Lupia.

ptio,

ptio,atque etiam curatio,quæ in ſequentibus habetur,cum gãglij Græcorum deſcriptione,& curatione conferatur, affectus tibi uidebuntur non admodùm inter ſe diſſimiles. Verùm magno errore tenentur,qui eiuſmodi lupiam eandem faciunt cum affectu, quem recentiores lupum appellant. Eſt enim lupus malignum ulcus,partes inferiores,ſed præcipuè crura infeſtans,celerrimè depaſcens,& quaſi lupus(à quo nomen accepiſſe uidetur)famelicus,proximas ſibi carnes exedens:quod uitium dubio procul de genere eſt phagedænarum. Proindè affectus ſunt longè inter ſe diuerſi,quanquàm in nomine quandam affinitatem habeant. Nodus tanquàm funis nodus eidem Guidoni dicitur,rotundus,durus,& eodem in loco permanens,circa loca neruoſa maximè apparens. Auicennas autem nodos definit alicubi dubeleta frigida, facítque hoc nomen genus ad ſteatωmata(quæ à noſtris adipoſi,& adipini nodi nominantur) ad meliceridas,id eſt, mellitios nodos,& atherωmata, quæ materia conſtant, pulti(quam Græci atheram uocant) ſimili. Cæterùm cùm hæc tria abſceſſuum genera,ſteatωma inquam,meliceris,& atherωma, frequentiſſimè incidant,ac locis ualde multis Galenus eorum meminerit: non abs re factum putauimus,ſi(nacta hoc loco de ijs diſſerendi occaſione)eorũ naturam, notas quibus agnoſcantur: in quibus item inuicem diſſideant, & conſpirent,latiùs aperuerimus. Atherωma igitur,tumor eſt concolor & indolens, in membrana, ſeu neruoſa tunica humorem lentum continens, atheræ,id eſt,pulti ſimilem,quæ ex farina decocta conficitur. Interdùm quoque in atherωmatibus ſimul cum humore pultaceo, lapidoſa quædam,duráque corpora,& alia tanquàm ſulphuris ramenta inueniuntur,nonnunquàm ueluti manſa gallinarum oſsicula, ſæpe etiam tanquàm pili complicati tactui occurrunt. Cæterùm tumor atherωmatis,ſpecie & figurâ oblongus,& aliquantum ſublatus uiſitur:qui digitorum appreſſu ob humoris lentorem & craſsitudinem tardè retrocedit,& amotis digitis,tardè quoque regreditur. Meliceris autem tumor eſt,ſimili modo dolore carens,ſed rotundus,in quo neruoſa etiam tunica, quam cyſtim appellant,incluſus humor reperitur tenuis,& mellis ſubſtantiam repræſentans: unde & mellifauium Latinè quibuſdam dicitur. Itaque meliceris ab atherωmate differt figurâ,& humoris ſubſtãtiâ. Nam & figura rotundior eſt, & humoris ſubſtantia tenuior. Proinde melleus hic tumor magis quàm atherωma extenditur, preſsúque digitorum celerrimè cedit, & amotis digitis pari celeritate ad ſitum priſtinum redit. Steatωma uerò,tumor etiam eſt præter naturam,concolor,et tactu lenis, in principio quidem exiguus,ſed temporis progreſſu augeſcens, & amplior

Lupus mor bus.

Nodus.

Nodi Auicennæ.

Atherωma

Meliceris.

Steatωma.

plior factus: in quo humor ſeuo perſimilis, membranula ſimiliter inclu-
ſus, ſubeſt. Hoc à meliceride et atherωmate diſtinguitur, duritie. Nã ple-
nũ ac ſolidũ eſt, tactúq; renititur, adeò, ut digitis prementibus minimè
Teſtudo. cedat. Sed reliqua nunc apoſtemata perſequamur, quæ ferè ad hæc tria,
de quibus modò egimus, reducuntur. Teſtudo ipſi Guidoni abſceſſus
eſt magnus, humoralis, mollis, latiore forma, in modum teſtudinis, unde
nomẽ accepit. Quæ ſi in capite (inquit) naſcatur, talparia uel talpa dici-
tur: in collo, bocium: in teſticulis, bernia: interdùm aũt cũ pure, uel ſquam-
mis, uel fiſtulis reperitur. Cæterùm teſtudines & talpæ, apud antiquos,
neque proprium nomen, neque tractatum inuenerunt. Recentiores autẽ
teſtudinem uocant tumorem mollem, uel non ualde durum, ſatis autẽ ma-
gnum, in quo pinguis materia, tunica quadam obtecta, continetur, quæ cal
uariæ ita hæret (eſt enim cutis capitis affectus) ut ipſam plærunque ui-
tiet. Hanc non dubium eſt de numero eſſe abſceſſuum, & ſub meliceri-
de, uel atherωmate contineri: uidetur tamen ad meliceridem magis in-
Talpa. clinare. Talpa uerò cùm albam materiam contineat, ad atherωmata po-
tiùs, quàm ad meliceridem refertur. Guido tamen teſtudinis ſpeciem: i-
mò uerò teſtudinem ipſam eſſe affirmat, quemadmodùm & berniam,
Bocium. & bocium, quod uocat: ſed uaria hæc nomina ſortiri, pro uarietate lo-
corum, in quibus reperiuntur. Cæterùm quod uulgus bocium, Græci
propriè inuento ab interiore parte nomine, bronchocelen appellant, no-
ſtri uerò berniam gutturis, & gutturoſos, qui eo morbo dehoneſtantur.
Brõchoœle Eſt autem colli tumor grandis, & rotundus inter cutem, & aſperam ar-
teriam, in quo modò caro hebes, modò humor aliquis, melli, adipi, pulti,
aquæue ſimilis, includitur. Interdùm etiam, ut ait Celſus, in eiuſmodi tu-
Nata. more pili minutis oſſibus immixti reperiuntur. Nata (ut ſcribit Guido)
excreſcentia eſt magna, carnoſa, ueluti caro natium, uel ancharum diuer
ſarum quidem formarum & magnitudinum: cuiuſmodi ſunt melopepon
& cucurbita. Itaque diuerſa ſortitur nomina, pro formæ, & membri in
quo eſt, uarietate. Porrò tumor hic qui nata uel napta recentiorum tur-
bæ appellatur, dolore caret, niſi fortè adeò magnus exiſtat, ut partes mẽ
bri trahendo, ſoluta continuitate, aliquem dolorem circumſtantibus infe-
Nata uel napta ad ſtea tωmata ſpectat. rat. Eſt autem & de numero abſceſſuum, & ad ſteatωmata (ut ſuprà in
enumeratione tumorum præter naturam diximus) ferè ſpectat. Bubo
Galeno autore, laxarum partium, ſeu glandularum (quas Græci adenas
Bubo. uocant) eſt affectus: nempe ſimplex inflammatio. Quare uel malè hîc
inter abſceſſus pituitoſos à Guidone annumeratur, uel aliud eſſe putat q̃
Galenus. Porrò bubones, qui prolapſu, aut alijs ulceribus, aut doloribus

contra-

contrahuntur,periculo uacant. At qui in febribus peſtilentialibus incidere conſueuerunt, deterrimi ſunt,ſiue fœmora,ſiue alas, aut ceruicem inuaſerint. Fugille (inquit interpres Auicennæ) eſt de genere apoſtematum glanduloſorũ,& quaſi hoc nomine(ait)appropriatur illud,quod ſit poſt aurem. Ex qua deſcriptione non leuis eſt coniectura, fugille Auicennæ,eum tumorem eſſe,qui Græcis parotis dicitur,affectus quidem glandularum ſub ipſis auribus. Quibuſdam autẽ idem eſſe putatur fugille,quod bubo: uerùm tunc illis aliud erit bubo, quàm Galeno & Paulo: nempe excreſcentia multùm(ut dicunt) infiltrata,& radicata,ut plurimùm ſine cyſti,id eſt,folliculo,ſeu membrana eam inuoluente, dura in morem ſcrofularum:& in eo ſignificatu(ut puto)ſumitur bubo à Guidone,quandò bubonem fugillinum numerat inter abſceſſus pituitoſos. Cæterùm longè adhuc plura nomina pituitoſorũ huiuſmodi abſceſſuum reperiuntur. Verùm de nominibus ipſis non magna cura habenda eſt, modò id unum de ijs cognoſcamus,& intelligamus, quòd propter eiuſmodi nominum diuerſitatem,curationem & iudicium euariari contingit. Itaque eiuſmodi abſceſſuum ſeu excreſcentiarum phlegmaticarum, aliæ quidem peculiari quadam membrana ſeu tunica (quam cyſtin uocant) includuntur: aliæ uerò in carne ſunt uaſis implexæ & inſertæ. Quædã baſim,ſeu radicem habent gracilem:quædam uerò latiorem. Quædam item ſunt reſolubiles,quædam uerò minimè. Quædam magnæ,quædam paruæ. Aliquæ ad ſuppurationem ſpectant,aliquæ non. Aliæ etiam ſunt ſquãmoſæ,fiſtuloſæ:et cãceroſæ,aliæ uerò nihil horũ prorſus reſipiũt:et ita de alijs.

Fugille.

Bubo quid apud Guidonem,& alios recentiores.

Differẽtiæ abſceſſuum pituitoſorum.

De cauſis,ſignis,& iudicijs prædictorum abſceſſuum.

Cauſæ huiuſmodi abſceſſuũ ſunt triplices. Nẽpe primitiuæ,ut caſus, percuſſio, uitæ luxus,ſiue intemperantia,ac deprauata uiuendi ratio. Antecedentes,ut ſunt humores non naturales,præſertim pituitoſi, et uera œdemata,quæ in abſceſſus degenerant. Et coniunctæ, quæ ſunt uariæ ſubſtantiæ,& propriæ cuiuſque abſceſſus materiæ, in parte affecta contentæ. Continentur autem in huiuſmodi abſceßibus, quandoque quidem humores,uel ſeroſi,cuiuſmodi eſt urina, uel putridi & corrupti,uel cœnoſi,uel mucoſi, ſeu(ut aiunt) mucilaginoſi, uel melli,ſ pulti, aut adipi ſimiles. Quandoque uerò carnes phlegmaticæ,& ſpongioſæ, atque glanduloſæ. Interdùm quoque lapides,arenæ, oſtraca, ligna, carbones, & id genus alia ſolida corpora. Frequentiſsima autem ſunt (ut paulò antè diximus)horum abſceſſuum tria genera, quorũ ſingula propriam apellationem Græcè ſunt ſortita. Ea ſunt,atheroma,ſteatoma,& meliceris, à ſimilitudine contentorum in his corporum dicta. Eſt enim

Cauſæ abſceſſuũ quæ ad pituitã pertinent.

Materia pituitoſorum abſceſſuũ.

14. therap.

aliud eorum ueluti ſeuum, aut pingue quiddam: aliud
SIGNA. *pulticulæ tenui, quam atheram uocant, ſimile. Signa & iudicia eiuſ-*
NOTAE *modi abſceſſuum, quæ ad pituitam pertinent, ex eorum deſcriptionibus,*
abſceſſus ue- *& differentijs ſuprà poſitis facilè deprehenduntur. Indicium autem*
lamẽto in- *quòd uelamento includantur, hoc eſt, cyſti ſeu pellicula, quam & antiqui*
cluſi. *tunicam nominabant, eſt mobilitas, & cutis ſeparatio. Quandò uerò fi-*
IVDICIA. *xæ ſunt, id eſt, eodem in loco permanẽtes, & carni adhærentes, nulla eas*
abſceſſu (1 *inuolui membranula indicium eſt. Porrò recentes & tractabiles, diſcu-*
ũ pituito- *ti, ſeu reſolui poſſunt: duræ uerò & iam inueteratæ, nequaquàm. Ru-*
ſorũ. (2. *bor autem, dolor, & caloris incrementum, oſtendunt ipſos abſceſſus ter-*
minandos, uel per ſuppurationem, uel per fiſtulas, uel per cancrum.

3. *Numeroſæ ſtrumæ partes externas occupantes, & ſede ſubinde muta-*
ta, huc atque illuc per corpus uagantes, cum aduentitia quadam calidita-
te, planè teſtantur, ac indicant, eaſdem germina eſſe ac ſobolem chæra-
Arnaldus à uilla noua. *dum internarum, ut Arnaldus à uilla noua quodam in loco annotauit.*
Proindè quæ forinſecùs illis admouentur auxilia, parùm, aut nihil pro-
Auicennas. *ficiunt. Hæ autem, ut putauit Auicennas, ex caſu, & offenſione, ſeu alli-*
ſione ita in noſtris corporibus multiplicantur. Conducunt uerò uel ma-
gnoperè ſtrumoſis ipſis, medicamenta purgantia, potiones diureticæ, at-
que electuaria (ut uocant) reſiccantia: item ætatis mutatio in paruulis.

4. *Cæterùm pueri ipſi propter uoracitatem & gulæ intemperantiam,*
Quæ ætates naturæ, & *ac corporis raritatem, ſtrumis frequentiùs corripiuntur. Senes uerò ob*
corpo- (5. *cauſas contrarias, rariùs. Ad hæc qui breui atque angusta ſunt fronte,*
ris cõſtruc- *& compreſſa habent tempora, ac maxillas amplas, ſtrumis ſunt obnoxij. In talibus enim materia promptè deriuatur ad collum, ut ex recen-*
tionibus, ſtru- *tioribus chirurgis annotauit Henricus. Strumæ uerò præcipuè (ut Cel-*
mis magis *ſint ex* (6. *ſus ait) fatigare medicos ſolent, quoniam & febres mouent, nec unquàm*
poſitæ. *facilè matureſcunt: & ſiue ferro, ſiue medicamentis curentur, plerunq;*
Celſus. *iterum iuxta cicatrices ipſas reſurgunt, multóque pòſt, medicamento eſt*

7. *opus. Quibus quoq; accedit, quòd longo ſpacio detinent. Inciſio eiuſmodi*
abſceſſuum, itidem & corroſio, magnoperè uerenda eſt, circa uen-
trem, collum & commiſſuras, propter propinquitatem uenarum, arteri-
arum, & neruorum, ac internæ etiam capacitatis. In inciſione quoq; ma-
gnarum glandularum, ſummoperè uitare oportet uenam, quæ ad radi-
cem earum ſita eſt, & illis alimoniam defert. Sæpe enim magnam hæ-
morrhagiam, id eſt, ſanguinis profuſionem, excitat: unde non mediocre

8. *tandem ſequitur periculum. Strumæ inter ſe differunt, magnitudine, natu-*
râ, loco, ortu, multitudine, & uaſorum complicatione, ut ex Leonida

anno-

annotauit Aëtius. Itaque paruæ ſtrumæ maioribus faciliùs curantur, ſicut mites inflammatis. Maleficæ ſanari non poſſunt. Cùm enim omnes eiuſmodi ſtrumæ cancroſæ, ac uaſis refertæ ſint, dùm curantur, erumpendi ſanguinis periculum adferunt: præterquàm quòd cùm plærunque penitiores inueniantur, minimè abſcindi poſſunt. Vaſa enim nobilia, uenas inquam iugulares, & arterias, quæ carotides appellantur, malefica ſtruma tanquàm radices habet. 9. Magnitudo 10. (do Natura.

Pro loci ratione, ſuperficiariæ quidem ſtrumæ profundis curatu faciliores ſunt, deinde quæ in collo eueniunt: ubi tamen uocales neruos diligenter uitari oportet. Multi enim ſtrumas circa aſperam cannam incidendo, uocalibus neruis ſimul exciſis, reliquo deinceps uitæ tempore ægrum ſine uoce reddiderunt. Nam præter eius nerui exciſionem, uocalia inſtrumenta denudata, & inter curandũ refrigerata, uocis functionem uiolarunt. Pro multitudine ſtrumarum, conſtat unam pluribus faciliùs curari poſſe. Sicut, quantum ad ortus rationem attinet, lõgè citiùs ſaneſcunt ſuſpenſæ, quàm quæ inſertæ fuerint. Hæc de ſtrumis ex Leonida, memoriæ prodidit Aëtius. 11. Locus. 12. Multitudo. 13. Ortus.

Curatio abſceſſuum ex materia pituitam referente creatorum, quas excreſcẽtias phlegmaticas vocant.

CVratio eiuſmodi abſceſſuum, qui ex pituita ferè ortum habent, gemina eſt recentioribus chirurgis: Vniuerſalis ſcilicet, atque omnibus ex æquo communis: & particularis, hoc eſt, ſingulis differentijs propria. Itaque uniuerſalis curandi ratio erit, talem, támque accommodam laboranti uitam inſtituere, ut materia, quæ tales abſceſſus committit, in corpore minimè coaceruetur: & materiam, ut uocant, antecedentem, & iam in ægroto corpore collectam, modis omnibus auertere, ne tandem uniatur coniunctæ, hoc eſt, ei quæ iam morbum creat. Porrò priorem huius uniuerſalis curationis intentionem aſſequemur, ſi laborantes eam uiuendi rationem diligenter obſeruent, quæ in præcedentibus capitibus præſcripta eſt: hoc uno dempto, quòd paulò tenuiorem uictũ, & qui incidendis humoribus craſſis magis ſit accommodus, amplecti debent. Proinde ſi Auicennæ conſilium ſequantur, cibos omnes pachychymos, id eſt, craſſioris ſucci uitabunt, frigidæ item potionem, nimiam ſatietatem, immoderatámue repletionem, & quæ nauſeam pariat. Toleranda autẽ illis eſt quàm maximè fieri poterit, inedia. Bona coctio imprimis erit procurãda, uitanda habitatio humida, in uallibus ſita, paludoſa, et uitiatis aquis irrigata. Potus, ſit unum aliquod generoſum atque optimum, uel aqua aluminoſa, aut ſulphurata. Aquæ enim eiuſmodi minerales, Duplex abſceſſuum pituitoſorum curandi ratio. 1. Vniuerſalis. 2. Particul. Vitæ ratio qualis eſſe debeat in abſceſſibus pituitoſis. Aquæ aluminoſæ uis.

præſertim quæ uini fæculam ſapore repræſentant, non ſolùm internos hoſce ſtrumoſos, ac pituitoſos abſceſſus, ſed externos quoque, & ſumma corporis occupantes, imminuunt, ac diſcutiunt: ut Arnaldus affirmauit.

Vacuatio materiæ ãtecedẽtis.

Cæterùm alteram partem prioris proceſſus, nempe materiam antecedẽtem auertere, ne tandem addatur coniunctæ, quadruplici genere euacuationum aſſequimur, utpote medicamento per aluum pituitam expurgante, & quandoq; uenæ ſectione. Item ijs, quæ urinam cient, & demùm ijs, quæ collectum in alto corpore humorem tum in halitum reſoluant, tũ digerant.

Vacuantia p aluum. Puluis turbith.

Ad uacuationem, quæ fit per aluum, laudatur à ualde multis puluis turbith, qui apud Auicennam recipit, turbith, zingiberis, & ſacchari, ſingulorũ pares portiones. Ex eo autem exhibet drachmas duas, aſſeritque, quòd præter hoc, quòd reſoluit pituitam craſſam, nequaquàm calfacit, neq; abradit inteſtina.

Razes.

Razes aũt, qui audacior fuit in purgãtibus medicamẽtis exhibendis, huiuſmodi puluerẽ conficit, capite de doloribus uentris in nono ad Almanſorem, ex uiginti partibus turbith, decem zingiberis, & triginta ſacchari, offertq; ex eo uice una drachmas tres.

Hiera picra.

Benedicta quoque, & hiera picra: item pillulæ ex agarico, & de hermodactylis maiores appellatæ, eiuſmodi affectibus magnoperè conueniunt.

Quæ urinã cieant.

Ad ciendam urinam, uti conſueuerat Guido à Cauliaco ſequenti potione, quam ex ſcriptis multorum ſe decerpſiſſe ait.

Potio Guidonis à Cauliaco, urinã ciẽs in abſceſſibus pituitoſis.

Concipit autẽ, ſcrofulariæ partes tres, phylipendulæ partes duas, pinpinellæ, ſeu bipinellæ, piloſellæ, tanaceti, caulium rubrorum, qui nonnullis braſſica marucina creduntur, rubiæ maioris, ſingulorum partem unam: radicis ariſtolochiæ, ſparbulæ fœtidæ, radicis raphani, ana partem dimidiam: conquaſſentur, & decoquantur in uino albo & melle, uſque ad conſumptionem medietatis, & fiat colatura, ex qua tertio quoque die, hora matutina ſumat æger quadrantem, id eſt, uncias tres, & potio ſit tepida.

Quæ per halitum digerant.

Cæterùm pro omnibus his auxilijs, ſicuti & pro uenæ ſectione (ſi aliquandò fieri debeat) conſulendus erit peritus aliquis medicus, qui & qualitatem, & quantitatem, ac modum uſus eorum præſcribat. Ad reſoluendum autem per halitum, & digerendum humorem, qui in alto corpore collectus eſt, & internas glandulas (quæ externarum ſunt cauſæ) excitat, Galen. lib. 14. Therap. conſulit theriacen, athanaſiam, ambroſiam, & medicamentum, quod ex Cretica calaminthe eſt compoſitum. Græci diacalaminthẽ uocant. Cuius compoſitio requirenda eſt ex lib. 4. de ſanit. tuen. Multa alia auxilia ad huiuſmodi affectus inſtituuntur: nempe potiones, electuaria, & etiam olea, quæ in aures iniiciuntur. Empirica quoque permulta, à ueteribus deſcripta & celebrata ſunt, quorum uſus mihi non probatur.

batur. Proinde nõ duxi illa noſtris cõmentarijs eſſe inſerenda. Hoc unũ tamen confidenter adfirmo, Chriſtianiſſimo Francorum Regi, diuinitùs peculiari dono eſſe indultum, ut quàm plurimos ſtrumoſos ſeu (ut uocant) ſcrofularios, ſolo manuum attactu, integræ ſanitati reſtituat. Rex etiam Eduoardus (ut referunt hyſtoriæ) ſolebat diuinitùs ſolo tactu ſanare ſtrumoſos. Quod immortale munus iure ueluti hæreditario ad Reges poſteriores manauit. Nam Reges Angliæ etiam nũc tactu, ac quibuſdam hymnis, non ſine ceremonijs priùs recitatis, ſtrumoſos ſanãt. Atque hæc quidem in omnibus ſuprà dictis abſceſſibus communia ſunt.

Galliarum reges diuino quodam munere ſtrumas curare.

Quæ uerò ſequuntur, particularem, ac propriam cuiuſque differentiæ curandi rationem concernunt. Hanc autem curandi rationem propriam ac particularem, in hiſce abſceſſibus diuerſam efficiunt, atque immutãt, tum materiæ, ex qua ortum habent, ſubſtantia: tum uerò eorum quantitas, uel minutula, uel quæ in molem ualde magnã excreuit. Adhæc, partis ipſius laborantis, atque etiam totius corporis natura. Temporis autem duratio licet non indicet curationem: indicat tamen nobis aliquandò, atque inſinuat, qualis ſit ipſa diſpoſitio, ut Galenus annotauit lib. 4. de morbis curãdis. Itaque tametſi à prædictis multæ ſumi poſſint curãdi indicationes, ac intentiones: eas tamen, quãtùm ad rem præſentem attinet, ad ſex reduximus, quas & ijs ſex ſequẽtibus ueluti canonibus expreſſimus. Quorum primus ad hunc modum habet: Pituitoſos abſceſſus, molles, & paruos, quæ lupiæ uulgò, & Arabicæ factionis principi Auicennæ, glandulæ appellantur, ſi in particulis firmioribus conſiterint, & (quia nondùm inueterauerunt) tenellã adhuc cyſtam, id eſt, membranã qua includuntur, habuerint, comprimito, & atterito, poſteà deſiccato. Secundus: Maiores non multùm duros, neque inueteratos, more tumorũ œdematoſorum (de quibus ſuprà egimus) emollito, diſcutito, conſumito. Tertius: Pituitoſas eiuſmodi excreſcentias, ſanioſas, & apoſtematoſas, hoc eſt, quæ in ſuppurationem ſpectant, maturato, aperito, detergito. Quartus: Strumas, quæ ex prædictis auxilijs curationem non recipiunt, & mobiles ſunt, blandæ, morigeræ, ac tractabiles, incidito, atque extrahito. Quintus: Immobiles, inſertas, irretitáſue, ſeu (ut loquuntur) infiltratas, hoc eſt, uenis, & arterijs multùm implicatas, ad radicem, & intus latas, corrodito, detergetóque. Sextus: Tenui ac gracili radice innixas, deligato, ac euellito.

Quæ particularem pituitoſorũ abſceſſuum curatio nẽ euariẽt.

Tẽpus quid inſinuet.

1. 2. 3. 4. 5. 6.

PRIMVS canon, iuxta Auicennæ ſenténtiam abſoluetur, ſi ubi molles, ac minutos eiuſmodi abſceſſus, quos Auicenna glandulas, & recẽtiores lupias appellant, cõtriueris, ac uehementer cõpreſſeris, laminã plumbeam

1. *Cõpreßio, & attritio.*

beam tumori æqualem ſuperponas,& ne hinc inde labatur,arctis uincu-
Lupiæ cu-ratio. lis in medio conſtringas. Hæc enim (ut ille ait) huiuſmodi excreſ-
centias digerit. Primùm igitur lupia tamdiu manu molliter perfricetur,
uſque dum aliquantulùm incaleſcat,& ſeipſâ mollior quodammodò fi-
at: poſteà,laborans particula firmiter manibus apprehendatur,& fun-
do ſcutellæ,aut re aliqua ſolida lignea,toties, ac tam uehementer percu-
tiatur,ut diſpareat,& interior eius cyſtis,id eſt, membrana qua inclu-
ditur,dilaceretur,diſrumpatúrue,atque ita materia ibi contenta diſper-
Lamina plumbea. gatur. Quo facto protinùs lamina plumbea ſupra locum adplicetur,&
faſcia duarum extremitatum,ſeu(ut dicunt)duorum capitum, arctiſsi-
mè deligetur, nec amoueatur ante nouem aut decem dies. Lamina autẽ,
ea ſit magnitudine(ut modò dicebatur)quæ proportione reſpondeat lu-
Vnguentũ Rogerij. piæ. Sunt tamen qui ante laminæ eiuſmodi plumbeæ applicationem,un-
guentum admouent ex plumbo uſto,fuligine ſambuci,aut ficus arboris,o-
leo,& aceto. Alij priùs utuntur emplaſtro compoſito ex aloë, acacia,
myrrha,olibano,ſarcocolla,adiecto aceto, uel oui candido, quantùm ad
alia excipienda ſatis eſſe uidebitur. Henricus ſuperponere ſolebat
paruas(ut ipſe,& alij eiuſdem farinæ chirurgi loquuntur)plagellas, ex
ſtupis confectas,oui candido liquore,ſale,& alumine zuccharino inſpiſ-
ſato delibutas. Porrò Philagrius ratione non admodùm diſsimili, apud
Aëtium ganglia(qui nerui, ut ſuprà diximus, tumores ſunt inæquales)
Ganglij curatio ex Philagrio. „ curare ſolebat: inquit enim ad hunc modum: A ganglijs chirurgicum
„ opus[id eſt,ſectionem] arcemus,præſertim ſi in manibus, aut pedibus e-
„ uenerint: ſed medicamentis tantùm curabimus. Ammoniacum enim pro-
„ pe ignem,ad emplaſtri conſiſtentiam emollitum illinimus:deinde laminã
„ plumbeam tumori æqualem ſuperponimus,& ne hinc inde labatur, ar-
„ ctis uinculis in medio conſtringimus. Iam uerò diebus aliquot tranſactis,
„ ubi priùs ganglium emollitum nouerimus:nihil ægro præfati ſtatim ſub-
„ latis uinculis,dum adhuc locus incaleſcit, pollicem dextræ manus gan-
„ glio infigimus, ac reliquis quatuor digitis membro innitentibus uehemẽ-
„ tiſsimè comprimimus,& ganglium confeſtim diſſoluitur. Hactenus Phi-
Lupiam et ganglion eundẽ eſſe affectum. lagrius. Itaque ex hac curandi ratione, facilè eſt colligere,recentiorum
lupiam,Auicennæ glandulam,& Græcorum ganglion, eundem omninò
affectum eſſe: quod & præcedentes etiam eorum deſcriptiones apertè
Archigen. Lib. 4. ſatis oſtendunt. Archigenes in hoc uitio calcem,unà cum adipe anſerino,
& terebinthina reſina, apponi iuſsit. Idem uerò & medicamine, quod
Oribaſij medicamẽtũ lapidem achatem recipit, ſæpiùs utebatur, ut refert Paulus. At Ori-
baſius,eo frequẽter uſus eſt,quod recipit ceruſſæ,reſinæ piceæ,olei ue-

teris,

teris, ſingulorum unciam unam, ammoniaci thymiamatis, galbani, ſingulorum pārem modum, ceræ uncias quatuor. Extat idem medicamentum apud Aëtium, ſed in quibuſdam pondera euariant: habet enim ceruſſæ, olei antiqui, & reſinæ piceæ, ſingulorum lib. unam, ceræ unc. duas, ammoniaci thymiamatis, chalbanæ [id eſt, galbani] ſingulorum unc. unam. Ceruſſam cum oleo decoquito, quouſq; inquinandi finem fecerit, deinde tritum ammoniacum, poſteà reſinam piceam, & ceram, poſtremò galbanum præmollitum conijcito. Porrò inſignis ille Græcæ familiæ medicus, Oribaſius inquam, non laminam plumbeam ut Philagrius, Auicennas, & recentiores chirurgi, ſed plumbeum orbiculũ craſſiorem, ad inſtar ſpondylorum, id eſt, uerticillorum quæ fuſis mulierum appenduntur, ganglio ipſo ampliorem imponebat, deligabátque. Siquidem (inquit) pondere ſuo longiori temporis ſpatio, ipſum diſſoluit. Itaque ſatiùs eſt multò eiuſmodi emollientibus & diſcutientibus medicamentis uti in ganglijs, ſeu (ut communiter loquuntur) lupijs curandis, quàm chirurgico opere, id eſt, exciſione, præſertim cùm in cruribus, aut brachijs, aut ſummis partibus oriuntur. Periculum enim eſt, ſi ea excindãtur, ne particula mutila reddatur. At quæ caput aut frontem occupant, manu tutò curari poſſunt, hoc eſt, præcidi, aut euelli. Ergo ſummam cutem ſcalpello diuidito, deinde ſi parua ſunt, uulſella comprehenſa ex baſi, hoc eſt, à radice excindito: ſi maiora, hamis transfixa, & ſublata, circumcirca diducito, excoriatóque, & extrahito: poſtremò ſuturis oras coniungito, medicamentóque utitor, quod cruentis uulneribus adaptatur. Sed hæc ad quartum canonem pertinent.

mollitoriũ ad gãglia.

Verticillũ plũbeum.

Ganglioꝝ per chirurgiam curatio.

SECVNDVS canon completur (ut interim taceam medicamenta pituitoſis, hoc eſt, œdematoſis tumoribus, dicata, quæ ſuprà poſuimus: ad hos etiam, de quibus nunc agimus, abſceſſus, & herniarum omne genus, apprimè, unà cum ſequentibus remedijs utilia) admotione cuiuſdam emplaſtri, quod à Galeno deſcriptum eſt lib. ſexto de compoſitione medicamentorum κατὰ γένη: hoc enim ut ipſe teſtatur, per halitum digerit, & phlegmonas propulſat, ualet ad ſtrumas, panos, parotidas. Confert etiam podagricis, & multis alijs uitijs benefacit. Recipit autẽ olei ueteris denariũm pondo centum, argenti ſpumæ denariũm pondo quinquaginta, picis [ſiccæ] denariũm pondo quinquaginta, ladani denariũm pondo uiginti quinque, æruginis raſæ denariũm pondo octo, galbani denariũm pondo quatuor. Argenti ſpuma (quod lithargyrum uocant) ex oleo trita coquitur. Cùm autem coëunt, id eſt, inſpiſſata ſunt, pix & ærugo immittuntur: deinde ladanum, galbanúmque, atque ſic in mortarium

2. Diſcuſſio & digerentia medicamẽta.

„ Gal. hãc cõpoſitionẽ acceptã refert „ Heræ.

„ rium transfusa subiguntur & molliuntur, atque usui reseruantur. Qui-
„ dam, ut boni coloris sit, & fuscum, miscent etiam squammæ denariûm pō
„ do octo: nam alioqui fit nigerrimum. Aliter inuenitur descriptum in Gui-
donis commentarijs: nempe sub hac forma: ℞ olei antiqui unc. 12. uiridis
æris, siue æruginis, drach. 14, picis siccæ unc. 6. ladani uncias 3. litharg y
Diachylon. ri unc. 12. galbani uncias 3. Ad idem benefacit diachylon commune &
ireatum nominatum, quorum formulæ & compositiones in antidotario
infrà describentur. In diachyli autem ireati libra una malaxanda est
uncia 1. puluerís radicis ireos. Idem efficit diachylon magnum Mesues,
Razes. cuius descriptio etiam infrà habetur. Sunt qui consulant, ad digerendos
Stercus caprillũ uetus. eiusmodi abscessus antiquum stercus caprillum, cum melle & aceto su-
pra ignem in unitatem ad formam emplastri redactum, dolenti loco esse
admouendum. Item emplastrum ex fœnogræco, semine lini & brassicæ,
cum uiscillagine radicis altheæ confectum. Hoc etiam si suppurationis
Halyabb. emplastrũ. spes adfuerit, pulchrè maturat. Halyabbas quoque subsequens em-
plastrum ad eundem usum plurimùm commendat: ℞. farinæ fabarum,
& hordei, ana drach. 10. radicis glycyrrhizæ, radicis altheæ & picis
singulorum. drach. 5. ceræ albæ, adipis anserini, cuiusque drach. 10. te-
rantur, & in unum redigantur ex oleo ueteri, & urina pueri nondùm
uenerem experti, & supra moderatum ignem fiat emplastrum. Aliud
Emplastrũ Auicennæ. Auicennæ, quo Guido utitur: ℞. stercoris bubuli unc. 2. radicis caulium,
id est, brassicæ, radicis capparum, squillæ, ficuum pinguium, singulorum
semunciam, lupinorum, bdellij, ana drach. 2. aceti, mellis, axungiæ suillæ,
Bruni & Theodorici emplastrũ adstrumas. fecis olei antiqui, ana, quod satis est, fiat emplastrum. In omnibus duris
tumoribus Brunus hoc sequens remedium approbauit, cuius sententiam
secutus est & Theodoricus. Sume ammoniaci, bdellij, galbani, singulorũ
partes æquales: macerentur triduo in aceto: quibus dissolutis, & igni iã
appositis, addatur furfuris subtilis, quantùm satis esse uidebitur, & fiat
Rogerij emplastrum. emplastrum. Rogerius hoc auxilio utebatur ad strumas, quas uulgò
scrofulas appellant. Accipe radicis filicis, asphodeli, & si uis ebulorũ,
ana quantum lubet, coquantur in uino optimo, & tundãtur in mortario,
Emplastrũ præceptoris Guidonis ex limacibus. addendo sulphuris uiui momentum, & fiat emplastrum. Qui Guidoni
contigit præceptor in Monte pessulano, efficacissimum sæpe expertus
est emplastrum, quod constabat ex duodecim cochleis (quos & limaces
uocant) uino incoctis, aut lixiuio cinerum, dictorum uulgò clauelatorum,
aut ex capitello, ut dicunt. Imò (quod ualentius erat) quotidie cochleam
unam uel siccam, uel aliter præparatam, & (ut loquuntur) confectam, i-
pſis laborantibus per os sumendam offerebat. Probè etiam strumas dis-

cutit

cutit Paulo *calx uiua, id eſt, aquâ non extincta, melle, uel gymnaſiorum ſordibus, ſeu balneorum ſtrigmento excepta, uel oleo, uel adipe ſuillo. Idem præſtat* Aëtio *ſola palæſtræ ſordes, à parietibus deraſa, & probè ſubacta, ſuper linteolo extenſa, & emplaſtri modo applicata. Ad id etiam efficaciter auxiliatur, calcis, nitriq; par modus, cardamomi, & fœnugræci quadruplus cum melle, malagmatis modo impoſitus. Strumas quoque diſcutit, lupinorum amarorum farina ex oxymelite cocta & illita. Ad idem præclarè facit bubulum ſtercus aceto incoctum, & delinitum: id enim tumores ſcirrhoſos omnes inſtar cataplaſmatis appoſitum, mirificè diſſipat. Groſſi etiam præcipuè caprifici cum axungia appoſiti, omnem tumorem diſcutiunt. Hac igitur curãdi ratione, ſtrumis inchoantibus, & nondùm inueteratis, medeberis: tum in pueris, tum in his, qui manuum opus refugiunt, medicamentis ſcilicet diſſoluentibus, ac per halitum diſcutientibus. Verùm primò mollire, deinde diſcutere oportet, uel utrunque ſimul, medicamentis mixtam facultatem habentibus, efficere. Eius autem generis ferè ſunt auxilia omnia ſuperiùs deſcripta. Porrò ſi digerentia medicamina, nihil in eiuſmodi abſceſſibus profecerint, uel ad ſuppurationem ducendi erunt, uel exedendi, uel manu curandi, ut in ſequentibus dicetur. Cæterùm ſilentio præteriri non debet, quod à quibuſdam memoriæ proditum eſt, nempe ſtrumis laborantes, ſicuti & elephantiaſi, uiperarum, ac ſerpentum uſu mirificè adiuuari. Item ſi laſerem ad ciceris quãtitatẽ ſingulis diebus ieiuni potauerint. Ergo ſerpentem extinctum in ollam conijcito, eámque gypſo probè oblitam ac circũmunitam in fornacem mittito, concremati cinerem æquali fœnugræci põdere miſceto, & melle excepto utitor. Hoc enim ſtrumoſis eximiè ſubuenit. Aluum etiam facilem reddi, tenuémque uictum adhiberi oportet ſtrumis laborantibus, uomitúmque aſſiduè prouocare, & per os pituitã ducere, capútq; deſiccare, ac cataplaſmata ſyncipiti applicare, quæ mediocres puſtulas in cute excitare poſſit, ueluti capparis radix cum polẽta, ac reliqua huiuſmodi, ſmegmatiſque eiuſdem facultatis, & puluiſculis uti.*

Viperarũ ac ſerpentũ uſus, mirè ſtrumoſos iuuat.

TERTII *canonis intentionem communiter etiam aſſequimur, uſu auxiliorum præcedentium. Omnia enim mollientia, & reſoluentia, ſi locum aut materiam inueniant reſolutioni contumacem, ac repugnantem, materiam ipſam haud dubiè maturant, & ad ſuppurationem perducũt: præſertim ſi mitis ac benigna ſatis fuerit, aut ſanguini permixta* Haly abbas *autem ad maturandos huiuſmodi abſceſſus, admouet emplaſtrũ compoſitum ex farina hordei, pice, & olibano, ex pueri impuberis lotio,*

3. Tertij canonis declaratio.

Suppuratia ſeu maturantia.

in unũ corpus redactis. Auicen. uerò ad infrenandã caliditatis uehemen tiam, consulit decoctum coriandri præfatæ farinæ esse remiscendum. Quòd si parùm hæc proficiunt, & fortius, atque efficacius medicamentum desideres: accipe myrrhæ partem unam, licij partes duas, & misce cum prædicto decocto. Strumas ad suppurationem perducit, aut diffundit subscriptum medicamentum, à Paulo Aegineta lib. 4. relatum. Myrrhæ drach. decem, ammoniaci, thymiamatis drach. septẽ, uisci quercini drachmæ octo, galbani drachmæ quatuor, propolis drachma, in pila cõtunduntur. Cæterùm ipsis iam maturatis, & ad suppurationem perductis (quod ex notis ipsius puris facilè deprehendes) aperiri debebunt, & detergeri. Detersio autem optimè fiet admoto unguento Apostolorum uulgò nuncupato, quod ad Christianos (ut putant) relatum est. Hoc enim magnæ est efficaciæ in strumis malignis, & ulceratis. Ad idem multùm efficacia sunt, unguẽtum Aegyptiacum Rasis, emplastrum de succis, diachylôn nominant: & diapalma, quod Græcis φοινικῶν appellatur, quorum descriptiones ex antidotario sunt requirendæ. Quòd si huiusmodi abscessus locum aliquem occupauerint, in quo caries, & quædam corruptela ossium subsit, aut prauum aliquod symptωma illis accesserit, ea ulcerum curandi ratione tractentur, cum quibus affinitatem, & commercium habent.

Pauli medicamẽtũ ad strumas maturandas.

Detergentia.

Vnguentũ Apostolorũ

Vnguẽtum Aegyptiacum.

Diachylôn.

Diapalma.

4. *Modus inãdẽdi, eteuel leudi strumas ex Albucasi, & Leonida.*

Quod ad quartum canonem attinet, blandas, morigeras, superficiarias, & sanabiles strumas, manuum artificio, & chirurgico conatu, ita optimè, ac breuissimè tractabis. Aegrum imprimis prostratũ, recumbere iubeto: sedens enim, animi deliquio facillimè corriperetur. Vbi laborans sic decubuerit, cruribus inter se inuicem, & ad lecti fulcra innixis, caput à ministris firmiter detineri imperato. Deinde cutim tumori adiacentem, recta, uel subobliqua sectione incidito. Quæ enim in collo per transuersum fit sectio, prorsus inutilis est. In eo siquidem uasa & nerui recta porriguntur. Cæterùm non affatim, neque unico impetu, totam cutis crassitudinem secabis: nihil enim uiolentè in hoc opere fieri uolumus. Atque in paruis quidem tumoribus, hoc est, strumis minutioribus, simplicem sectionem facito, hoc est, simplici linea cutem diuidito: in maioribus uerò, cutim ad myrtei folij figuram abscindito: tum uasa, id est, uenas, & arterias, paulatim, & blandè denudata seponito. Post hæc uerò sectionis labra, seu oras cutis incisæ, uolsellis, seu hamulis distendito, ac dilatato, ac membranas digitis, & scalpri capulo, uel spathula, excoriato, strumámque, ubi nudata & explicata membranis apparebit, paulatim eximito. Cæterùm si struma inserta, seu uasis implexa fuerit, sum-

ma

ma attentione opus tractandum eſt, ne per incuriam copioſa ſanguinis profuſio ſequatur. Propterea in agendo, unum duntaxat ſectionis labium uulſellâ protrahatur, & ita ſenſim à connexis corporibus ſcalpelli acie ſeparetur. Cúmque ab uno latere cõnexio diuulſa, ac ſoluta fuerit, in altero idem penitùs repetatur: deinde tota baſis propter neruos, & ſubiecta uaſa excidatur. In ſtrumis uerò, quæ circa alas & inguina cõtingunt, ob cutis reduplicationem, ſectio tranſuerſa ducitur. Porrò in ſectione, quæ fit in ſtrumis collum occupantibus, ſumma cura adhibenda eſt, ne uel arteriæ, quas carotidas uocant, uel recurrentes nerui attingãtur uiolentúrque. Si autem uaſe aliquo inter ſecandum diuiſo, ſanguinis profuſio tuum opus remoretur, ac obturbet, uas ipſum fumiculo excipito, uel niſi magnum admodùm fuerit, penitùs (ut Paulus conſulit) abſcindito, uel præſidia ſiſtendo ſanguini (ſi non magno impetu prorumpat) dicata, applicato. Deinde ad inceptum opus reuertitor. Itaque ubi in arctum ſtrumæ baſis uenerit, dextrè ac peritè ipſam præcidito, immiſſóq; indice, locũ pertractato, ac diligenter ſcrutato, nũ & aliæ ſint ſtrumæ adiectæ, quas & eodem quo ſuprà diximus modo, ſi quæ inuentæ fuerĩt, extrahito. Porrò modicum ſanguinis fluorem facilè compeſces, admotis ijs, quæ facultatem habent exiccandi, ut ſtupis, ſpongia, aut linamẽtis ex xylo, id eſt, cotone factis in aquam frigidam, uel acetum, aut in miſcellam ex utroque (quam oxycraton uocant) infuſis, & poſteà expreſſis. Sin ſectio incruenta perſtiterit, thuris polline eam repleto, linamẽtáque imponito, ac pro linamentorum cuſtodia, lanam uino madentem alligato. Quòd ſi uena aliqua amplior, & effatu digna, cum radice ſeu fundo glãdulæ, uel ſtrumæ, aut cõſimilis excreſcentiæ pituitoſæ, cõnexa ſit, non ex baſi ipſã excindere, ſed fumiculo excipere ac cõſtrĩgere cõuenit, quò particulatĩ citra periculũ ſua ſponte excidat. Quo in caſu p linamẽta poſtmodùm curatio adhibenda erit. Eſto autem uinculum ex materia aliqua nõ facilè putreſcibili, cuiuſmodi ſunt fila, q̃ ſerica nũcupantur, aut graciles chordæ teſtudinum, aut aliorum inſtrumentorum muſicorum. Quæ enim facilè putreſcunt, ea citò ab ijs quæ exceperũt, decidunt. Cæterùm ſi peracto opere, aliquid ex folliculo, ſeu membrana materiam prædictorum abſceſſuum obuoluente, uel aliud extraneum quidpiam remanſerit, iubet Albucaſis illud abſumendum eſſe, implendo uulnus primis diebus xylo, id eſt, cotone, uel alio conſimili, aqua ſalſa imbuto. Guido autem ut reliquias illas abſumeret, hiantem ſinum implebat, primùm quidẽ oui candido, alumine reſperſo, & inſpiſſato. Poſteà uerò unguento Aegyptiaco, uel aliquo ex erodentibus, quæ in antidotario deſcribentur.

Si uena ſtrumæ ſit annexa, quid faciendum.

Albucaſis.

Porrò in omnibus huiuſmodi operationibus apponenda ſunt, quæ dolorem leniunt. Inter cætera autem communiter admouent ſtupas oui candido liquore, & roſaceo imbutas.

5. Corroſio et mũdificatio.

QVINTI canonis ſcopum ita aſſequeris: cutim cauſtico, id eſt, urente aliquo medicamine pro ratione magnitudinis excreſcentiæ abrũpito. Verùm dum id moliris, ſumma cura obſeruandum eſt, ne partes alias circumiacentes medicamen adurens attingat. Perbellè autem opus boc abſolues, admoto cauſtico ex calce, aut ſapone. Hæc enim effectum ſuum intra duodecim horarum ſpatiũ feliciter adimplent. Quòd ſi diutiùs permanſerint, nihil inde tamen periculi aut incommodi ſequetur. Itaque cauſtico iam abrupta cute, & inducta eo in loco eſchara, id eſt, cruſta, per medium ipſius cruſtæ, abſceſſum recta linea in longum diuidito (incides autem uerſus profundum, ferè ad uiuum uſque) & in ſectionem, ſeu hians uulnus, linamentum, aliquo exedente medicamento (cuius generis eſt puluis aſphodelorum) reſperſum, imponito. Porrò tametſi plærique ualde multa admoueãt, quæ poſteà in antidotario recenſebuntur: arſenicum tamen in hac re primatum obtinet, modò quis nouerit eo rectè uti: uſus autem ipſius certus modus deſcribi non poteſt, ut lib. 3. Therap. Galenus annotauit. Proinde non temerè eo utendum eſt. Quandoquidem medicamentum eſt ſupra modum uehemens ac uiolentum, febres excitans, & multa alia praua ſymptomata inducens. Adde quòd minima etiam quantitate adhibitum, mirum, & ferè incredibilem effectum præſtat. Communis tamen eius modus ſeu quantitas eſt, mediocris grani unius frumenti triticei, in corpore quidem robuſto, & particulis à principibus membris longè ſemotis: in debilibus uerò naturis, & locis iuxta principes partes ſitis, minor quantitas admouenda erit. Vt autem in uniuerſum pronuncietur, melius, ac tutius eſt, parùm & ſæpius ex eo offerre, quàm ſemel & uice una quantitatem immodicam. Eius autem operatio, ſeu effectus durat, tres dies integros. Quare toto eo tẽpore, laborans uictum febricitantium ſeruare debet. Membrum uerò affectum, & partes circumiacentes, ad tutelam ſui, & fluxionem (quam immoderatus calor excitare poſſet) prohibendam, unguento quod populeon appellatur, aquâ quoque uel ſucco ſolani, & aceto, aliiſque id genus refrigerantibus illini, ac perfundi debent. Quandò autem certò tibi cõſtabit, glandulam iam corruptam eſſe, atque abſumptam (quod ex duritie & tumore cruſtæ inductæ deprehendes) tunc cruſta à uiuo reſoluẽda erit, admoto ſcilicet butyro loto, & momento farinæ triticeæ inſpiſſato, uel aliquo alio pingui, & unctuoſo non ſalito, ut axungia ſuilla: ubi uerò

Cauſticum ex calce & ſapone.

Arſenicũ.

Quantitas arſenici.

Quãdò cruſta à uiuo reſoluẽda.

uerò cruſta exciderit,ſi quicquam adhuc ex glandula,lupia, aut ſtruma remanſerit,id abſumendũ erit erodente medicamento,ut puluere aſphodelorum,aut unguento Aegyptiaco.At ſi nihil ampliùs ſuperſit, more aliorum ulcerum ad cicatricem perducetur.

6.
Ligatura & euulſio.

VT SEXTI *canonis ſcopum aſſequaris,uinculo ſerico, aut crinibus equinis deligandi ſunt huiuſmodi abſceſſus , qui baſes ſeu radices habent in anguſtum uenientes , atque indies magis ac magis prioribus uinculis,aut nouis adhibitis,ſtringendi,donec ſcilicet reſiccati appareãt, & ſponte ſua (ut de inſertis, ac maioribus uaſis implexis diximus)excidant. Adiuuandum autem erit uinculum aliquo exedente medicamento & deſiccante. Demulcendus quoque erit dolor oui candido liquore, roſaceo,unguento populeo, aut quouis alio doloris mitigatorio. Vbi autem ſponte deciderint funiculi,modo quem ſuprà explicuimus, perſanẽtur. Atque hæc in uniuerſum de abſceſſibus toto genere præter naturã conſiſtentibus,à pituita præſertim ortum ducentibus , dicta ſufficiant. Poſt quæ,non abs re factum putauimus, ſi propriam ac peculiarẽ meliceridum,ſteatωmatum,ac atherωmatum curandi rationem ſubiecerimus, hæc enim & frequentiſsimè noſtris corporibus incidunt, & alias quaſdam ſub ſe tumorum præter naturam ſpecies ſeu differentias,nouis quibuſdam,atque apud ueteres prorſus inauditis nominibus , à næotericis appellatas,complectũtur,ut talpam,teſtudinem,natam, & id genus alia, quæ in præcedentibus à nobis explicata ſunt.*

De curatione atherωmatis,ſteatωmatis, & meliceridis.

IN ijſce tribus abſceſſuum generibus, quæ frequentiſsimè incidunt,ſteatωmate inquam,atherωmate, & meliceride,unum commune curationis conſilium eſt,ut quod tunica illa,quam cyſtim appellant,continet,diſcutiatur,aut medicamentis totum unà cum tunica ipſa exedatur , aut ſectione auferatur . Quidam autem ex ijs tumoribus triplici hac ratione curantur,ij nimirùm qui liquidiorem humorem continent, qualis eſt meliceris:aliqui duplici tantùm,ut atheroma, quod & ſectione tollitur , & medicamentis exeditur . Steatωma uerò nec diſcuti , nec exedi poteſt, ſed ſolâ manus operâ,hoc eſt,ſectione duntaxat,curatur.Porrò medicamentorum,quæ diſcutiendi ac diſſipandi uim habent in huiuſmodi affectibus,materiam, inter hæc quæ de ſtrumis ſuprà edocuimus , reperies. Priuatim uerò,ac propriè meliceridas diſſipat Paulo , quod continet uuas paſſas exemptis acinis uiginti, ſquammæ drachmas quatuor , parte fomentis priùs nutrita imponitur . Aliud emplaſtrum ad meliceridas,

Quot, & quibus modis curentur prædicti abſceſſus.

Curatio p digerẽtia. Lib. 4.

Lib.15. quod ad Leonidam retulit Aëtius: accipit paſſularum detractis uinaceis, libram unam, cumini minutiſsimè triti, uncias ſex, nitri uncias tres: omnia ſimul in mortario ſubacta conficito, & alligato. Aliud eiuſdem diſcuſſorium ad meliceridas: concipit ſalis ammoniaci, ſpumæ argenti, ceruſſæ, ſingulorum lib.1. ceræ, terebinthinæ, chalbanæ, opopanacis, ſingulorum unciam unam: rubricæ ſinopicæ unc.6. aceti heminam, [hoc eſt, unc.7. & ſemiſſem,] ſpumam argenti, ceruſſam, & ſal ad exactum leuorẽ tritum, ſimul decoquito, deinde rubricam priùs ex aceto tritam iniicito, & cum uniueris liquabilia, poſtremò omnibus ſimul confectis, & refrigeratis, opopanacem & chalbanam aceto ſoluta admiſceto, & utere. Cæterùm ſi medicamentis exedentibus, quæ Græci ſeptica uocant, humorẽ in eiuſmodi abſceſsibus abſumere uolueris, eos ſicuti etiam & ſtrumas, medicamẽtis adurentibus cute ſuppoſita priùs denudare expedit: è quorum numero (inquit Paulus) ſimplicius quidem eſt, quod conſtat calce uiua, id eſt, aqua non extincta, ſapone, & cinere lixiuæ ſtillaticio. Aliud uarium magis, quódque reconditum diu ſeruari poteſt: capit calcis uiuæ drach.quatuor, ſphecles, id eſt, feculæ uini combuſtæ, nitri liquidi toſti, ſingulorum drach.duas, minij, ſeu rubricæ ſinopicæ drach.unam, cinere lixiuij ſtillaticio teruntur: ubi ad mellis liquidioris craſsitudinem reducta fuerint, ter feruefacito, ut mediocrem conſiſtentiam habeat, & pixide plumbea reponito, lixiuiam ſuper diſtillans, ne citò nimis exareſcat. Ergo circunfuſam cutem eiuſmodi medicamentis cruſtam inducentibus, primùm abrumpito: poſtquàm uerò cruſta deciderit, exedentia adhibeto. Erodit aũt ualidè citra uellicationẽ & morſum, quod habet ſquammæ æris drachmas quatuor, ſandarachæ [id eſt, arſenici rubri] drach.duas, hellebori nigri tantundem, cum roſaceo utitor. Aliud ad idem ualde efficax: erynaceorum combuſtorum, teſtæ ſepiæ, auripigmenti, ſingulorum æquale pondus, roſaceo miſcentur. Sed quæ adiacent, atq; in ambitu ſunt partes omnes, priùs ceruſſa cum oleo delinito. Verùm enimuerò ſi tales abſceſſus chirurgico conatu, hoc eſt, ſectione, curare uoluerimus, in ea quidem curandi ratione, ſiue pultaceus, ſiue melleus, ſiue adipoſus, ſiue cuiuſdam alterius ſubſtantiæ humor, in eis contentus fuerit: una nobis intentio perpetua eſt, ut ſcilicet tunicam qua humor concluditur, auferamus. Sed dum hoc molimur, impenſo ſtudio cauendum eſt, ut de ſtrumis ſuprà diximus, ne temerè membrana uulneretur, aut dilaceretur, unde humor, qui in ea continebatur effuſus, operationem impediat, & portio ipſius relinquatur. Si enim diſſecta tunica, ac humore profuſo, tumor ſubſederit, difficulter admodùm tunica excoriari curarique poterit. Si uerò

Curatio p exedentia.

Lib.4.

Medicamẽtũ ualide exedens abſq; morſu.

Curatio p chirurgiã.

uerò humoris aliquid relictum ſit, periculum eſt, ne morbus reuiuiſcat, & renaſcatur, quemadmodùm & ſtruma, cùm portio ipſius relicta eſt. Quòd ſi tale quid incidit, meliùs eſt, non conſuere, & exedentibus medicamentis ſuprà poſitis, aut conſimilibus reliquias abſumere. Cæterùm ſi ſteatoma latiore ſit apice, baſi uerò anguſtiſſima, tenuiſſimáque, omiſſis reliquis aliis ſuperuacaneis auxiliis, totum à radice ipſa amputandum eſt. Ita enim (inquit Aëtius) chirurgicum opus expeditiſſimum erit, & ulcus paruiſſimum, planúmque reddetur, & curatio breuiſſimè abſoluetur. Lib 15.

De ſcirrhoſis tumoribus, ex atra bile creatis. Cap. XIIII.

DIximus de tumoribus ex ſanguine, flaua bile, & pituita excitatis, de uerrucis quoque, & iis quos ſeroſus humor, aut flatulentus ſpiritus procreauit: ad hæc, de abſceſſibus qui ex pituitoſa ſubſtantia maximè ortum habent, atque aliis toto genere præter naturam conſiſtentibus. Proinde reliquum eſt, ut de iis tumoribus agamus, quibus atra bilis, ſeu melancholicus ſuccus generationis materiam præſtat, cuiuſmodi ſunt ſcirrhoſi, id eſt, indurati tumores, & canceroſi, quos cancros apoſtemoſos uocant. Itaque ſcirrhi, ſicuti & phlegmones, eryſipelatis, & œdematis, gemina eſt recentioribus chirurgis differentia, uno ſcirrhi nomine comprehenſa, nempe ſcirrhus uerus ſeu legitimus, & non uerus atq; illegitimus. Porrò uerus ſcirrhus ſeu legitimus illis appellatur, qui ex melancholia naturali procreatur. Eſt autẽ melancholia naturalis, boni ſanguinis fex, ac uelut limoſa quædã ſuperfluitas, hoc eſt, craſſior quidam ſanguis, cuius color niger eſt, ſapor uerò acerbus, uel acidus, ut uomentibus eum nõ rarò innoteſcit: in maſſa quidem ſanguinaria (in qua humores uniuerſi continentur) exiſtens, alẽdis partibus melancholicis à natura factus. Scirrhus uerò non legitimus, iuxta næotericorum placita, is eſt, qui ex melancholia non naturali procreatur. Eſt autem melancholia non naturalis, quæ à modò deſcripta naturali degenerat, intra tamen limites ſuæ latitudinis permanens: quos ſi prætergrediatur, non iam ampliùs (inquiunt) melancholia, ſed alius humor dicetur. Verũ melancholia, ſi in uniuerſũ definiatur, humor eſt frigidus, & ſiccus, ex craſſiore (ut ait Guido) ipſius chyli portione ꝓgenitus. Cæterùm, non naturalis melancholiæ quatuor differentiæ communiter ſtatuuntur. Prima eſt, quando humor ipſe melancholicus, qui naturalis dictus eſt, & quotidiè gignitur in corpore dum animal ſanitate fruitur, Scirrhus duplex. Scirrhus legitimus. Melãcholia naturalis. Scirrhus il legitimus. Melancholia non naturalis. Non naturalis melancholiæ 4. differẽtiæ. 1. Bilis atra exquiſitè.

Ex immodicè aſſato ſanguine melancholico, fieri bilem exquiſitè nigram.

in propria ſua eſſentia torretur aduritúrue,& putreſcit, ſitq; bilis atra exquiſitè. Talis enim(ut ait Galenus)ex humore atro ſupramodùm adusto conflatur,habétque ſplendidum aliquid ueluti bitumen,& pix.Hæc autem (uerè inquam atque exquiſitè atra bilis nominata) acida eſt, & in terram effuſa uelut acetum feruet,& ipſam fermenti ritu eleuat,tum omni animanti iniucunda, adeò,ut ne mures quidem ipſi,aut muſcæ eam guſtauerint:non magis quidem,quàm copioſum ſalem, in quo nullum animans uitam peragit,ut mare quod mortuum appellatur,indicat. Porrò tùm gignitur huiuſmodi nigra bilis, cùm ille ueluti ſanguinis limus, (quam melancholiam naturalem diximus) diutiùs moratur in corpore, & neque per aliquem ſenſibilem effluxum, neque occultum excernitur: uerùm tranſmutatur,corrumpitur,& putreſcit. Siquidem (inquit Galenus)hic humor ubi ampliùs incaluerit,aut propter putredinem,aut febrem inflammantem,nigram efficit bilem. Quæ quidẽ frigida eſt,quia terreſtris,ſed tamen caloris non expers, quemadmodùm & cinis,& acetum,apparétque dum per aluum(ut contingit aliquando dyſentericis) excernitur,ſplendidior,ac nigrior ipſo ſanguine craſſiore, & nigriore, quem humorem melancholicum appellamus. Splendet enim ueluti mortui maris bitumen,quod Iudaïcum uocant. Secunda ſpecies,ſeu differẽtia bilis atræ non naturalis eſt,quæ ex aduſtione aliorum humorum naſcitur,ut illa quæ fit ex flaua bile uehementer uſta. Quæ etiammum tantæ eſt malitiæ,ut & terram radat,& eam,more bilis exquiſitè atræ, in altum attollat. Sed & muſcæ ipſam,non ſecùs quàm uerè nigram bilem, refugiunt. Si ſanguis quoque aut pituita in corpore uehementer incaluerint,& exurantur,efficitur etiam melancholicus humor, non naturalis per aduſtionem dictus,ut uoluit Auicennas. Verùm duæ iſtæ poſtremæ ſpecies (quæ ſcilicet per ſanguinis aut pituitæ aſſationem fiunt) Auicennæ mitiores ſunt.Scribit autem Galenus illam bilis atræ ſpeciem,quæ ex flaua bile uehementer aſſata generatur, deteriorem eſſe, quàm ea quæ ex craſſiore ſanguine generationem habet: qui ſubſidenti in dolio uini feculæ aut amurcæ, hoc eſt,feci olei proportione reſpondet. Hæc enim mitior eſt,ſed potiſſimùm,quoties nondùm traxit in animali moram cum aliquo calore abundanti præter naturam. Verùm priuſquàm in exactã atram bilem tranſmutetur,primò in uitellinã,ſecundò in porraceam,tertiò in æruginoſam tranſit. Tertia ſpecies melancholiæ non naturalis eſt,quæ originem ſortitur à lapidoſa quadam concretione,ut cùm ab imperitis medicis uel chirurgis,eryſipelata,& inflammationes(quas Græci phlegmonas uocant) aut quiuis alij tumores ex naturalibus humoribus

Lib.14. Therap.& lib.de atra bile.

Gal.cõ.21. Li.4.aph.

Lib.14. Therap.

2.Bilis atra ex aduſtiõe aliorũ humorum.

Com.29. lib.3.Prædictionum Hippoc.

3.Bilis atra p cõgelationẽ (ut uocant)& indurationẽ.

bus procreati,admotis extrinſecùs præſidijs,nimis uehementer refrigerantur,aſtringuntúrque:uel cum ijſdem tumoribus, ea quæ ualenter nimis trahunt,digeriúntq; medicamenta,adplicantur. Tũc enim toto,quod in eis ſubtiliſsimum erat,diſsipato, id quod reliquum eſt (nempe craſsius)plus iuſto deſiccatum,lapidis duritiem conſequetur, atque in melancholicum humorem uertetur. Quarta melancholiæ non naturalis differentia exurgit,quandò alius humor ipſi melancholiæ naturali permiſcetur. Quod dum fit,dulcoratur, ac miteſcit magis, niſi dum alterutra bilis aduſta,huic commiſcetur. Siquidem tunc uel aceſcit, uel amareſcit, & eroſionis non modicæ particeps efficitur. Ex præcedentibus igitur colligere licet, quatuor tumorum præter naturam differentias naſci ex melancholia,ſeu atribilario humore. Primò nanque ex melancholia naturali(quam quotidiè gigni in ſanis diximus) fit uerus, ac legitimus ſcirrhus, apud Arabes ſephiros nominatus, Græcis uerò σκίῤῥος, & σκληρὸς ὀυκ ἀκριβὴς, hoc eſt, ſcirrhus non exactus, ſeu non exquiſitus, qui tumor quidem eſt prædurus, & doloris expers, non omninò tamen inſenſibilis. Auicennæ impurus appellatur. Galenus tamẽ libro decimoquarto meth. med. tumorem ex humore melancholico conflatum,tunc ꝓpriè ſcirrhum,his qui de nominibus contendunt, condonat eſſe appellandum,cùm omninò ſenſus eſt expers. Cùm uerò nondùm omninò factus eſt inſenſibilis,ſcirrhoſum potiùs tumorem,quàm ſcirrhum(ſi uelint)nominari. Secundò ex melancholia non naturali dicta per admixtionem, tres aliæ tumorum differentiæ enaſcuntur: nempe ſcirrhus phlegmonodes, œdematodes, & eryſipelatodes, quæ pro una tantùm differentia, hîc numerantur. Tertiò ex melancholia non naturali facta per lapidoſam quandam concretionem,generatur σκληρὸς ἀκριβὴς, id eſt, ſcirrhus exquiſitus uel exactus, durus quidem, & omninò ſenſus, atque doloris expers. Ab Auicenna purus nominatus, qui curationem non admittit. Quartò ex melancholia non naturali per deuſtionem omnes cancrorum ſpecies procreantur,tã ulcerati ſcilicet quàm non ulcerati, de quorũ genere eſt ſcirrhus cancroſus nominatus. Itaque ſcirrhus propriè dictus, tumor eſt durus, & indolens; non tamen omninò ſine ſenſu, ab humore melancholico naturali, & minimè corrupto procreatus, ut recentiores definiunt chirurgi.

4. Bilis extra ex admixtione.

Quatuor tumorũ differentias fieri ex melancholia.

1.) Verus ſcirrhus nõ exquiſitus.

2. Scirrhus phlegmonodes. Oedematodes. 3.) Eryſipelatodes. Scirrhus exquiſitus.

4.) Scirrhus cancroſus.

Scirrhus propriè dictus quid?

De cauſis,ſignis,& iudicijs,ſcirrhi legitimi.

CAVSAE ſcirrhi legitimitres.

CAuſæ ſcirrhi,ut & aliorum tumorũ præter naturã, triplices ſunt. Primitiua ſcilicet,ut eſt praua uiuendi ratio,craſſum,& melancholicum ſanguinem generans,coaceruánſque. Antecedens, ut ſuccus melancho-

1.

2.

lancholicus in corpore collectus, à liene (cuius officium est hepar à crasso illo, & lutoso sanguine expurgare) malè attractus, & extra corpus
3. minimè, ut debebat, expulsus. Coniunctæ, humor ipse melancholicus in
NOTAE scirrhi. laborante particula impactus. Signa ipsius scirrhi præsentis, Guidoni sunt, tumor durus, & ualenter renitens, color inter rubrum, & nigrum medius: cuiusmodi color fuscus est. Hunc cùm in corporis partibus sæpe incidat, plærique medicorum (ut Galenus inquit) pelidnon, hoc est, liuidum uocant. Adhæc, si uenas euidentiores membrum laborans habet, exaltatas eas à crasso, & nigriore quodammodò sanguine, cuiusmodi p.
14. meth. med. aluum aliquandò non paucis hepaticorum excernitur, uidere licebit. Sed
Guido notas cancri tribuit scirrho. iam scirrhus impurus, & cancrosus erit. Hæ enim notæ, quas hîc ad scirrhum accommodat Guido, cancri propriè sunt notæ apud Galenum lib. decimoquarto methodi. Non ineptè tamen scirrho adaptari possunt, hoc uno dempto, quòd uenas tumentes, & exaltatas non habet scirrhus, ut cancer, nisi scirrhus fuerit (ut diximus) cancrosus. Quippe non rarò scirrhus in cancrum degenerat, cùm ab eadem fiant materiâ, succo scilicet melancholico. Propriè igitur scirrhi legitimi notæ sunt, tumor durus, pertináxque, ac tactui resistens, in quo & hebes sensus adest. Adde, & aliæ notæ apparent, quæ melancholicum humorem in corpore subesse testantur. Tumores uerè scirrhosi ab initio, & dum adhuc prima ru
IVDICIA. scirrhi. dimenta concipiunt, magna ex parte exigui apparere solent: procedente uerò tempore, paulatim augentur, & maiores fiunt. Ex ijs quidam unum duntaxat membrum occupant. Alij uerò eo membro, quod priùs infestabant, relicto, ad aliud postea transferuntur. Quod dum fit, nomi-
Ferinos. natur tunc uitium ferinos Auicennæ. Præterea huiusmodi tumores melancholici, ut plurimùm si ritè tractentur, resolutione terminantur, nonnunquàm indurata manent, & non rarò in cancrũ (quod pessimum est) degenerant, ac transmutantur.

Veri ac legitimi scirrhi, non tamen exquisiti, & in tophaceam duritiem omninò insensilem concreti, curatio.

Tres ītētiones ī curatiõe scirrhi legitimi ob-
seruãdæ. CAeterùm absolutam induratorum huiusmodi tumorum præter naturam, qui ueri scirrhi, non tamen exquisiti, nominantur, curationẽ
1. tribus intentionibus assequemur. Prima conuenientem uiuendi normam
2. præscribit. Secunda materiam antecedentem, seu præcedentem (id est,
3. quæ parata est, statim morbum efficere) tollendam monet. Tertia coniũctæ (ut uocant) materiæ, & morbum iam committentis uacuationẽ moliendam esse nobis insinuat. Itaque (ut in uniuersum dicatur) uitam eorũ
1. Viuendi ratio. qui scirrho laborant, sobriam, & moderatam, & quæ ad calidum, & humidum

midum declinet, in rebus ſeu (ut dicunt) non naturalibus inſtituito. Ergo alimenta euchyma, id eſt, boni ſucci, & probum ſanguinem generantia exhibeto. Panem igitur triticeum, probè ſubactum, & moderato igne in furno coctum, quique fermenti aliquid habeat, & ſalis quod ſatis eſt, p̃ſcribito. Vinum ſubſtantiâ tenue, & odoratum deligito: craſſum uerò, nigrúmque uitato. Oua ſorbilia, pullos, capos, gallinas, & eorum iura præbeto. Perdices, phaſiani, coturnices, capreoli iuuenes, uituli lactantes, & anniculi ueruecis, laboranti in delitijs ſunto. Ex oleribus, id quod Arabes aſpanar, nos uerò nomine paulùm mutato, ſpinacium dicimus, lactucas item, lupulum, boraginem, & buglo ſſum, atque id genus alia, quæ ſanguinem expurgant, & puriorem reddunt, ne aſpernator. In ſumma, ea omnia, quæ ſanguinem melancholicum ſuapte natura pariunt, fugito. Ea aũt Galeno libro tertio de locis affectis capite ſexto ferè ſunt, caprina, bubuláq; caro, magíſque bircina, & taurina. Sed maximè aſinorum, chamelorúmque carnes. item uulpinæ, caninæque. Leporum quoque, ſed multò magis aprorum. Prætereà limaces, ſi frequens ſit eorum uſus: atque omnes terreſtrium animaliũ carnes ſale condîtæ. Aquatilium quoq; carnes, ut thunni, balenæ, uituli marini, delphini, canis, atque cetaceorum omnium. Ex oleribus autem, braſſica ferè ſola huiuſmodi ſanguinem gignere conſueuit. Quemadmodùm & arborum germina, ubi uel muria, uel oxalme condiuntur. præcipuè lentiſci, terebinthi, rubi, & rubi canini, qui Græcis cynoſbatos appellatur. Leguminum uerò omnium maximè lentes, inter melancholicos cibos numerãtur. Mox panis furfuraceus & qui ex typha, atque uitiatis ſeminibus factus eſt, quorum apud quaſdam nationes uſus, loco frumenti habetur. Prætere à uina craſſa, nigráque aptiſsimâ ſunt, ut ex ipſis melãcholicus humor fiat: præſertim, ſi quis abundè ipſa ingerens, oblata occaſione in multo calore corpus contineat. Vetus denique caſeus, ubi fortè fortunâ in corpore fuerit ſupercalefactus, facilè huiuſcemodi parit humorem. Hæc ex Galeno hactenùs.

Euchyma.

Panis optimus.

Vinum.

Oua.

Carnes.

Olera.

Carnes.

Limaces.

Pisces.

Olera.

ὀξάλμη ſit ex aceto, & ſale.

Legumina.

Panis.

Typha exile eſt tritici, ſpecie ſiligini non diſſimile.

Vinum.

Caſeus.

Cauendum inſuper eſt, à retorridis, aſſis quoque, & frixis uehementer exiccatis. Item ſalitis, acidis, & acribus (ueluti ſunt allia, cepe, piper, ſinapi) & aliis id genus omnibus, quæ ſanguinem adurunt. Vitare etiam oportet iram, mœſticiam, uigilias, ſollicitudines, atque immoderatas exercitationes. Animi tranquillitas, ac lætitia magnoperè eſt expetenda: ſummáque ope nitendum, ut quotidie uenter deiciat. Hactenùs de primo ſcopo. Vt autem quod ſecundus ſcopus nobis proponit, conſequamur, præcipit Auicennas, corpus uniuerſum uacuandum eſſe, tum uenæ ſectione, ſi ſanguis niger admodùm, & craſſus apparuerit: tum medicamento pur-

Sanguinẽ adurentia.

Animi πάθη.

Exercitatio.

Inanitio.

2.

Vacuatio materiæ antecedentis.

to purgante, quod bilem atram exigat: cuiuſmodi ſunt Meſuæ, epithymum, ſenna, polypodium, fumus terræ (qui Græcis capnos uel capnios, & fumaria Latinis appellatur) lupulus, uolubilis. Item caſſia fiſtula, myrobalani Indi, lapis lazuli, qui Græcis cyaneus, Romanis cæruleus dicitur. Diaſene, diacatholicon, biera Ruphi. Hæc enim omnia humores melancholicos p aluũ expurgãt. Sed hæc, quæ ad pharmaceuticen et diæteticen attinent, chirurgi metas excedunt. His igitur medicæ artis pfeſſoribus relictis, ad tertium ſcopum properabimus, quẽ ſanè nos aſſequemur, ſi quod præter naturam in particula eſt, totũ uacuetur. Quæ communis quidem, ac prima indicatio eſt omnium, qui præter naturam conſiſtunt tumorum: in quibus utique adhuc non ſunt geniti pori. Modus aũt uacuationis eius pprius eſt, circa quẽ circumſpectũ, & maximè attentũ eſſe curantem oportet. Siquidem materia eiuſmodi tumorum naturæ tam malignæ eſt, ut in duritiem ueluti lapideam abeat, ſi temerè reſoluatur. Si uerò plus quàm par eſt, eam emollias, periculum ſanè imminet, ne ipſa corrumpatur, & ſcirrhus in cancrum degeneret. Sequendum igitur in hac re Galeni ac Pauli (qui de hac re ante Auicennã ſcripſerunt) conſilium eſt. Nempe ut ſcirrhoſis ipſis affectibus, nullum uehementer excalfaciens ſiccánſque medicamentum adplicetur. Nullum item quod duntaxat emolliendi, atque humectandi uim obtineat. Quod enim (inquit Galenus libro ſecundo ad Glauconem) ſuperfluum humorẽ habet, nihil omninò diſſoluit: quod uerò minimum, plus quàm oportet, exiccat. Hinc non omnino abſurdè præcipiebat Auicennas, alternatis uicibus ad hos induratos tumores, modò emollientibus, modò digerentibus per halitum, utendum eſſe. Verùm quoniam id & tædioſum, & factu, ut oportet, perdifficilè eſt, ſatius ac tutius Galeno uiſum eſt, medicamentis mixtam facultatem habentibus, ad horum curationem utendum eſſe. Eodem enim tempore, quod induratum eſt molliemus, & ſenſim per halitum digeremus. Illis tamen ab initio, aliquid quod modicè reprimat, erit admiſcendum. Porrò ad hanc intentionem Auicennas quamplurimas remediorum formulas inſtituit: uerùm quoniam ea magis dicata ſunt ſcirrhis ex phlegmone, aut eryſipelate impendio refrigeratis (ut in ſequenti capite oſtendemus) procreatis, illis relictis, aſſume medicamentum à Raſe libro ſeptimo ad Almanſorem deſcriptum: facta tamen priùs ab initio aliquali influentium humorum (domeſticis quibuſdam repellentibus admotis) repreſſione. Razis autem medicamentũ ad hunc modum habet: Accipe bdellij, ammoniaci, galbani, ſingulorum partes æquales, terantur in mortario, cum oleo de ben (quod Græci balanum

3. Vacuatio materiæ coniunctæ.

Materia ſcirrhorum cauté tractanda.

Galenus.

Medicamẽta ſcirrhis accõmoda.

Raſis medicamentũ ad ſcirrhos emollientes et diſcutiendos.

lanum myrepſicen, Latini glandem unguentariam uocant) aut de lilio. „
Deinde ſume mucilaginum fœnigræci, ſeminis lini, & ficuum, pondus o- „
mnium prædictorum: terantur omnia ſimul, donec in unum coëant, & fi- „
at emplaſtrum. Galenus ad eam rem magnoperè commendat corticem *Galeni cataplaſma 14. Thera.*
radicis altheæ (quam, inquit, uulgus anadendromalachen, quaſi dicas, ar-
boreſcentem maluam uocat) anſerino, uel gallinaceo adipe liquatam, &
cum eo contuſam, atque in cataplaſmatis formam redactam. Quòd ſi *Si ſcirrhus ad ſuppurationem ſpectet.*
tumor ad ſuppurationem ſpectet, ſummoperè cauendum eſt, ne particu-
la laborans calorificis auxilijs, aut quouis alio modo irritetur. Ita enim
facilè cancer accerſeretur. Si uerò aperiatur tumor, materia iam in pus
conuerſa, ab uſu unguenti, quod diachylon nominatur, minimè tibi diſce-
dendum fuerit. At ſi in lapideam duritiem degenerauerit, ad ea auxi-
lia, quæ ſequenti capite deſcribentur, erit recurrendum.

De ſcirrho illegitimo non exquiſito, ex vehementi refrigeratione, aut exiccatione originem ſortito.

Scirrhus illegitimus quo modo generetur.

QVandò medicorum imperitia, inflammationes (quas Græci phleg-
monas appellant) aut eryſipelata impendio refrigerantur, & ad-
ſtringuntur, aut admotis medicamentis, uehementer trahentibus, &
per halitum digerentibus, temerè reſoluuntur, tunc totum id quod
in eis tenue magis, ac ſubtile erat, diſſoluitur, diſſipatúrque: quod
uerò reliquum eſt, uelut congelatur, atque impenſius reſiccatum, lapide-
am duritiem aſſequitur, ſitque tandem affectus, qui Græcis ſcirrhωſis
uocatur. Cæterùm contingit quandoque particulam aliquam indurari *Duritiei 1.) particularis cauſæ.*
propter tenſionem, quam ſuſtinet ex flatibus, aut humore quopiam aquo-
ſo, ut ſuprà dictum eſt, dum de tumoribus flatuoſis & aquoſis ageretur.
Nonnunquàm & topbacea durities in particulis quibuſdam oboritur, 2.
propter priuationem humiditatis, & nimiam deſiccationem, ut in duri-
tia iunctu rarum, & pωris in articularijs morbis, ac doloribus, procre-
atis. Verùm enimuerò hîc duntaxat agemus de ſcirrhis, ſeu induratis
tumoribus, qui ex phlegmone, aut eryſipelate, paulò antè commemora- 3.
to, ortum traxerunt, aut etiam ex œdemate impendio refrigerato, &
adſtricto. Atque eos non abſurdè ſcirrhos ex coïncidentia procreatos
nominauerimus.

De ſignis & iudiciis ſcirrhi non legitimi, ac non prorſus exquiſiti, ex coincidentia creati.

Scirrhi illegitimi, et non exquiſiti notæ.

SCirrhi non ueri ſeu illegitimi, & non omninò exacti, notæ ſunt, tu-
mor durus, uix ſenſibilis, id eſt, quaſi ſenſus, & doloris expers, cor-

IVDICIA. 1. poris colorem ad unguem repræſentans, ex melancholia non naturali ortum ducens. Hic nec prorſus incurabilis eſt, nec facilem ſanè curationem admittit. Siquidem humor, unde huiuſmodi uitium contrahitur, lentus ſeu glutinoſus, craſſúſque eſt, aut (ut Galenus ait) utriuſque rationis particeps, qui particulis induratis infartus, ſolui cõtumaciter repugnat. Vbi præſertim reſoluta ex ipſo ſubtiliori humiditate, quod reliquum eſt, exiccatum lapidoſúmque efficitur. Scirrhus uerò exquiſitus, & qui omninò ſenſu uacat, curationem non recipit. Si tamen aliquo modo iuuari poſſit, humectandi ratione id præſtari debet. Duritiei quoque ex nimia exiccatione, & maraſmo, hoc eſt, conſummata prorſus ſiccitate, inſanabilis eſt: ſatis enim eſt probibere, ne ultrà ſiccitas procedat. Sed & ſcirrhi in quibus pili enaſcuntur, quíque magni ſunt, ac uehementer duri, & corporis colorem referunt: nec ſanantur, nec unquàm permutãtur, ut ſcriptum reliquit Auicennas.

2. Scirrhꝰ exquiſitus (3. curationẽ non admittit. Scirrhi īsanabiles.

Curatio ſcirrhi illegitimi, & non exquiſiti.

Summa curandorum ſcirrhorũ.

CVrandi uerò eius communis indicatio eſt, ut quod præter naturam in particula eſt, totum uacuetur. Modus tamen uacuationis eius ꝓprius eſt, ut libro decimoquarto meth. Galenus annotauit. Nam detergere (inquit) id quod contumaciter inhæret, oportebit. Quòd ſi quis ijs quæ uehementer trahunt, digerúntque, medicamentis uacuare tentet, nec ijs quæ excalfaciant, & humectent, molliat, ac liquet: huic paucis primis diebus egregiè proceſsiſſe curatio uidebitur. Scirrhus enim manifeſtò decreuiſſe apparebit. Cæterùm quod de affectu reſtabit, id inſanabile erit: ſiquidem toto, quod in eo tenuium partium erat, digeſto diſſipatóue, quod reliquum eſt, ueluti lapidoſa concretio linquitur. Hac igitur de cauſa ad ſcirrhoſos affectus nullum uehementer excalfaciens, ſiccánſue medicamentum idoneum eſt. Sed ea tantùm, quæ cum molliendo, hoc eſt, præter quod molliant, digerere etiam commodè poſſunt. Cuiuſmodi ſunt, tum ceruina medulla, tum uitulina, tum ſeuum hirſinum, taurinum, pardale, & leoninum. Ex adipibus uolucrum commendatur imprimis anſerina, quam proximè ſequitur gallinacea, & phaſianica. Adhæc, ammoniacum thymiama, id eſt, ſuffimẽ, galbanum, & bdellium utrunque, magíſque Scythicum, quanto uidelicet eſt humentius. Styrax quoque qui humentior eſt, & pinguis. Radix etiam altheæ, quam uulgi more anadẽdromalachen, id eſt, arboreſcentem, ſiue arboream maluam, (quòd altè à terra erigatur, & in hortis conſita, arboreſcat) Galenus appellauit: & ſyluẽſtris maluæ, quæ paſſim naſcitur, folia, modicè antè deco-

Medullæ. Seua. Adipes.

Gale. 14. meth. med. Anadendro malache.

decocta,cum anſerino adipe,aut gallinaceo,uel ſi horum facultas non ſit, ſuillo contuſa,ad hanc intentionem apprimè ſunt idonea. Prohibet autẽ Auicennas axungias ſalitas: & prædictis addit maſtichen,ladanum,œſipum humidam, ſtrygmenta gymnaſiorum, quæ ſordities balneorum Strigmẽta gymnaſiorum.
appellant,ſtercus aſininum,& feces oleorum de lilio,de alchanna, quod cyprinum uocant,& de cherua, quod Græcis κίκινον, Latinis uerò ricininum dicitur. Cæterùm curatio quæ per acetum adminiſtratur, utilis eſt huic uitio,hoc eſt,ſcirrho iam adulto,& cum præparata iam ſub mollientibus pars fuerit, ut etiam Galenus annotauit. Siquidem(inquit)aceti uis, modò ea quis modicè & debito tempore utatur, ſalutaris eiuſmodi affectibus eſt,ſeu craſſos humores diſſecans, ac reſoluens. Sin uel immoderatius, uel in tempore non idoneo, tenuiores partes uiolẽter abſumens,id quod reliquum eſt,lapideſcere ſinit. Sed & ſi quis eo diutiùs utatur,ſubſtantiam ipſam neruorum delibauerit. Ob id igitur nec ſæpe ac inter initia,nec longo tempore,medicamentis quæ ex aceto componũtur,ad ligamenta & tendones eſt utendum. Eam ob rem Galenus Cercilij puerum,cui ex eryſipelate nimis infrigidato, & uehementer adſtricto,tumor durus,ac ſcirrhoſus in toto femore relictus fuerat, ita curabat. Imprimis femur perfudit oleo ſabino,quod omnium eſt tenuiſſimũ: Oleũ ſabinum. Lib.2.ad Glau.
cuius loco hodie utuntur oleo ſambacino, quod uulgus iaſminum uocat. Poſtquàm uerò partem ſic fouiſſet, ammoniacum thymiama,hoc eſt,ſuffimentum,quod pingue,& non uetuſtum eſſet, prædictis medullis, & adipibus remixtum adhibuit. Poſt hæc ammoniaco pinguiſſimo, aceto acerrimo diſſoluto,circumleuit totum femur,iuſſitq; puerum altero crure ſalire, quò plus in id alimenti ferretur. Itaque re.axantibus, quæ mollioré tumorẽ reddebant,& digerentibus,ſeu reſoluentibus ita uiciſſim, ac moderatè utendo,puerum curauit. Verùm in tendonibus,& ligamẽtis ſcirrho obductis, aceto ex Galeni conſilio ad hunc modum utendum eſt. Lapis igni candens,aceto acerrimo extinguendus eſt: & ſi quidem haberi poteſt,pyrites: ſin eius copia non eſt,molaris, quem Græci mylitem uocant. Deinde aſcendente poſt infuſum lapidi acetum uapore calido, in hoc pars affecta commoueri debet, ut uaporem aſcendentem recipiat,à quo ſcirrhus diſſoluatur: atque exinde rurſus medicamen quod emolliat,imponendum. Oleo tamen,non aqua quotidie ab initio omninò laborans particula perfundenda eſt. Eſto autem id oleum haudquaquam adſtringens,ſed planè tenuium partium,cuiuſmodi ſabinum eſt. Interdùm autem incoquenda oleo eſt, altheæ radix, ac ſylueſtris cucumeris, & ſi qua eſt eius generis alia. Sanè plurimi hac curationis ratione pau-

De aceti uſu in uarijs ſcirrhoſis partibus.

Oleum ricininũ. 14.meth. medẽdi.

Tendonum & ligamẽtorũ ſcirrhoſorũ curatio exGalen.et Paul. Lib.14. Therap. & 2. ad Glauc.

Pyrites lapis.

Lapis mylites.

2.ad Glau. *co tempore perfectè ſanati ſunt, adeò ut multis ferè (inquit Galenus) magicũ opus uideretur.* Ex *his igitur conſtat, curationi quæ per mollientia fit, tum in tendonibus, tum in ligamentis, cùm ſcirrhoſæ fuerint, aliquid incidentium debere admiſceri.* Ex *quorum numero uel imprimis acetum*
Lib.6. *eſt.* De *medicamentis autem, quæ uim molliendi durities obtinent, diffuſiùs alibi tractabimus.*

Capita curationis ſcirrhoſorum tumorum.

1. SCirrhum, *qui reſoluta, atq; abſumpta humiditate, in tophaceam duritiem cõcreuit, ſenſúque omninò caret, cuiuſmodi eſt, quem exquiſitum Galenus uocat, tanquàm immedicabilem curare ne aggreditor.*

2. *Scirrho non exquiſito (qui non ſine ſenſu quidem omninò eſt, ſed ægrè admodùm ſentit) medicamenta, quæ tepido calore, ac mediocri humore prædita ſunt, hoc eſt, quæ emolliendo moderatè digerant, adhibeto.*

3. *Vehementer digerentia, atque immodicè exiccantia partibus ſcirrho laborantibus, ne unquàm admoueto. ijs enim ſubtilior humiditas reſoluitur, quod uerò reliquum eſt, exiccatum lapidoſúmque efficitur.*

4. *In duris ac denſis partibus ſcirrho obſeſſis, cuiuſmodi ſunt tendones, atque alijs etiam in locis, ſi affectus iam inueteratus eſt: medicamẽta quæ diſſecent, atque incîdant, cuius generis eſt acetum, emollientibus, & moderatè digerentibus miſceto.*

5. *Scirrhoſam quoque partem hanc, duram ac denſam, & quamuis aliam diuturno ſcirrho affectam, ſuper uaporem calidum, quem molaris lapis, id eſt, quo frumentum molimus, igni candens, acerrimo aceto perfuſus, emittit: collocari, ſubindéque uerſari iubeto.*

6. *Quotidie etiam oleo aliquo tenuium partium, in quo cucumeris ſylueſtris, aut altheæ radix, aut anethum uiride, & recens, aut id genus aliud incoctum fuerit, affectam partem perfundito.*

7. *Eiuſmodi deſiccantia, incidẽtia, ac craſſos humores reſoluentia, modicè, id eſt, non ſæpe, nec longo tempore, atque oportunè, hoc eſt, non inter morbi initia, & interpoſito remollientium uſu, prædictis ſcirrhoſis partibus admoueto.*

8. *In ſumma, ſcirrhos omnes, qui nondum callum contraxerunt, medicamentis, quæ commodè digerendo emolliunt, curato.*

9. *Scirrhoſi lienis, atque etiam iecinoris curationem, medicorum prudentiæ committito.*

De

De canceroſo tumore,quem vulgò cancrum apoſtematoſum vocant. Cap. XV.

CAncri nomen medicis, & chirurgis æquiuocum eſt, eius .n. ſignificatio ad duo morborum genera extenditur. Nempe ad cancroſum tumorem (quem uulgò cancrum apoſtemoſum uocant) tam euidentem,hoc eſt, in ſumma corporis parte hærentem,quàm abſconditum,hoc eſt,in penitioribus, & latentibus corporis partibus,ut in ſede,palato,aut ſinu muliebri conditum, & ad cancrũ ulceratum. Porrò uterque affectus gignitur ex atra bile, ſeu melancholico humore, hoc eſt, eiuſmodi naturæ ſucco, cuiuſmodi eſt fex in uino, & amurca in oleo,ut decimoquarto Therapeutices, & libello de tumoribus præter naturam,Galenus teſtatum reliquit. Vbi autem mitior fuerit humor huiuſmodi melancholicus,latentem,ſeu occultum ut appellant, cancrum,ſine ulcere progignit. Si uerò acrior maligniórque contingat, cutim erodit,& cancrum facit cum ulcere, de quo in ſequentibus dicemus, quandò ſcilicet de ulceribus agemus. Hîc autem ſolùm ſermonem faciemus de cancro non abdito,id eſt,in extimis partibus conſtituto, & nondùm exulcerato, qui & ipſe quandoque occultus Galeno dicitur. Eſt igitur cancer quo de hîc agitur, tumor durus, inæqualis, rotundus, uenoſus,id eſt,uenas habens in circuitu turgidas,& exaltatas, liueſcẽs, ſiue fuſcus,& (ut Paulus ait) colore magis,quàm inflammationes,nigricans:calidus,ſed non adeò,ut inflammationes: ſubitò accreſcens, ægros maximè fatigans, & perpetuo ferè dolore affligens, Græcè καρκῖνος & καρκίνωμα dicitur. Hanc autem appellationem huic morbo indiderunt tã Græci, quàm Latini, à cancro aquatico animali, quoniam circa hunc implentur & intenduntur uenæ,cancrorum pedibus, à glomere illo corporis deſcendentibus,perſimiles. Nonnulli uerò inde ſic nuncuparunt,quod difficillimè ab his partibus, quas obſederit, euellatur, quẽadmodùm cancer aquaticus animans. Hic enim loco, quem ſemel apprehenderit, pertinaciter hæret. Adde quòd & hic tumor cancri animalis colorem repræſentat,nempe ſubnigrum. Cæterùm prima cancri iſtiuſmodi rudimenta,tam confuſa interdùm exiguáque ſunt,ut uulgus ipſum latere poſſint: uix enim dum adhuc incipit,ciceris, aut fabæ magnitudinẽ æquat. Quare nihil miri eſt (inquit Galenus) ſi uulgus tunc lateat,nõ ſecus profectò q̃ ſtirpes,quæ è terra iam exeunt:quandò hæ quoq; peritis tantùm agricolis,agnoſcũtur. Poſteà uerò in tantam molẽ attollitur, támque

Cancri nomen ad duo 1.) morborũ genera extenditur.

2.) Cancer ex quo humore gignatur.

Cãcer ſine ulcere. Cancer cũ ulcere.

Canceroſi tumoris deſcriptio.

Quare cãcri nomen hoc uitiũ ſibi adoptarit.

Cancri notæ p initia cõfuſæ atque obſcuræ.

Lib.14. Therapeu.

támq; uehementia,& magna,& cũctis euidentia adfert ſympt⁊mata,ut ne puerum quidem clam ſint. Itaque tunc nemo de appellatione ambigit, ſed nominant uno aſſenſu omnes eiuſmodi affectum,cancrum: quoniam (ut dixim⁹)uenæ in hoc morbo ex utraq; parte intumeſcũt,diſtendun túrque,ac figuram omninò ſimilem cancro repræſentant.

Signa & iudicia cancri euidentis,& non vlcerati.

NOTAE *cancri euidentis non ulcerati.*

CAncroſus tumor (ut ſuperiùs dictum eſt) duritiam habet, & inæqualitatem,quæ tactu facilè deprehenditur. Colorem præſefert liuidum, ſiue fuſcum, qui inter rubrum,& nigrum medius eſt, Græci pelidnon uocãt. Circa locum cancro affectum,aliqua quaſi puncta ſentiuntur: interdùm etiam torpet Celſo. Venas oſtendit in circuitu tumentes, & exaltatas,cancri animantis pedum modo. Nonnunquàm etiam in quibuſdam deliteſcunt. Tactúſque is locus,alijs dolorem adfert,in alijs eum non habet. Renixus quoque huic tumori ualens eſt Galeno decimoquarto Therapeutices. Adhæc, extraneam quandam caliditatem habet.

IVDICIA. *Cancer,ſeu carcin⁊ma à toto genere morbus eſt grauis,& pernicioſus.*

1. *Vix enim unquàm propter ſucci craſſitiem conſaneſcit, utpote quòd nec repelli,nec diſcuti q̃at,nec totius corporis purgatione cedat. Sed & tãta eius uitij eſt malignitas,ut mitiora planè contemnat remedia, illíſque(ut dici ſolet)medium unguem porrigat: uehementioribus uerò, ueluti crabro irritetur,excandeſcátque,atque efferetur. Id uitium in qualibet corporis parte oriri conſueuit,ſed maximè(ut Celſus ait) in partibus ſuperioribus circa faciem,nares,aures, labra, & mammas fœminarum, atque earum præcipuè,quæ à natura purgationem menſtruorum non habent. Sed & uiris plærunque accedunt cancri, quibus aſſuetæ per mariſcas purgationes ſuppreſſæ ſunt: per has enim turbidus, ac craſſior ſanguis(unde prima uitium hoc rudimenta accipit) expurgari à natura conſueuit. Porrò cùm humor ipſe melancholicus fæci uinariæ proportione reſpondens,in particulam aliquam defluit,ibique impactus manet: interdùm uarices facit,aliquandò uerò cancrum,utpote cùm ipſe deferbuerit. Cùm uerò ad cutim uniuerſam expellitur, fit is morbus, quem elephantem nominant, ut libro ſecundo ad Glauconem Galenus annotauit. Eſt itaque cancer particularis quædam elephantiaſis, quam uulgus malè lepram appellitat. Quantò autẽ ſanguis ex quo ortum habet cancer,craſſior fuerit,ac nigrior, tantò (inquit Galenus) deterior paſſio erit. Cancer autem iam confirmatus(ut dicitur)atque inueteratus,curationem non admittit, niſi radicitùs extirpetur, aut per ſectionem ſili-*

2. Lib. 5. Galenus. lib. 2. ad Glauc.

3.

4.

5.

6.

cet

cet,aut per uſtionem: uerùm qui in penitioribus corporis partibus conſtituti ſunt cancri,talem curationem non deſyderant, ut ſequente aphoriſmo nos edocuit ſenior ille, medicorum facilè princeps Hippocrates, inquiens: Cancros occultos omnes meliùs eſt non curare: curati enim citiùs pereunt: non curati uerò, longius tempus perdurant. Experientia nanque(ut in commentario huius aphoriſmi Galenus teſtatur)compertum eſt, omnes qui huiuſmodi cancros ſectione,aut uſtione curare tentarunt,illos magis irritaſſe, & breui homines interemiſſe. Soli itaque cãcri illi curationem huiuſmodi admittunt Galeno, qui in ſumma corporis parte hærent, quique exulcerati ſunt,& adeò laborantes fatigant,ut ipſi ultrò chirurgi manum efflagitent: & ſimul in talibus partibus conſiſtant,quas reſecare,& exurere unà cum radicibus poßis. Voco autem radices cancri cum Galeno eas, quæ plenæ ſunt ſanguine melancholico, uenas,& undique uerſum ad loca circũſtantia extenduntur. Cæterùm ex cancro non ulcerato,non rarò fit ulceratus, putreſcente ſcilicet ſpacio temporis humore, in uaſis deliteſcente, uel irritato à medicamentis inconſultè admotis, affectu. Hunc autem exulceratum cancrum peßimũ eſſe,iudicant omnes,& ueræ curationi(quæ omnia molitur,& agit, ut laborans particula ad ſanitatem perducatur) prorſus ineptum. Hic enim ad perfectam atque abſolutam ſui curationem,mordentia,aſpera, ac uehementia deſyderaret medicamenta. Atqui (ut diximus) talibus magis irritatur,efferatúrque,tantùm abeſt,ut ſub ijs uel miteſcat,uel cõſaneſcat. Proinde ſatis fuerit,ſi cancros non ulceratos, etiamnum ſumma corporis occupantes,præſertim maiores,& iam inueteratos,probibeamus augeri, à perfecta quidem curatione manum ſubtrahentes. Quod & ſuperiore aphoriſmo nos commonuit Hippocrates. Cancros enim eos,qui ſine exulceratione fatigant,etiam (Galeno autore) occultos nominauit. In quibus ſanè exulcerationem minantur, uehemens caliditas,& pulſatio.

Aph.38. lib.6.

8.) *Qui cãcri radicitùs tolli debeãt,& qui non.*

Radices cancri.

9.

Cancer ex ulceratus peßimus affectus.

10.

Quæ notæ i cãcro futurã exulcerationem portendant.

11.)

Curatio cancri non exulcerati adhuc incipientis, & nondùm inueterati,ſumma corporis occupantis.

Triplex curãdo cãcro ſcopus proponitur.

1.

2.

3.

CVratio *cancri non exulcerati,& adhuc recentis,tres habet ſcopos præcipuos. Primus eſt, humoris melancholici generationem prohibere. Secundus eſt,ſuccum melancholicum per totum corpus diſperſum uacuare. Tertius,humorem, qui locum affectum occupat,uel regerendũ, uel digerendum omninò: adhæc,particulæ laboranti robur adferendum eſſe inſinuat.*

1. PRIMVS ſcopus, ſeu prima intentio, quæ eſt, probibere, ſi fieri poteſt, ne de cætero ſuccus melancholicus in uenis colligatur, perficitur ea uiuendi ratione ad unguem obſeruata, quæ ſuprà in capite de ſcirrho legitimo nominato præſcripta eſt. Id autem inter cætera maximè ac p̃cipuè obſeruandum eſt, ut ijs qui hoc affectu laborant, ea alimenta offerantur, quæ refrigerandi, atque humectandi uim ſortita ſunt: quæque probum ac tenuem ſuccum in corpus ingeſta, generant. Cuiuſmodi ſunt, cremor hordei, piſces ſaxatiles, omnis generis aues, præterquàm paluſtres: ouorum, ſed maximè ſorbilium (quæ Græci ἐόφητα uocant) lutea, & quæ eius generis ſunt alia. Quòd ſi caliditas effatu digna, citra febrem tamen in particula laborante adfuerit, lac bubulum, à quo butyrũ fuerit extractum, uel ſerum lactis tutò offerri poteſt. Sed & olera, quæ refrigerantis, atque humectantis naturæ ſunt, ueluti malua, atriplex, blitum, & quandò tempus tulerit, cucurbita, item citrulli, & borago, illis in cibum permittuntur.

Primus ſcopus.

Victus ratio tenuis ſit, bonique ſucci.

2. SECVNDVS ſcopus qui eſt, totum corpus ab humore melancholico, unde uitium hoc originem traxit, repurgare, completur purgantibus medicamentis uacuandæ atræ bili accommodis, in capite de ſcirrho ſuperiùs enumeratis. Inter quæ (quod ad rem præſentem attinet) principatum obtinet epithymum (quod Romani inuolucrum uocant) pondo drachmarum quatuor, in ſero lactis mulſáue exhibitum, ut Galenus p̃cepit libro decimoquarto methodi medendi. Ea autem quantitas epithymi, uel paulò maior, tertio quoque die offerenda eſt, ut ſcilicet melancholicus humor, qui in uenis collectus eſt, & cancro generationem dedit, ſic ſenſim atque ex interuallo uacuetur. Quandoquidem uniuerſum ſimul euacuare uix datur. Sed nec ſemper probibere poſſumus, ne deinceps eiuſmodi ſuccus in corpore generetur, & in uenis colligatur. Itaque materiæ eiuſmodi antecedentis purgatio, ſic per initia quidem ſimplicium aliquo, per uices molienda eſt. Deinde (ſi res ita expoſtulet, & ſimplicium exhibitione parum proficitur) compoſitorum aliquo, cuiuſmodi eſt Galeni medicamentum atræ bilis uacuandæ dicatum, quod ex duobus & triginta ſimplicibus eſt compoſitum, uel hiera Ruffi, & Auicennæ, quæ nigrum ueratrum recipit. Nec ab ijs quidem ita repetitis purgationibus priùs deſiſtendum eſt, quàm totus ille ſuccus melancholicus in uenis collectus eductus fuerit, & pars tumore huiuſmodi cancroſo obſeſſa ad naturalem ſtatum omninò ſit reducta. Quòd ſi nihil obſtiterit, hoc eſt, ſi ætas, & uires permiſerint, nõ inutile etiam fuerit in cancris ipſis ſanguinem mittere, demum (ut dictum eſt) purgare: & ſi fuerint

Secundus ſcopus.

Humoris melãcholici uacuatio Epithymũ.

Senſim ac blandè non ſemel, atque affatim purgandũ in cancro.

Hiera Ruffi.

Hiera Auicennæ.

Sanguinis miſſio.

fuerint mulieres,menſtrua euocare, ſiquidem nondum quinquageſimum annum attigerint,ut libro ſecundo ad Glauconem Galenus nos admonuit. Hæc *ſecunda indicatio omnium prima eſt* Galeno, *quæ uerò primo loco poſita eſt,ſecundum ordinem ſibi iure uendicat. Communis namq; (inquit)indicatio curationis in cancro eſt,humorem,unde uitium eſt natum, ilico uacuare: mox uerò prohibere, potiſsimùm ſi fieri poteſt, ne de cætero eiuſmodi ſuccus melancholicus in uenis colligatur. Sin id fieri nequit, ſaltem eum omninò ex interuallis uacuare, & ſimul particulam firmare,ne quid humorum redundantiæ ad eam confluat.* Lib.14. meth.med.

TERTIA *igitur indicatio(quæ omnibus eiuſmodi affectibus ex fluxione creatis,communis eſt) nobis inſinuat humorem,qui in particulam affectam procubuit,uel regerendum eſſe, uel digerendum omninò: adhæc particulam firmandam eſſe, ne quid humorum redundantiæ, ad eam confluat.* 3. Tertius ſcopus.

Porrò repellendi quod influxit tempus accommodum erit,in principio quidem,tam in ipſo purgationis tempore,quàm antè. Vbi uerò iam totum corpus exquiſitè purgaueris, tunc digerendi dabitur occaſio. Verùm ſi mediocris tantùm purgatio præceſſit, mixtam habere facultatem quod applicabitur medicamentum conueniet,reprimẽtem ſcilicet,& digerentem. Sanè,ut has intentiones ritè aſſequaris,deligenda tibi erunt medicamenta, quæ uiribus quidem ſunt mediocria, qualitate uerò minimè mordentia. Talia enim huiuſmodi affectibus ſolùm ſunt idonea. Nam quæ imbecillas uires habent(ut Galenus ait)nullum operæprecium efficiunt, ſed uincuntur. Quæ uerò ualentiore ſunt facultate,uehemẽter quidem tenuiores,quæ in uenis ſunt,ſanguinis partes,uel digerunt,uel retrudunt:craſſas uerò & melancholicas,quas fæci priùs aſſimilauimus, nec euocant, nec reprimunt: quin potiùs eas ad ſoluendum ac diſcutiendum contumaces reddũt. Ad ſanandos igitur incipientes cancros,mediocrium uirium medicamentis eſt opus, quæ ſcilicet nec propter imbecillitatem uincantur, nec propter effectus uehemẽtiam, ualenter ſanguinem incraſſare ualeant. Adhæc item(ut dictũ eſt) quæ omninò haud mordeant. Quandoquidem uitij malignitas ab ijs quæ mordent,irritatur,ac (ut dici ſolet) efferatur. Cæterùm cùm materia ex qua ortum habent cancri,magna ex parte craſſa ſit,repulſioni, ac etiam reſolutioni contumax,ſiue inobediens, multæque malignitatis particeps, ſat fecerimus (ubi ſaltem periculum ex chirurgia timuerimus, nec curari affectus aliter poſsit) ſi uſu præcedentium medicamentorum,ex uſtis eloriſque metallicis(ut Galenus conſulit) acceptorum, ipſos augeri prohibeamus, & præſertim ſi maiores fuerint: aut iuxta Quid in principio, & ſimul ipſo purgationis tẽpore agendũ. Quod aptũ medicamẽtũ eam cris. Lib.14. Therap.

Auicennæ

Succus ſolani. Diapõpholygos. Diapheniã ſeu diapalma. Vnguẽtũ Diapompholygos Theodorici.

Appollonij medicamẽtũ. Henuna capitun-cias 7. et ſemiſſem.

Plumbi uis mirabilis ī cācroſis tumoribus.

Paulus lib. 4. ex Archigene.

Chirurgia in cancris temerè non adhibẽda.

Auicennæ ſententiam,eos ab ulceratione uindicemus. Ad quas intentiones libro ſecũdo ad Glau. ſuccum ſolani, & medicamen ex pompholyge conſtãs,aut quod ex chalcite fit (diapalma uulgò appellatur)magnoperè Gal. cõmẽdauit. Proindè & Theodoricus ad eam rẽ unguentũ inſtituit diapompholygos nominatum, quod eidem recipit olei roſarum, ceræ al bæ ana uncias quinq;, ſucci granorum rubrorum,ſolani uncias quatuor, ceruſſæ lotæ,uncias duas, plumbi uſti,& loti,pompholygos (quæ tutbia uulgò dicitur) ana unciã unã, thuris unciã ſemis. Refert quoq; Galenus libro primo,περὶ συνθέσεως τῶν φαρμακῶν κατὰ τόπους,id eſt,de compoſitione pharmacorum ſecundum loca, qui myamir ueteri interpreti inſcriptus eſt,unguentum quoddam ex Appolonio,ad manantia capitis ulcera, quæ Græci achoras uocant,inſtitutum: quod ad eiuſmodi cancroſos tumores adprimè utile eſſe adfirmat. Recipit autem olei[uel roſacei, uel omphacini,id eſt immaturi] beminam, quæ Græcis cotyle dicitur, quod in pilam plumbeam infuſum tantiſper [ſub ſole] cochleario etiam plumbeo agitari debet, aut piſtillo plumbeo teri, donec craſſeſcat, nigreſcátque,adeò,ut plumbi colorem referat. Deinde ſeorſum cõterito,lithargyri libram unam,ceruſæ tantundem,& cum oleo commiſceto, ac fiat unguentum. Porrò quantum ualeat facultas plumbi, præſertim combuſti, & eloti in omnibus cancroſis diſpoſitionibus, ſatis ſupérque nouerunt omnes, qui de hac re periculum aliquandò fecerunt, & qui attentè legerunt,quæ ſcribit Galenus de plũbo (quod molybdos Græcè eidem dicitur)libro nono de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Ad eandem morboſam diſpoſitionem laudarunt Paulus & Auicennas emplaſtrũ ex cancris fluuiatilibus, præſertim ſi parem modum cadmiæ receperit. Cancrorum igitur fluuiatilium crematorum,& cadmiæ par modus in pollinẽ coactus inſpergitur, aut cancrorum cinis unà cum cerato inſpergitur. Sed & idem Auicẽnas iubet minutos cancros,in quibus locis apprehendi poſſunt,radicitùs eſſe extirpandos,excidendóſue: facta uerò exciſione,huiuſmodi craſſiorem ſanguinem circumquaque exprimendum eſſe,deinde cauterio locum eſſe adurendum. Hoc enim reliquias materiæ diſſipat,& abſumit,membrum roborat, & hæmorrhagiam prohibet. Galenus etiam ante Auicennam cancros interdũ per chirurgiam extirpandos eſſe permiſit, libro decimoquarto methodi medendi, ut de cancro ulcerato poſteà dicemus. Verùm enimuerò, tametſi curationem hanc,quæ per chirurgiam fit,Galenus & Auicennas permittunt: ad uitandum tamen hæmorrhagiæ, & ulcerationis,imò uerò & uitæ ægrotantis periculum,ea omiſſa,curandi rationem præſcriptam,quæ ſolis leuibus,

uibus, & quaſi adblandientibus medicamentis ſit, tanquam tutiorem, & minùs calumniæ oppoſitam amplecti, atque ea ſola cõtenti eſſe debemus. Quandoquidem, ſi eiuſmodi tumor cancroſus, qui iam in molem inſignem creuit, qua ſanis partibus coniungitur, totus circuncidatur, ſtatim immodicæ profuſionis ſanguinis, propter uaſorum magnitudinem, maximéque arteriarum periculum imminet. Quas ſi laqueis (inquit Galenus) intercipias, conſortij iure aliæ partes afficientur, & ingenti dolore cruciabuntur. Adde, quòd exciſa carcinomata (ut Celſus ait) etiam poſt inductam cicatricem tamen reuerterunt, & cauſam mortis attulerunt. Sin eius mali radices exurere uelis, neque hoc quidem ſine graui iactura uicinarũ partium fiet, præſertim ſi iuxta principes partes exuſtio fiat. Itaque cancri maiores, & qui iam inueterauerint, neque ferro temerè adurendi ſunt, neque ſcalpello excidendi, ſed blãdè potiùs, ac leuiter (uti diximus) tractandi. Plærique enim nullam uim adhibendo, qua tollere id malum tentẽt, ſed imponendo tantùm leuia medicamenta, quæ quaſi blandiantur, quò minùs ad ultimam ſenectam perueniant, non prohibentur. Reliqua quæ ad huius operis complementum, ſeu abſolutam de cancro tractationem attinent, ex tractatu de ulceribus, capite de cãcro ulcerato requirenda ſunt. Lib. 5.

Capita curationis cancri non vlcerati adhuc incipientis, ſumma corporis occupantis.

IN cancro incipiente, & qui ex humore non admodùm craſſo conſtat, nec uenas ualde tumentes exerit, humorem melancholicum, unde hoc genus uitij naſcitur, à toto corpore imprimis uacuato. 1.

Ergo, ſi ætas, & uires ferant, ſectâ in cubito uenâ, ſanguinem primùm, quantum res ipſa efflagitat, mittito. 2.

Deinde medicamenta bilem atram per aluum exigentia, initio quidem blanda, & mitiora: poſteà uerò uehementiora, paulatim uim eorum augendo, laboranti exhibeto. 3.

Si menſtruæ purgationes in mulieribus ante quinquageſimum annũ, aut mariſcæ tum in eis, tum in uiris, ex interuallis ſanguinẽ fundentes, ſuppreſſæ ſint, illas modis omnibus prouocato. 4.

Interim tenuem uictus rationem, & quæ probum ſuccum ac minimè melancholicum generet, inſtituito. 5.

Si prohibere nõ poſsis, quò minùs ſuccus craſſus & melãcholicus in uenis colligatur, eum ex interuallo, tum ſimplicibus, tum compoſitis medicamentis uacuato. 6.

Præce-

Præcedentes aphoriſmi ad medicum ſpectant: qui verò ſequuntur, ad chirurgum pertinent.

7. *Remedia affectæ parti ante purgationem, & in ipſo purgationis tempore, repellentia: ubi uerò corpus integrè repurgatum eſt, digerẽtia: uiribus mediocria, & qualitate minimè mordentia, adhibeto.*

8. *Ergo ſolani ſuccum, uel medicamentum ex pompholyge, aut quod ex chalcite conſtat (diapalma uulgò appellatur) atque id genus alia, dolenti loco admoueto.*

9. *Quòd ſi per chirurgiam cancrum ſanare audebis, melancholico humore, priùs medici conſilio repurgato, quod uitiatum eſt, prorſus excindito, & ſanguinem ſatis multum effluere ſinito, craſſioremque ex uicinis partibus exprimito, atque affectum tandem ſimiliter reliquis ulceribus ſanato.*

FINIS LIBRI PRIMI INSTITVTIONVM *chirurgicarum, de tumoribus præter naturam,* Io. Tagaultio Vimaco, Medico, *authore.*

Gene-

Generalis diuiſio vulnerum, in librum ſecundum Chirurgicarũ inſtitutionum Io. Tagaultij Medici.

VNionis ſolutæ nomina ac differentiæ Galeno libro quarto metho. medendi ſunt:

Trauma, *Helcos*, *Catagma*, *Spaſma*, *Apoſpaſma*, *Rhegma*, *Thlaſma*,	id eſt,	Solutio quædam ex vulnerando in carnoſa parte relicta. Vlcus, etiam in carne Fractura, in oſſe. Conuulſio, ſiue diſtẽſio, in neruo. Auulſio, in ligamento. Ruptio, in muſculis. Colliſio, vel contuſio, in vaſis propriè.

Soluunt etiam continuum.

Ecchymoſis ſiue ecchymoma.	Dicitur quaſi inhumoratio, quæ fit, cùm ſanguis ſubter cutem effunditur, & coit: affectus plurimum vnà cum contuſione ruptionéque incidens.
Anaſtomoſis.	Id eſt, oris vaſorum apertio.
Diapedeſis.	Id eſt, tranſcolatio, ſubſultus, aut exilitio. Fit tunica ipſa vaſorum ſanguinis rarefacta, aut gracilium vaſorum ore adaperto, & ſanguine tenuato. Ad anaſtomoſin ferè reducitur.
Anabroſis, ſeu diabroſis.	Id eſt, eroſio. Venis aut arterijs intrinſecus accidit, ex ſucco aliquo, cui mordens natura inſit.

Species ſolutionis continui apud Auicennam, fen. 2. lib. primi, ſunt: *Nihil refert ſi ſpeciem, uel differentiam hic dixeris.*

Excoriatio, & ſcarificatio,	In cute.
Vulnus ſiue plaga,	In carne, recens & cruenta.
Vlcus	In carne cum pure.
Pũctura	In neruo.
Inciſio,	In oſſe ſecundum latum.
Apertio	In venis & arterijs.
Sciſſura,	Secundum longum in oſſe.
Contuſio,	Numeroſa continui ſolutio in oſſe.
Attritio,	In extremo muſculi.
Ruptura,	In panniculis, & diaphragmate.
Fractura,	In oſsibus.

Et quædam aliæ.

VVLNERVM DIFFERENTIAE.

Plàgarum,ſeu cruentorum adhuc vulnerum, differentiæ Guidoni, & aliis noſtræ ætatis chirurgis, à tribus potiſsimùm ſumuntur: Nempe,

1. A *natura particularũ,in quibus conſiſtunt.*
2. Ab *eſſentia ipſius ſolutionis continuitatis.*
3. A *propriis differentijs ipſius ſolutionis unitatis,ex uulnere excitatæ.*

1. Vulnerum differentiæ,à natura particularum ſumptæ.

Vulnus in parte ſimilari.
Vulnus in parte inſtrumentaria.

Vulnûs in parte ſimilari.

Molli.
Dura.
Mediocri.

Vulnerum differẽtiæ à parte ſimilari affecta

Vulnus in parte ſimilari molli.

Vulnus in carne.
Vulnus in pinguedine.

Vulnus in parte ſimilari dura.

Vulnus in oſſe.
Vulnus in iunctura.

Vulnus in parte conſimili mediocri.

Vulnus in neruo.
Vulnus in tendone.
Vulnus in ligamento.
Vulnus in arteria.
Vulnus in uena.

Vulnerum differẽtiæ à parte organica affecta

Vulnus in parte organica,ſeu inſtrumentaria.

Vulnus in parte principe.
Vulnus in parte principi ſeruiente.
Vulnus in parte principi non ſubminiſtrante.

Vulnus in parte principe.

Vulnus in corde.
Vulnus in cerebro.
Vulnus in iecinore.

Vulnus in parte,principi parti miniſtrante.

Vulnus in aſpera arteria.
Vulnus in œſophago,ſiue gula.

Vulnus in ueſica. & c.

Vulnus in parte principi alicui membro non ſubſeruiente.

Vulnus in naſo.
Vulnus in aure.
Vulnus in oculis.
Vulnus in manu.
Vulnus in pede. & c.

2. Vulnerum differentiæ, ſumptæ ab eſſentia ipſius ſolutionis continuitatis.

Vulnus ſimplex, Id eſt, cum nullo alio affectu complicatum.
Vulnus cõpoſitum. Id eſt, cum alio quopiam vno, multiſve affectibus conſiſtens.

Has & ſequẽtes differẽtias latiùs proſequemur, in tractatu ſequenti de ulceribus.

3. Vulnerum ſimplicium differentię ſumptę à propriis differẽtiis ipſius ſolutionis vnionis, ſeu diuortii continui.

Vulnus magnum, *Vulnus paruum.*
Vulnus breue, *Vulnus longum.*
Vulnus latum, *Vulnus angustum.* } Spatium, quantitas, ſeu magnitudo diuiſionis.
Vulnus in ſuperficie, *Vulnus profundum.*
Vulnus æquale, *Vulnus inæquale.*

Vulnus rectum, *Vulnus obliquum.* } Figura.
Vulnus retortum, *Vulnus uncum.*

Sunt et alię adhuc differentiæ vulnerum, ſed extrinſecùs accedentes Galeno, ſumptæ

1. A *generationis ratione.*
2. A *ſitu, ſeu loco in eadem parte affecta.*

1 Differentiæ vulnerum, à generationis ratione.

Vulnus diruptum.

Vulnus inciſum.
Vulnus partim inciſum, partim diruptum.
Punctio nerui.
Præciſio nerui.
Præciſio uenæ.
Præciſio arteriæ.

2. Vulnerum differentiæ à ſitu, ſeu loco in eadẽ parte affecta.

Vulnus ſecundum longitudinem.
Vulnus ſecundum tranſuerſum.
Vulnus in principio muſculi.
Vulnus in fine muſculi.
Vulnus in medio muſculi.

His accedunt et aliæ differentię, ſed impropriè dictæ, à complexu vulneris.

1. *Cum ſymptomate.*
2. *Cum morbo.*

1. Vulneris differentiæ à complexu cum ſymptomate.

Vulnus crucians, ſeu doloroſum.
Vulnus dolore uacans.
Vulnus pruriens, id eſt, cum pruritu affligens.
Vulnus cum delirio.
Vulnus cum impotentia membri.
Vulnus cum ſyncope.
Vulnus cum ſanguinis profuſione.

2. Vulneris differentię à complexu cum morbo.

Vulnus cum intemperie,
Vulnus cum phlegmone.
Vulnus cum eryſipelate.
Vulnus cum carne ſupercreſcente. &c.

Reliqua ex diuiſione de vlceribus ſunt requirenda.

INSTITVTIONVM Chirurgicarum Ioannis Ta

GAVLTII MEDICI, LIBER SECVNDVS, *in quo generatim de plagis, seu cruentis uulneribus tractatur.*

Quid vulnus, quæ sint species solutæ vnitatis, quot vulnerum differentiæ, & à quibus sumantur. Caput I.

Vlnus (*ut recentiores definiunt chirurgi*) *solutio est continuitatis recens, cruenta, sine pure seu putrefactione, in particulis mollioribus extrinsecùs incidẽs.* Vulneris diffinitio.

Hanc unionis, continuatisue solutionem non modò Auicennæ interpres, sed & omnes communiter plagã etiam appellant. Cæterùm in hac definitione solutio continuitatis (quæ & unitatis diuortium, ac diuisio appellatur) generis locum sibi uendicat: quippe quæ communis morbus sit tum simplicibus (quas & similares uocamus) tum compositis, seu organicis particulis. Definitionis uulneris examinatio. Genus. Galen. lib. 1 de morb. et sympt. Auerr. 2. & 3. col.

Primo tamen ac magis propriè similaribus particulis conuenit, atque attribuitur, quàm compositis. Reliqua quæ in diffinitione subnectuntur, differentiæ rationem habent: nempe, recens, cruenta, siue sanguinolenta, sine pure seu putrefactione, quæ omnia ad differentiam ulceris posita sunt: quod quidem iuxta recentiorum placita, iam antiqua est unitatis solutio siue diuisio, cum putri quadam humorum colluuie, seu putrefactione, & absque sanguinis profusione. Postrema diffinitionis particula, utpote, in partibus mollioribus facta, siue incidens, adiecta est propter fracturas, quæ in duris partibus, cuiusmodi sunt ossa, contingunt. Porrò iuxta hanc generalem particularum corporis humani diuisionem, quidam chirurgiam bimembrem fecerunt. Alia enim est (inquiunt) quæ in carne, alia quæ in osse suas operationes exercet. Carnis enim nomine musculos, neruos, uenas, & arterias etiam intelligunt. Quæ omnia sub mollibus & mediocribus particulis alij comprehenderũt. Dictionem, extrinsecùs, in fine definitionis adiecimus, ad differentiam solutionis unitatis, quæ fit à causa interna. Cæterùm solutionis continuitatis multæ sunt species, in secunda fen primi canonis Auicẽnæ enumeratæ. Vulnus, inquam, ulcus, apertio, sciſſura, excisio, pũctura, incisio, fractura, cõtusio, & id genus alia. Quorũ descriptiones & Differẽtiæ. Solutæ unitatis uariæ spẽs, apud Auic.

 feren-

Noïa ſolutæ unitatis Gale. Lib. 4. meth. medendi.

ferentiæ ſuis locis addentur. Nomina autem ſolutæ unitatis apud Galenum ſunt, ἕλκος, id eſt, ulcus, quod in carne eſt: κάταγμα, id eſt, fractura, in oſſe: σπάσμα, id eſt, conuulſio, ſiue diſtentio, in neruo: ἀπόσπασμα, id eſt, auulſio, uel diuulſio, in ligamento: ῥῆγμα, id eſt, ruptio, in muſculis: θλάσμα, id eſt, colliſio, uel contuſio in uaſis propriè. Soluunt etiam continuum ἔκχυμωσις, ſiue ἔκχυμωμα, id eſt, ſanguinis ſubtercutem effuſio, & coitus, plurimùm unà cum contuſione ruptionéq; incidens, de qua latiùs in ſequentibus dicemus: ἀνασόμωσις, id eſt, oris uaſorum apertio, quatenùs facit ecchymoſin: διαπόδησις, id eſt, tranſcolatio, ſubſultus, aut exilitio, quæ ad anoſtomoſin reducitur: ἀνάβρωσις, id eſt, eroſio, quæ & διάβρωσις dicitur. Porrò non adeò magna, atque anxia cura ipſorum no minum habenda eſt, modò res ipſa qua de agitur, intelligatur. Itaque ſæpiùs nomen unum pro altero ponitur. Vulnus enim & ulcus apud eos, qui Græcorum libros in Latinum ſermonem conuerterunt, idem omninò ſignificant, modóque unum, modò alterum pro re eadẽ uſurpatur. Apud eos uerò, qui Arabica, Latina fecerunt, uulnus & ulcus aliquid inter ſe diſcriminis habent. Hi namque uulnus uel plagam appellant, ubi nondùm eſt pus: ulcus uerò, ubi iam pus adeſt. Et ſanè qui Græcos ſequuti ſunt, rectiùs quàm qui Arabes ſunt imitati, cenſuerunt. Vulnerum, ſiue ulcerum duæ ſunt duntaxat primæ ac maximæ differentiæ Galeno, in quarto libro Therapeutices. Omne nanque ulcus ſiue uulnus, uel abſente cauſa, quæ ipſum excitauit, conſiſtit, uel efficientem ipſam cauſam ſecum annexam habet. Solutionis autem huiuſmodi continuitatis ſpecies, ſed præſertim uulneris, potiſſimas ac præcipuas ſuas differentias à tribus Guidoni, ac illius ætatis chirurgis deſumuntur.

Vulnus & ulcus pro eodem.

Vulnerũ duæ differẽtiæ primæ.

Differẽtiæ uulnerũ à tribus potiſſimũ ſumũtur.

PRIMO à natura particularũ, ſiue à locis affectis, in quibus cõſiſtunt. Quædam enim (ut libro tertio artis paruæ refert Galenus) fiunt in partibus conſimilibus ſiue homiomeris: quædam uerò in organicis, ſiue inſtrumentarijs. Aliæ item in mollibus particulis, aliæ in duris, aliæ uerò in mediocribus, id eſt, in ijs quæ inter duras & molles ambigunt. Quæ in particulis mollibus contingunt: aliæ quidem ſunt in carne, aliæ in adipe ſiue pinguedine. Ex ijs uerò, quæ in duris fiunt partibus, aliæ oſſium ſubſtantiam occupant, aliæ iunctũras ipſas. Denique quæ in mediocribus particulis incidunt, quædam in neruis, tendonibus, & ſyndeſmis, id eſt, neruëis ligamentis, ſiue copulis: quædam in uenis, & arterijs conſiſtunt. Quæ autem organicas partes inuadunt, aliæ in principalibus membris fiunt, ut in corde, cerebro, & hepate: aliæ uerò in ijs, quæ principibus ipſis particulis ſubminiſtrant, ut in aſpera arteria, œſophago ſiue gu

I. A natura partiũ. Diuiſio partiũ.

ue gula,& ueſica: aliæ item in non ſubſeruientibus ipſis principijs ſeu principalibus membris,ut in auriculis,pedibus,manibus,oculis, naſo, & id genus alijs.Differunt quoque uulnera,ſiue plagæ,pro telorum ac rerũ à quibus inferuntur uarietate,ut in ſequentibus dicetur.

SECVNDO *ſumuntur differentiæ ſolutionis continuitatis, ſed præſertim uulnerum, ab ipſius morbi eſſentia, ut Galenus docuit libro tertio methodi medẽdi. Quædam enim ſolutio unitatis ſimplex eſt,quædam uerò compoſita.Ac ſimplex quidem appellatur,ſi nec morbus ullus, nec ſymptoma ſimul adſit cum ipſa. Compoſita uerò, quandò duos uel plures affectus ſecum adiunctos habet, ut à Galeno ſcriptum eſt, libro quarto Therapeutices: quod & in ſequenti capite, ac rurſus in tractatu de ulceribus dicetur.Scribit autem ad hunc modum Galenus loco nuper citato:Omne ulcus[ſiue uulnus]aut ſolum eſt,ipſúmque per ſe, nullo nec cum eo ſimul inuadente,nec ipſum præcedente, aut ſequente alio affectu,aut cum alio quopiam uno,multíſue conſiſtit. Quorum alij nõ modò ſtatim ab initio ulcus excitarunt,ſed etiam nunc maius efficiunt: alij eius ſine quo non,ut ad curandi opus rationem obtinent.*

2. Ab eſſentia morbi.

TERTIO *deſumuntur uulnerum differentiæ, à proprijs differentijs ipſius ſolutionis unitatis ex uulnere excitatæ. Cæterùm propriæ eiuſmodi differẽtiæ ſumũtur rurſus ab ipſa uulneris natura, ut Galenus nobis indicauit libro tertio methodi medendi. Nempe à ſpacio ſeu quantitate diuiſionis,ut à magnitudine & paruitate, æqualitate & inæqualitate,profunditate,& ſuperficie,breuitate,& longitudine.Item à figura,ut à rectitudine,& obliquitate. Adhæc à generationis ratione, ut quia totum ſit inciſum,uel totum diruptum,uel pars inciſa,pars dirupta. Et ab id genus alijs,quæ fuſiùs in tractatu de ulceribus qui hunc proximè ſequitur,explicabuntur.Porrò ab huiuſmodi differentijs,iudicia,curandi indicationes,auxilia quoque, & modus curationis, omninò deſumuntur,ut ex ſequentibus manifeſtum euadet. Itaque non ſatis eſt primas illas indicationes,quæ ex affectibus deſumuntur,nouiſſe. Hæ nãq; principium tantùm ſunt,&(ut ſic dicatur) carcer, unde medendi ratio promouet. Nulla autem prorſus ipſius medicinæ artis portio, aut certè nec magna,nec propria,aut ratione digna,ſed quæ etiam (ut tertio Terapeu. ait Galenus) plebeïs ſit communis, & nota. Non ergo ſatis eſt noſſe, quid ex prima indicatione agendum ſit,ſed & particulares indicationes diligẽter conſiderandæ ſunt:cuiuſque ſcilicet particulæ ſubſtãtiam æſtimando,tum actionem,tum uſum,ſitúmque.A quibus procedẽs, non ſolùm quod ſanari non poteſt,præuidebis: ſed etiam quod recipere*

3. Differẽtiæ ſũptæ à natura uulneris.

Galenus. 3.Therap. Indiatio q̃ à morbo ſumitur,principiũ tantũ ẽ methodi, quæ de medẽdo inſtituitur. Cognitio q̃ habetur p ipſi⁹ rei naturã q̃ pendat.

Morborum uerus curator quis.

ſanitatem poteſt, de inueniendis ei remedijs facilè deliberabis. Solus igitur is meritò morborum eſt curator, cui facultas eſt illa remedia inueniendi, ex quibus perfici poſsit, quod à prima indicatione ſuggeritur.

Primum artis opus eē, ut cognoſcas an ſperari poſsit quod deſtinas.

Erítque hoc ipſum primum artis opus, ut intelligas, ſperaré ne id quò tendis debeas, an ſecùs. Eius autem rei duplex cognitio eſt Galeno, nec poteſt addi ratio tertia. Altera per experientiam, cui longo uſu eſt opus. Altera per ipſius rei naturam, quam ratione quadam, & methodo diſquirimus, perpendendo ſcilicet non modò corporis uniuerſi, ſed etiam afflictæ particulæ temperamentum, & reliqua quæ modò diximus.

Lib. 3. met. med.

De cauſis, ſignis, & iudiciis vulnerum. Cap. II.

Solutæ continuitatis cauſæ uniuerſales 2.

TAmetſi Galenus libro ſecundo de morbis & ſymptomatis, omnes ſolutæ unitatis (qui morbus eſt omnibus partibus communis) cauſas ſummatim in duas reuocat: (aut enim, inquit, extrinſecùs irruunt, aut ex ipſo corpore oriuntur:) recentiū tamen uulnerum, prout huiuſmodi, id eſt, quatenus recentes ac cruentæ plagæ ſunt, cauſæ cenſentur, quæcunque extrinſecus aduenientia uulnerare, perforare, incidere, abrumpere, contundere, ac diſtendere poſſunt.

Haly.

Has autem uulnerum cauſas ſpeciatim expreſsit Halyabbas ſermone quarto regalis diſpoſitionis, dum ait: „ Vulnera fiunt, uel à corpore inanimato, ut enſe, baculo, lapide, „ aut alio quouis ſimili: aut ab animato, ut „ uenenatorum animalium punctura, aut ferarum morſu. Ex quibus aliæ rurſus ſumuntur uulnerum differentiæ. Quandoquidem alia inciſiones, alia contuſiones, alia uerò morſuræ dicuntur. A quibus etiam curandi indicationes nobis ſuggeruntur, per accidens tamen. Demonſtratum nāque eſt à Galeno libro quarto methodi medendi, nullam externarum, uel (ut nunc loquuntur) primitiuarum cauſarum, curationis indicatricem eſſe, ſed huius indicationem ab ipſo affectu initium habere. A nullo enim, inquit, eorum quæ adhuc non permanent, indicatio ſumi eius quod ex uſu ſit, poteſt. Verùm quoniam ad eum affectum noſcendum, qui omninò tum rationem, tum ſenſum lateat, ſæpe cogimur de externa cauſa inquirere: opinatur uulgus hanc quoque ſanationis rationem indicare: quod planè ſecùs eſt. Nam quod adhuc non eſt (ut cauſa externa) curationem non deſyderat. Quippe rei præſentis tantùm eſt curatio, ut eius quod futurum eſt prouidentia. Quòd ſi id, quod amplius non eſt, curationem non poſtulet, neque ſanè ab eo ulla ſumi poteſt curandi indicatio. Si-

Externæ cauſæ curatione non indicāt, ſed affectū.

Rei præſentis eſt curatio nō abſentis.

3. met. Statim ab initio.

quidem

quidem abſurdum ſit(ut Galenus ait) aliud eſſe quod curandi rationem præſcribat,aliud quod curetur,& econtrà. Nihil igitur ad curationis indicationem conducit, externa cauſa cognita, ſicuti nec tempus ipſum, ſed ad præſentis duntaxat affectus(qui noſtram fugit notitiam) cognitionem. Quare dicere indicationem curationis ab externa cauſa, quæ uulnus excitauit,deſumi,omni modo eſt abſurdum. Quod enim nec nũc lædit, nec læſurum timetur,id ab utroque artis munere,tum eo quod curat,tum eo quod prouidet,exceſsit. Itaque(ut breuiter dicam) ubi præſentis affectus nihil latet,nulla iam externæ cauſæ, ſicuti nec temporis, eſt utilitas.

De ſignis,et iudiciis vulnerum. Cap. III.

NOtæ uulnerum non aliunde petendæ ſunt, quàm ex iudicio ſenſus,ſed uiſus maximè. Iudicia uerò ſeu ſigna prognoſtica ipſorum,ſicuti etiam & omnis ſolutionis continuitatis,deſumuntur ex ſubſtantia,uſu,atque actione affectæ cuiuſque particulæ. Et præterea,ex propria ipſius diſpoſitionis ſiue affectus eſſentia. Itẽ ex ſymptωmatis,quæ uulneribus ipſis accedũt,ut ex ſequentibus patebit. NOTAE & iudicia uulnerum unde petãtur.

ITAQVE iudicat Gale.libro quarto Therapeutices,q̃ magna & grauia uulnera non mediocre adferunt periculum. Trifariàm autem uulnera ipſa,ut & reliqua omnia uitia,grauia magnáque reddũtur. Nempe uel propter afflictæ partis præſtantiam ſiue præcellentiam, uel propter affectus magnitudinem,uel propterea quòd ſunt cacoëthe, id eſt,maligna,contumacia,ac rebellia. Hinc uulnera quæ in capite accepta ſunt,aut intra thoracem,intráue etiam peritonæum penetrauerunt, non paruum periculum aduehunt, potiſsimùm ſi quid interiorum unà ſit uulneratum. Vulnera trifariã magna & grauia reddi.

QVINETIAM cacoëthe eſſe, quæcunque in articulis accepta uulnera ſunt,id quoque(ut Galenus inſit)omnes ferè ſciunt:empirici quidem ex ſola ipſa experientia. Qui uerò corporis naturæ ſcientiam comparare ſtuduerunt,ex ipſa uulneratarum partium natura. Vbi enim tẽdones,& nerui,& carne uacua,atq; oſſea loca ſunt,hîc doloris, uigiliarum,conuulſionis, & delirij periculum inſtat. Adhæc uulnera, quæ adeò magna ſunt, ut ſuturis indigeant, aut ſi non his, certè deligatura,periculo non uacant. Cuiuſmodi ſunt ea, quæ principales muſcu- Vulnera in artialis Cacoëthe eſſe. Lib.14. Therap. Vulnera q̃ ſuturis indigent, periculo nõ uacare.

los

los per tranſuerſum penitùs diuidunt, magnáſque uenas, neruos, & arterias, atque etiam medullas ipſas diſcindunt, ac contundunt. Primum (nempe partis læſæ præſtantiam) hoc aphoriſmo nobis expreßit Hippocrates. Veſica deciſſa [id eſt magno atque profundo uulnere diuiſa] aut cerebro, aut corde, aut ſepto tranſuerſo, aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut uentriculo, aut iecore, lethale eſt. Tertij uerò, utpote cacoëthiæ, mentionem fecit ille idem ἀρχιατρὸς alijs in aphoriſmis: ubi tradit eos, quibus tumores in ulceribus apparent, non admodùm conuelli, neque inſanire: uerùm his de repente euaneſcentibus, quibuſdam conuulſiones, & diſtentiones fieri: quandò ſcilicet uulnera à tergo infeſtãt: quibuſdam uerò inſaniam, uel lateris dolorem acutum, uel ſuppurationẽ, cùm ſcilicet in partibus anterioribus, quæ uenoſæ ſunt, atque arterioſæ, uulnera contigerint: uel inteſtinorum difficultatem (quam ſanguineam nominant) ſi tumores ſunt rubicundi, id eſt, ſanguinei. Idem mox ſubiungit, quòd ſi in uulneribus prælidis, ſiue fortibus & prauis, tumor non appareat, malum eſt ingens, hoc eſt, noxa eſt magna. Etenim in his ſuſpicari licet materiam, quæ uulneribus decumbere aſſolet, auerti, ac tranſmutari in ſedem aliquam principem. Vulnera autem praua hîc appellari ab Hippocrate (ut Galenus ait in commentario) exiſtimãdum eſt, quæ ſunt in capitibus, aut finibus muſculorũ, & maximè neruoſorũ. Nam in capitibus muſculorum, muſculis nerui adnaſcuntur, ex finibus autem tendones oriuntur. Cæterùm nomine periculi in præcedentibus, intelligitur mors, uel totius corporis, uel particularis membri, quæ quidem uitæ eſt priuatio: aut (ut dicunt) maleficium, aut læſæ partis impotentia perpetua, & inexpugnabilis, hoc eſt, priuatio ſenſus, ac motus, ac propriæ actionis ipſius: adeò, ut non ampliùs membrum aut particula corporis propriè nuncupetur, ſed denominatiuè (ut aiunt) & æquiuocè, ueluti lapideus oculus, aut æreus: ut uoluit Ariſtot. libro ſecundo de anima, & quarto Metheo.

Præſtãtia partis, 18. Lib. 6.

Apho. 65. lib. 5.

Tumores de repente detumeſcẽtes, malum portendũt.

Aph. 66. lib. 5.

Praua uulnera.

Nomine periculi quid ſignificetur.

PORRO iudicij huiuſmodi uulnerum cognitio, apprimè neceſſaria eſt cuicunque chirurgo, ſed ei maximè, qui ex decreto magiſtratus, ſuper acceptis uulneribus in prohibito conflictu, ac illicita pugna, iudicium rectum, ac æquum ferre compellitur. Itaque ante omnia ſcire debet chirurgus, quæ uulnera lethalia ſint, ac inſanabilia: quæ difficilem curationem habeant, quæ promptiorem. Eſt enim prudentis hominis (ut rectè nos admonet Celſus) primũ eum qui ſeruari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem eius, ut occiſi, quem ſors ipſius peremit. Deinde ubi grauis metus, ſine certa tamen deſperatione, eſt, indicare

Vtilitas ac neceßitas doctrinæ prognoſticæ uulnerũ

Lib. 5

care neceſſarijs [id eſt, familiaribus, & amicis periclitantis] in difficili »
rem eſſe: ne ſi uicta ars malo fuerit, uel ignoraſſe, uel fefelliſſe uidea- »
tur. Sed ut hæc (inquit) prudenti uiro conueniunt: ſic rurſus hiſtrionis »
eſt, paruam rem attollere, quò plus præſtitiſſe uideatur. Cæterùm (ut »
ad propoſitum reuertamur) ſcire oportet ex mente Galeni in commen-
tario aphoriſmi paulò antè citati, ueſica diſciſſa, &c. uulnerum quæ-
dam eſſe ualde, & ex neceſsitate lethalia: quædam uerò non ex neceſsi-
tate, ſed magna ex parte talia eſſe: cõtrà uerò quædam omninò ſanabi-
lia, quædam ut plurimùm.

LETHALIA *ſunt ex neceſsitate, ac inſanabilia, quæ cordis ſubſtantiam penetrant. Hæc enim protinùs hominem è uita tollunt. Quandoquidem corde ſic percuſſo, totus ſanguis, ita imperante natura, affatim ad ipſum, ueluti ad præcipuam uitæ arcem, confugit, ac ex omnibus corporis partibus, ut læſæ parti ferat ſuppetias, trãſmittitur: unde maxima ſtatim fit ſanguinis profuſio, quam & ſpirituum reſolutio mox conſequitur, uel in percuſſo uiſcere tumor præter naturam, maximè autem phlegmone, excitatur: uel tanta fit ſanguinis collectio, obſtructióque tam inſignis, ut uitalis ſpiritus in corpus uniuerſum, ut oportebat, amplius diffundi non poſsit. Quò fit ut uenis & arterijs langueſcentibus, palleſcente uultu, & frigido, malique odoris oborto ſudore, extremíſque partibus frigidis apparentibus, matura mors ſequatur. Cor enim neque ſolutionem continui diu, neque (ut inquit Auicennas) apoſtema uita permanente, perferre poteſt.* Vulnera ex neceſsitate lethalia. Cordis uulnus cur lethale. 2. primi cap. 5.

SED *& mortem etiam adferunt ineuitabilem magna, ac profunda uulnera ſubſtantiæ cerebri, iocinoris, diaphragmatis, ſtomachi ſeu œſophagi, uentriculi, aſperæ arteriæ, pulmonis, lienis, cyſtis fellis: renum quoque, & tenuium inteſtinorum, præſertim eius quod ieiunum appellatur, atque id genus aliorum membrorum principalium, aut ipſis principalibus membris ſeruientium, miniſterio quidem, ceu ad uitam neceſsario. Ideò autem uulnera eiuſmodi lethalia ex neceſsitate dicũtur, quoniam nullus ex eis ſeruatur unquàm, mortémque concinnãt inexcuſabilem, ut in ſequentibus demonſtrabitur. Seruari etiam non poſsunt Celſo, quibus in ſpina medulla percuſſa eſt, & quibus circa fauces grãdes uenæ uel arteriæ præciſæ ſunt.* Cerebri uulnera.

VVLNERA *uerò ea non ex neceſsitate, ſed ſecundum plurimũ mortalia dicuntur, quæ ad regionem prædictarum partium perueniũt, uel eas leuiter, ac ſuperficie tenùs duntaxat attingunt, non autem præaltè adiguntur, nec effatu digna ſunt. Adhæc quæ in capite muſculorum* Vulnera magna ex parte lethalia.

accepta

accepta fuerũt. Ob id autem mortalia ut plurimùm, at non ex neceßitate dicuntur, quoniam uulneratis, niſi ritè tractentur, prorſus ex eis cõmoriendum ſit. Si uerò in nullo peccatum ſit, illos interdùm ſanari contingit. Guido. *Hinc Guido ſe quẽdam uidiſſe affirmat, qui in parte poſtica capitis uulnus acceperat, ex quo parua quædam portio ſubſtantiæ cerebri exierat (ut ex memoriæ læſione cognitum eſt) & tamen is à tali uulnere cõualuit, reſtitutáque eſt illi ex integro poſt curationem uulneris, memoria. Non tamen aſſerit illum ſuperſtitem permanere potuiſſe, ſi tota una cellula, ſeu totus unus uentriculus, per uulnus exiuiſſet: ut de quodã*

Com. 18. lib. 6. aph.

Cellario refert Theodoricus. Sed nec Galenus etiam adfirmat, in illo adoleſcente, quem uulneratum uidit Smyrnæ in Ionia, uiuente adhuc præceptore ſuo Pelope, aliquid ſubſtantiæ cerebri adẽptum fuiſſe, ſed duntaxat eum uulnus effatu dignum accepiſſe, in altero anteriorum uẽtriculorum cerebri: quos ob id geminos natura condidit, ut ſi alter ipſorum læſus fuerit, reliquus adhuc ſubſeruiat. Sed & hoc tanquàm admirabile, ac ſtupendum quoddam, incredibiléque ſpectaculum, ſeu naturæ miraculum narrat idem Galen. libro octauo de uſu partium corporis humani: ipſúmque adoleſcentem tandem ſanatum fuiſſe refert, Dei potiùs, ut credebatur uoluntate, quàm arte. Quòd ſi (inquit) ambo uentriculi ſimul fuiſſent uulnerati, ne temporis quidem momentum is uiuere potuiſſet. Vnde colligit ibidem geminitatis (ut ſic dicam) quorundam organorum neceßitatem. Cerebrum itaque inſigniter, & ad uentriculos uſque uulneratum ſanari, rariſſimum eſt, & penè incredibile, ut in commentario aphoriſmi ſuperiùs citati, Galenus adſeuerat: ubi uerũ eſſe ſcribit, quòd magna uulnera, quæ conſueuit Hippocrates nominare diſciſiones, & præciſiones, in prænominatis particulis mortem adferunt ineuitabilem: fateríque omnes, quòd uulnera, quæ uſque ad aliquem uentriculorum cerebri penetrant, procul dubio internecant, mortémque adferunt præproperam.

Adoleſcens ex uulnere cerebri cõ ualuit.

18. lib. 6.

Vulnera cerebri cur lethalia.

PORRO uulnera cerebri, & membranarum ipſum obuoluentium (quas Græci μήνιγγας uocant) ideò lethalia ſunt, quoniã ad læſionem ipſius cerebri, & membranarum ipſum continentium, ſequitur læſio, & interdùm abolitio actionis muſculorum thoracis, & aliorum membrorũ reſpirationi ſubſeruientium. Horum autem actione deperdita, perire ſimul reſpirationẽ neceſſe eſt. Vnde cordis quoque temperamentum ſoluitur. Quo fit tandem, ut etiam animalis ipſius neceſſariò ſequatur interitus, ut libro quinto de locis affectis ſcribit Galenus. Cerebro igitur læſo inſigniter, aut meningibus ipſum continentibus diſciſsis, homini, atque

que omni animanti prorſus commoriendum eſt.

GVIDO *à Cauliaco aſſerit hepatis uulnera, etiam circa fibras ipſius, non admodùm tamen profunda, nec cum ablatione alicuius portionis ſubſtantiæ ipſius, glutinari, & prorſus ſanari. Qua in re Galenum ſequutus eſt, qui in commentario decimo octauo libri ſexti aphoriſ. haud quaquàm ueritati conſentanea eos dixiſſe refert, qui non ſolùm uulnera, quæ in ſumma iecinoris parte conſiſtunt, ſanari poſſe adfirmabant, ſed & profunda quoque in fibris eius facta, imò & fibras ipſas abſciſſas. Cauſa autem ob quam uulnera iocineris magna ex parte lethalia ſunt, eſt, quia propter defectum nutritionis cor languet, ac emoritur, atque ita tandem deperit animans, ſed non illicò. Quandoquidem ob uirium hepatis imbecillitatem, ſine alimento permanens, diutiùs etiam ſufficere poteſt: ut Galenus eſt autor libro quinto de locis affectis, ſic inquiens: Vbi iecur affectum eſt, tum ob inediam moriuntur animalia: uerùm per longa temporum ſpacia, in huiuſmodi affectibus uitam protelare poſſunt. Sed de intemperie & morbis in compoſitione hoc loco potiùs agit Galenus, quàm de uulnere. Si autem uulnera hepatis magna, ac profunda ſint, uenáque porta dicta iocineris cauo commiſſa, uel concaua ab ipſius gibbo prodiens, diſſecta fuerit, larga ſanguinis profuſione moriuntur, qui ita ſunt uulnerati, priuſquàm uulnera agglutinentur.* Hepatis uulnera.

VVLNERA *quoque diaphragmatis, prorſus incurabilia ſunt, maximè ſi in parte eius neruoſa fiant. Hac enim parte exangue eſt: adhæc, in continuo eſt motu. Quæ duo ſanè prohibent, ne labra uulneris agglutinentur, coaleſcántue. Neruoſa nanque corpora ſemel diuiſa, nũquàm coëunt, ea præſertim, quæ in iugi, ſeu perpetuò ſunt motu, cuiuſmodi eſt ſeptum tranſuerſum. Quippe tametſi dici ſolet, quòd uulnera quæ ſananda ſunt, utique quietem requirunt, non ſolus tamen motus diaphragmatis, etiam ſi perpetuus, uulneris agglutinationem impedit, ſed & neruoſa quoque cum ipſo ſubſtantia. Quod abundè teſtatur Gale. bis uerbis: Tranſuerſi ſepti uulnera, in carnoſis quidem partibus ſubindè coaleſcere ſunt uiſa, eius motu nõ obſtãte. Quæ uerò ĩ neruoſis eius hærent, inſanabilia ſunt. Sanè difficilis, grauiſque curatio eſt etiam eorum, quæ in carnoſis ſunt partibus, ſi has iam phlegmone occupauit. Accidit autem hæc curandi difficultas ob eam rem, quòd in ea uulnera ſanies defluat, quæ impedimento eſt, ne labra ſolutæ unitatis coaleſcant.* Vulnera diaphragmatis quandò inſanabilia. Neruoſa ſubſtantia, & motus, agglutinationem impediunt. Li. 5. meth. med.

VVLNERA *autẽ, quæ pulmonibus incidũt, ideò curatu ſunt difficillima, imò magna ex parte inſanabilia: quoniam promptiſsimè phlegmonem* Pulmonis uulnera.

gmonem excitant, quæ ſi ſemel occupauerit, exigua (inquit Galenus) uulneris glutinandi ſpes eſt. Adde quòd ea quæ ſanandis ulceribus idonea ſunt medicamenta, contingere illa integris ſaltem uiribus non poſſunt. Accedit præterea & illis ſanandi difficultas, quòd reſpirando mouentur, & tuſsiendo lacerantur.

Tracheæ arteriæ uulnera.

CAETERVM uulnera tracheæ, id eſt, aſperæ arteriæ effatu digna, & maximè quæ cartilagineam eiuſdem ſubſtantiam occupant, ra rò etiam ad ſanitatem perducuntur. Particula enim hæc dura eſt, & exanguis, aſsiduáque per uulnus fit reſpiratio, quæ ſanè impedimento eſt, quominùs labra coaleſcant.

Oeſophagi uulnera.

MAGNA quoque œſophagi uulnera, inter exitialia atq; inſanabilia numerari ſolent, tum ob cibi ac potus per eum tranſitum, qui ſanè agglutinationem prohibet: tum quod eiuſmodi uulnera duntaxat (ut Galenus ait) contactu medicamentorum in tranſitu fruuntur, ſicuti & quæ in ore, ſeu orificio uentriculi conſiſtunt. Verùm his quæ ori ipſius uentriculi inſident, ſenſus quoq; acumen ſanationi obſtat.

Li.6.meth.

Venarũ iugularium uulnera.

IVGVLARES uenæ (quas & organicas uocãt) grãdi uulnere percuſſæ, ægrè & rarò curationi cedũt: tum quòd larga ſanguinis profuſione, hominem uitali ſpiritu exhauriant: tum quòd ligaturam ſtringendo ac ſiſtendo, ſanguini neceſſariam, propter imminens ſuffocationis periculum, ſuſtinere non poſsint.

Ventriculi uulnera. Ieiuni. Matricis. Renum. Veſicæ. Cyſtis felis.

VENTRICVLI diſciſsiones, & tenuium quoque inteſtinorũ, ſed omnium maximè ieiuni, matricis, renum, ueſicæ, & folliculi felis, modo quo ſuprà diximus, ob id lethales ſunt, quòd hæ omnes particulæ neruoſæ ſint & exangues, per eáſque uitioſarum ac ſuperuacanearum humiditatum tranſitus fiat. Adde quòd earum uſus perpetuò uitæ conſeruandæ eſt neceſſarius, nedùm utilis. Adhæc medicamenta his locis penitioribus non poſſunt commodè admoueri. Porrò per uerbum diſciſsiones, magna (uti ſuperiùs diximus) ac profunda uulnera intelligimus, & ad ſinum uſque interiorem longè latéque penetrantia, qualia eſſe cernuntur in ijs, quæ penitus ſunt exciſa. Hac autem dictione ex induſtria uſi ſumus, ne quis putet uulnus quodcunq; in prænominatis partibus exitiale eſſe atque inſanabile. Ventriculus nanque & tenuiora inteſtina, quia non parùm participãt carnoſæ ſubſtantiæ, ſi in ſumma parte duntaxat uulnerata ſint, ſæpenumerò agglutinantur, & uelut collato fœdere in robur ſubſtantiæ corpulẽtæ concordi concretione coaleſcunt. Sic & ueſicæ ceruicem ſiue collum quotidiè ſanari uidemus, cùm ex ea lapis extrahitur, quoniam ea parte carnoſa eſt. Idem & de alijs partibus

Gal.comm. 18.lib.6. aphoriſm.

bus iure credi poteſt, ſi per ſumma corporis ſeu ſubſtantiæ earum uulnus duntaxat acceperint.

Ieiuni uulnus cur inſanabile.

VERVM ENIM VERO *ieiunum inteſtinum uulneratum omnium maximè inter tenuia incurabile eſſe omninò à Galeno, & Paulo prædicatur, tum propter uaſorum, quæ in eo ſunt, magnitudinem multitudinémque: tum quòd tunica prætenuis, neruoſáque exiſtat. Adde quòd & bilem ſynceram hoc inteſtinum ex cholagogis poris recipit uniuerſam, & omnium maximè iecori uicinum habetur.*

Lib. 6. thc. Lib. 6. cap. 42. Gal lib. 5. de uſu par.

Lienis uulnera.

LIENIS *uulnera, cùm munus habeat toti corpori apprimè utile, ac propè neceſſarium, ſitque (ut nonnulli dixerunt) ueluti alterum bepar, periculoſa ſunt, non adeò tamen, ut aliarum modò dictarum particularum.*

Vulnera penetrantia.

HI *quoque in præcipiti ſunt, in quibus uſque ad cauitatem membrorum intus conditorum uulnera perueniunt. Hæc enim ut plurimùm lethalia ſunt, tum quia aër externus, & nos ambiens, per ea non alteratus ingrediens, internas partes non parùm offendit: tũ quia per eadem internus exhalat ſpiritus, quo ſic expirante & euaneſcente, uirtutis robur inſigniter offenditur, & diſſoluitur, multóque imbecillius redditur. Accedit huc, quòd huiuſmodi uulnera haud commodè detergeri poſſunt: quódque ea tandem degenerant in fiſtulas, & empyemata, id eſt, purulentas collectiones excitant: unde & mors ipſis uulneratis demùm accidit. Signa autem, quibus prædictarum partium internarũ uulnera deprehendi poſſint, tædioſæ prolixitatis uitandæ gratiâ, in hac uulnerum uniuerſali methodo, conſultò prætermiſimus.*

Vulnera in capite muſculorum.

CAETERVM *uulnera, & punctura, quæ in capite muſculorum fiunt, ubi nerui, tendones, & ligamenta ferè carne nudantur: itẽ quæ tribus digitis à iunctura diſtant, & quæ prope tempora accepta ſunt, magna ex parte lethalia exiſtunt.*

Nerui & tẽdonis pũctura.

Nerui uerò, & tendonis punctura, propter ſenſus uehementiam, & quoniam hæc pars principio, id eſt, cerebro continuatur, prompta eſt ad neruorum conuulſionem excitandam: ac tum præſertim, cùm nihil extrorſum expirat, obcæcato cutis uulnere: ut Galenus annotauit in opuſculo cui titulum fecit μικροτέχνη. Proindè huiuſmodi punctio mortem accerſit. Noxa enim quæ cerebro illata eſt, ſtatim cõmunicatur organis reſpirationi ſeruientibus, ut iam ſuprà dictum eſt. Quocirca quinto libro aphoriſmorum ſcripſit Hippocrates, Conuulſio ex uulnere lethalis eſt. Non quidem (ut Galenus ait in comment.) ex neceſſitate, ſed admodùm crebrò: lethalis enim

Spaſmus ex uulnere lethalis. i. ualde periculoſus.

nomine hîc, ut & in plærisque alijs aphorismis, usus est Hippocrates pro periculosa, & ad mortem sæpiùs perducente. Fiunt autem ex uulneribus conuulsiones, siue spasmi, ratione subsequentis ea inflammationis, ubi neruosas partes attigerit. Et primùm quidem uidentur conuelli quæ è directo sunt partium inflammatione laborantium: deindè sic postquàm & principium attigerit passio, ad totum extenditur corpus.

Spasmi ex uulnere cau sa.

MEMBRA autem particularia ex accepto uulnere iudicantur emortua, quandò principes ac maiores uenæ, arteriæ quoque & ossa, à quibus uitã, nutricationẽ, & fulcimentũ accipiebãt, penitus excisa sunt et destructa: incipiúntq; liuescere aut nigrescere, mortis habitũ induere, ac cadaueris formam repræsentare, non secùs quàm in gangræna & sphacelo, ut uidere est in excisione brachiorum & tibiarum.

Vulnera mẽbrorũ particularium quandò ipsis mortalia.

IVDICANTVR itidem membra ad usum à natura institutum fore inepta, & perpetuò impotentia, quandò nerui, tendones, & ligamenta (quos Græci syndesmos uocant) penitus sunt abscissa & destructa: suámque protinùs actionem perdunt, ac resiccari, & tabescere incipiunt.

Vulnera quando mẽbris ipotentiam adferunt.

VVLNERA ea omnium tutissima sunt, & omninò (ut dicũt) sanabilia, quæ in euchymis, id est, boni succi corporibus, & in locis carnosis accepta sunt, ubi & nerui pauci, & uenæ, & arteriæ non multæ reperiuntur. Adhæc, quæ diuisionis magnitudinem non habent, hoc est, longitudinem, latitudinem, aut profunditatem non multam. Periculum enim facit uulnus, quodcunque magnum est. Ratio autem ob quam hæc uulnera tutiorem habent curationem, omniúmque minimè formidanda sunt, est, quoniam ea nec febris, nec praua aliqua symptomata sequi consueuerunt, modò saltem rectè, & ut res expostulat, tractẽtur. Quocircà rectè ac prudenter feceris, si in tuis assertionibus, seu (ut dicunt) depositionibus hoc præfatus fueris, atque etiam addideris: dummodò nihil aliud superuenerit, quod nec impræsentiarum apparet, nec in talibus accidere solet,

Vulnera tutiorem curationem habentia.

Cor. Cel.

VVLNERA autem, quæ ut plurimùm sanabilia dicuntur, mediámque inter duo dicta extrema (nempe omninò sanabilia, & ex necessitate lethalia) naturam sortiuntur, ea sunt, quæ in capite musculorũ carnosorum longè à iuncturis & temporibus: item quæ in caluaria, quã Græci κρανίον nominant, thorace & uentre incidunt. Hæc enim si ritè, atque ex arte tractentur, adhibeatúrque diligens cura, & laborans obedientem sẽ præstiterit, in nullo propriè indulgens uoluptati, exterioráque omnia ritè adsint apparata, curationem indubiè recipere possunt,

Vulnera ut plurimũ sanabilia.

ſunt. Si uerò in ijs peccatum ſit, eorum curationem intercipi contingit, hominémque tandem ad interitum deduci. Proinde cùm de illis ferre iudicium uolueris, huius rei mentionem (ut nomini tuo conſulas) te facere oportet.

CAETERVM *ſi coactus fueris à magiſtratu, ſuper aliquo uulnere ſententiam ferre, eiúſque euentum, quantùm ars permittit, prædicere, imprimis annotandum tibi eſt, in ſchedis tuo chirographo obſignandis, quòd ex mandato ipſius magiſtratus, uulneratum inuiſeris, & uulnus ſeu uulnera omnia, ſi plura fuerint, diligenter & accuratè inſpexeris. Deindè uulnus aut uulnera nomine expreſſo ac proprio, unà cum affecto loco exprimere debes. Poſtremò tuæ cenſuræ cauſam, ac iudicij per te lati, rationem te ſubijcere oportet. At uerò interim te admonitum uelim, ne iudicium tuum in hac re præcipites, ſed maturè, prudenter, ac circunſpectè omnia definias. Quandoquidem (ut ait ille) omne in præcipiti uitium ſtetit. Et ut à ſeniore illo Hippocrate bonarum artium primario autore ſcriptum eſt, iudicium eſt difficile. Itaque tametſi terminus ultimus uulnerum ſit quadrageſimus dies: primus uerò intra ſeptem dies conſiſtat, & medius (iuxta formam & naturam acutorum morborum) ad decimum quartũ protendatur, in ſuſpectis nihilominùs ac dubijs uulneribus, expectãdus eſt dies ſeptimus, priuſquàm aliquid de illis decernas, aut iudices. Solent enim ut plurimùm intra id tempus apparere accidentia, tum bona tum mala, quæ poſt accepta talia uulnera ſupuenire conſueuerunt: febris inquam, ſyncope, mentis alienatio, ac perturbatio, ſpaſmus, & id genus alia. Sed & interim diligenter conſiderandæ ſunt uirtutum actiones, ex pulſu, lotio, uomitionibus, & alijs id genus, quæ foràs excernuntur. Contemplari etiam oportet laborantis appetentiam, tollerantiam, uultum ſiue faciem, & conſimilia. Ex ijs itaque, & conſimilibus præſagijs, quæ ab Hippocrate & Galeno memoriæ prodita ſunt, diligenter perpenſis & examinatis, robur uirtutis, morbi magnitudini conferes. Deinde tacitus apud te omnia recolliges, ut præſagire poſſis, ac iudicium ferre, num moriturus ſit æger ex accepto uulnere, an tandem conualiturus. Quã in re cautè ac prudenter te geres. Nec eſt quòd dicas, ſi non fuiſſet uulneratus, nunquàm interiiſſet, quantumuis in uictus ratione peccaſſet. Sed nec ſatis fuerit, ſi dixeris, uulneratum mortem nunquàm oppetiiſſe, ſi ſibi conſuluiſſet, ac omnia effeciſſet ſecundum rationem: ſcriptúmque eſſe ab Hippocrate, quòd non ſolùm medicum præſtare ſe oportet oportuna facientem, ſed & ægrum, & aſſidentes, & c. Quan-*

Formula ferẽdi iudicium de uulneratis ex ſcripto.

Apho. 1.

Apho. 1.

doquidem non ſolùm famæ tuæ conſulere, & te ab obloquentium calumnia uindicare debes: ſed nihil etiam uel dicere coram magiſtratu, uel ſcripto annotare, quod cedat in damnum uel detrimentum laborantis, & conſanguineorum, aut liberorum eius, culpam omnem ſic in eum reiiciendo. Eorum nanque quæ fortuitò contingunt, tametſi nulla ſit ars præſeruatrix: eſt tamen ars aliqua curatrix. Siquidem ut uarijs periculis noſtra corpora expoſita ſunt, ita & modis plurimis, ubi in ea inciderint, ſeruari poſſunt. Itaq;, ut ſcribit Auicennas libro quarto de extractione ſagittarum, licet uulnera quædam ſuâ naturâ lethalia ſint, non tamen ob id relinquendus eſt uulneratus abſque auxilijs: quin omnia aggredi ac tentare debet chirurgus, quæ ex arte, & ſecundum rationem fieri poſſunt, dummodò ſaltem ab aſſidentibus amicis, & conſanguineis ipſius ægrotantis obnixè rogatus fuerit, ac de futuro rei exitu coram eis antequàm uulneratum attingat, præſagiuerit, ut ſe ab indoctorum & oblocutuleiorum calumnia & maledicentia uindicet. Plæriq; enim præter ſpem medicorum modo quodam mirabili, ac ſtupendo, mortem interdùm euadunt, ac ſanitati reſtituuntur. Igitur cùm ſæpe etiam præter expectationem quædam eueniant, curatio aggrediunda eſt. Quòd ſi uulneratum ipſum omni auxilio deſtitutum relinqueremus, & inde mors ſequeretur, impij, ac inhumani meritò & diceremur, & haberemur. Sed ijs omiſſis, reliqua uulnerum iudicia perſequamur.

Auicennas.

Vulnerati nõ ſunt relinquẽdi ſine auxilio.

Plurima in morbis præter expectationem cõtingunt.

Vnio ĩ partibus organicis ſemel diuiſis eſt ĩpoßibilis.

IGITVR præter hæc te noſſe oportet, quòd unio in partibus inſtrumentarijs, ſemel continui diuortium perpeßis, eſt impoßibilis, ut Galenus adſerit libro artis medicinalis cap. nonageſimo. Cuius aſſertionis ratio eſt, quia abſciſsis omninò poris, ſeu meatibus, uenis inquam, neruis, & arterijs, per quos ueluti per canales quoſdam, alimentum, ſenſus, & uita, in ipſum membrum organicum diffundebatur, promptiſsimè expirant, exhalántue, tum ſpiritus, tum uirtutes, ob ſubſtantiæ ſcilicet quam habent tenuitatem: (quod non contingit in animalibus ijs quæ imperfecta uocantur, atque etiam in plantis ipſis) non autem propter impotentiam, aut repugnantiam medicamentorum, ut rectè adſtruebat Haly, in commentario loci nuper ex Galeno citati. Adhæc unio in parte carnoſa poßibilis eſt, etiam iuxta primam intentionem, ut dicunt. In oſſe uerò ex ſecunda duntaxat intentione. Vocatur autem hîc prima intentio, quandò partes diuiſæ, atque inuicem diſtantes, rurſus uniuntur, & coaleſcunt, ut priùs unitæ erant, idque abſque medio aliquo bete rogeneo, ſed ratione quadam ac beneficio nutrimenti, facta ſcilicet modica quadam conuerſione ipſius alimonij in carnem omninò uniformem,

&

& conſimilem priori. Secunda uerò intentio hîc intelligitur, quandò ea quæ diuiſa ſunt, & unionis diuortium perpeſſa, alia quapiam interueniente ſubſtantia, ceu glutino quodam alligantur, atque inuicem cõiunguntur. Porrò huiuſmodi medium, cuius interuentu partes oſſis fracti, ſeu diuiſi adalligantur, adglutinantúrue, Latinè callus, Græcè uerò pœrus ſarcoides nominatur. Qui quidem ex ſucco paulò craſſiore fit, quàm is ex quo os concreſcit. Cauſa autem propter quam fractum os nequeat coaleſcere, prima ſaltem intentione, eſt ipſius oſſis durities: cum mollium tantùm corporum (ut Galenus ait) in unum coëundi ſit habilitas: ut tum in externis uidere licet, nullo nec lapide cum lapide, nec teſta cum teſta coëunte: tum uerò in nobisipſis. Altera cauſa eſt, imbecillitas facultatis alteratricis, quæ altrix nuncupatur (oſſa enim particulæ ſunt exangues ac frigidæ) non autem inopia materiæ ſeminalis, ſeu ſpermaticæ, ut quidã putauerũt. Oſſa nanque præſens ſemper habent alimẽtum ſpermaticum, quod quidem alterant, & in ſuam conuertunt ſubſtantiam, ac ſibi aſſimilant. Nerui autem, uenæ, & arteriæ, inquit Auicennas, Galeni authoritate freti in quinto Therapeutices, mediam ſortiuntur naturam inter carnem & oſſa. Neq; n. tam facilè coëunt ut caro, neque tam difficile conglutinantur ut oſſa. Siquidem eorum natura mediocritatem obtinet inter mollitiem & duritiem. Proinde de unienda eorum ſectione, utique deſperandum non eſt, ubi tum ipſa ſit parua, tum hominis corpus natura molle: ſi uerò ſectio magna fuerit, & in duro corpore, nulla prorſus eius glutinandæ ſpes eſt. Vnde Galenus loco nuper citato ad hunc modum ait: Videtur autem experientia quoque ipſa rationi ſubſcribere. Cùm & in pueris & in mulieribus, propter corporum humiditatem, & mollitiam, eam [arteriam intelligit] uiderim glutinari, & in uno iuuene agreſti, cui exiguè erat inciſa. Qui autem eam inciderat, inquit ille, medicus admodùm iuuenis erat, & operum artis parum peritus, uenámque ſe incidiſſe putabat. Cùm enim brachium hominis, uenam inciſurus, deligaſſet, contigit attolli ueluti in gibbum arteriam, atque ita hanc pro uena diuiſit. Hanc autem inciſionem Galenus curioſè coniunxit, conglutinauit, & perſanauit. Verùm breuis ſanè (ut dictum eſt) inciſio erat. Quòd ſi utique magna, atque effatu digna fuiſſet, nulla certè ratione perſanari potuiſſet. Quod Hippocratis teſtimonio confirmatur ſexto aphoriſmorum ſic inquientis: Cùm diſciſſum fuerit os, aut cartilago, uel neruus, aut genæ particula tenuis, uel præputium, neque augetur, neque coaleſcit: hoc eſt, neque talis aliqua regignitur ſubſtantia, qualis abſciſſa eſt, neque unquã diſciſſi corporis la-

Callus. Pœrus ſarcoides.

Quare os fractum nõ coaleſcat.

Nerui, uenæ & arteriæ interdũ diuiſæ coeunt.

Arteriã ĩdẽ ſã aliquã dò uniri.

Aphor. 19.

bra agglutinantur. In hoc autem aphorismo, uox discissum, diuisionis magnitudinẽ significat. Discissa nanque (ut Galenus ait in comment.) diuisionem habent usque ad finem peruenientem.

Discißa q̃ dicantur.

Ossa puerorum fracta coalescunt.

CAETERVM nihil aduersus prædicta pugnat obiectio, quæ de ossibus puerorum adferri posset, quòd scilicet coalescere possunt, ut libro artis medicinalis Gal. adserit: quia mollitiam habent, & uirtutis robur, ob propinquitatem suæ natiuitatis. Sed nec priùs asserta infirmat, quod de dentibus obiici solet, quòd scilicet renascantur, non solùm in pueritia, sed etiam in alijs ætatibus. Quoniam non generantur (inquit Albertus) ex materia ordinata, sed ex superfluitate, non quidem à uirtute prima conformatrice, sed nutritoria inducente actum generatiuæ. Postremò iudicat Hippocrates sexto libro aphorismorum, quòd uulnera in corpore eorum, quæ aqua inter cutem laborant, non facilè sanantur. Non priùs enim curantur uulnera aut ulcera, quàm ad cicatricem perducantur. Non possunt autem ad cicatricem perduci, nisi sufficienter exiccentur: quod non factu est facile in ijs, quos aqua inter cutem malè habet, ob humiditatis immoderantiam, ut docuit Hippocrates in libro de ulceribus: & Auicennas his uerbis: Solutio continui, & ulceratio, & id genus alia, facilè ac citò curationem recipiunt, cùm in particulis fiunt, quæ bona præditæ sunt temperatura. Contrà uerò, si membra cacochyma occupauerint, plurimùm renituntur curationi, nec nisi tempore longo possunt ad sanitatem perduci. Sed multò adhuc difficiliùs curãtur, quandò corporibus eorum incidũt, qui uel hydrope laborant, uel lepra [id est, elephantiasi] aut aliqua alia praua temperatura. Præterea in quinto aphorismorum Hippocrates sic ait: Vlceribus frigidum quidem mordax, cutim obdurat, dolorem insuppurabilem facit, liuorem obducit, rigores febriles, conuulsiones, distensiones. Adhæc iudicatur, quòd insignes cõtinui solutiones malè curatæ, præsertim circa iuncturam, maciem inducunt sequenti particulæ. Et hoc quidẽ, propter obstructionem, & uirtutis debilitatem, ut iam semel dictum est, & infrà adhuc dicetur. Plurima adhuc alia præter supradicta, iudicia diligenti animaduersione obseruanda sunt, quæ in sequentibus, & in tractatu de ulceribus (quòd tam his quàm uulneribus sint communia) recensebuntur. Itaque finem his de uulneribus iudicijs imponemus, si quæ de ijs doctè, breuiter, atque ornatè scripsit Celsus, subiecerimus. Hæc enim uice anacephaleosis & compendij erunt eorum ferè omnium, quæ de iudicijs uulnerum hactenùs dicta sunt: uerba autem illius sunt hæc:

Albertꝰ Bononiensis.

Auic.

„ „ „ „ „ „ „ „ „ „

Seruari,

Seruari inquit, non poteſt, cui baſis cerebri, cui cor, cui ſtomachus, cui iecinoris portæ, cui in ſpina medulla percuſſa eſt: cuique aut pulmo medius, aut ieiunum, aut tenuius inteſtinum, aut uentriculus, aut renes uulnerati ſunt: cuiue circa fauces grandes uenæ, uel arteriæ præciſæ ſunt. Vix autem ad ſanitatem perueniunt, quibus ulla parte pulmo, aut iocinoris craſſum [quod Græci παρέγχυμα uocant] aut membrana, quæ continet cerebrum, aut lienis, aut uulua, aut ueſica, aut ullum inteſtinum, aut ſeptum tranſuerſum uulneratum eſt. Hi quoque in præcipiti ſunt, in quibus uſque ad grandes, intúſque conditas uenas in alis, uel poplitibus mucro deſedit. Periculoſa etiam uulnera ſunt, ubicunque uenæ maiores ſunt: quoniam exhaurire hominẽ profuſione ſanguinis poſſunt. Idque euenit, non in alis tantùm, atque poplitibus: ſed etiam in his uenis, quæ ad anum teſticulóſque perueniunt. Præter hæc malum uulnus eſt, quodcunque in alis, uel feminibus, uel inanibus locis, uel in articulis, uel inter digitos eſt: item quodcunque muſculum, aut neruum, aut arteriam, aut membranam, aut os, aut cartilaginem læſit. Tutiſſimum omnium quod in carne eſt: & hæc quidem loco uel peiora, uel meliora ſunt. Modo uerò periculum facit, quodcunque magnum eſt. Hactenus de iudicijs uulnerum.

„Lib. 5. Quæ uulnera iſa„nabilia „ſint Celſo

„Quæ uul„nera dif„ficilẽ cu„rationem „habeant.

„Periculoſa uul„nera.

„Malũ uul„nus.

„Quæ uul„nera tuti„orẽ habe„ant cura„tionem.

De curatione vulnerum in vniuerſum. Cap. IIII.

Omnium ſolutionum continuitatis, nedum uulneris, communis quidem curandi indicatio, ſeu (ut dicunt) intentio, eſt unitio, ut Galenus ait libro artis medicinalis cap. nonageſimo. Et ea quidem eſt prima indicatio omnibus nota, ab eſſentia ipſius affectus deſumpta, q̃ præcipit, atq; inſinuat, contrarium per ſuum contrarium propellendum eſſe. Hæc autem prima ac generalis indicatio, perficitur à duobus, nempe à natura, tãquàm à præcipuo agente, & cauſa effectrice, adiuta ſuis uirtutibus, & alimento conuenienti: & à medico tanquàm ipſius naturæ miniſtro, quatuor intentiones ſibimuicẽ (quod aiunt) ſubalternatas in animo habente, dum opus ſuum exercet, ut curationis finem propoſitum tandem aſſequatur. Prima iubet extrinſecus incidentia (ſi qua forſan labris ulceris intercidãt) amouenda eſſe. Secunda præcipit applicanda eſſe extrema diſtantium partium. Tertia docet ea in unum iam commiſſa & coacta, ita conſeruare. Quarta ſuadet ipſam partis læſæ ſubſtantiam tueri, ac ſalubrem ſeruare. His & quinta non abſurdè ſuperaddi poteſt, quæ docet accidentia,

Coïs ſolutæ unitatis curandi indicatio.

Intẽtiones in curandis uulneribus obſeruãdæ.

1.
2.
3.
4.
5.

tia uulneribus ſuccedere conſueta, corrigere, ac propulſare.

I. Prima intentio.

Primam intentionem aſſequemur dilatando uulnus, ſi non ſatis dehiſcat, aut ſi eius labris aliquid intercidat extraneũ, utputa uel oſſis particula aliqua pungens, & aſpera: aut telum aliquod infixum, ut ſagitta: uel mucro, uel aliquod aliud extrinſecus incidens: cuiuſmodi ſit ſpina, uel harundo. Atque ubi ſatis diducta fuerint labra uulneris, digitis, aut uolſella, uel forcipe, aut alio id genus inſtrumento à te, ut res expoſtulat, excogitato, quod infixum eſt, aut labris ulceris intercidit, apprehendi debebit, & leuiter, ac (ſi fieri poſſit) citra dolorem euelli, ut in ſequentibus docebitur.

DE SAGITTIS, PLVMBEIS GLANDIbus, & globis ferreis, ac quibuſcunque alijs telis, è corpore extrahendis.

Corpus multifariàm uulneratum.



Quomodò plumbea glans, aut globus, à ferentarijs, & leuis armaturæ militibus emissus, extrahatur.

De ſagittis,& quibuſcunque alijs telis è corpore extrahendis.

VT ſagittas,aut quæuis alia tela in corpus defixa, ſecundum rationem, & ex arte poſsis eximere, inueniendum tibi primũ eſt, quo inſtrumento id queas efficere. Modus autem inueniendi inſtrumenta,habetur ex contemplatione naturæ, ac diuerſitatis tum læſarum particularum,tum rerum defixarum. Itaque ex horum duorum, partis ſcilicet læſæ,& rerum infixarum,accurata conſideratione & cognitione, tertium ſtatim ſe offert: nempe modus euellendi tela in corpus infixa, qui certè uarius & multiplex eſt, ut ex ſequentibus patebit. Cæterùm tametſi diſcrimina, ſeu differentiæ telorum ac rerum infixarum, propemodùm ſint infinitæ, nec ſcriptis facilè mandari poſsint (proindè & formæ proiectorum ab hoſtibus, diligenter à chirurgo perquirendæ ſunt) Auicennas tamen conatur eas omnes differentias ad octo reducere. Has autem ſenario numero placuit nunc complecti. Itaque differunt tela,quæ noſtris corporibus infigũtur, materia,figura,magnitudine,numero,habitu,uiribus. Materia quidem,quatenus ea quæ imponuntur,& haſtilia uocantur, aut lignea ſunt, aut arundinea. Ipſa uerò tela, aut ferrea ſunt,aut ærea,aut ſtannea,aut plumbea, uel cornea,uitrea quandoque,aut oſſea:quinetiam arundinea,aut lignea conſpiciuntur. Figurâ autem euariant, quatenus alia ſunt rotunda, alia angulosa, nempe triãgula. Alia ſulcata,alia triſulca,hoc eſt, tribus ex partibus acie prædita. Nonnulla item ſunt ſpiculata,ſeu ſpiculis cincta,quæ uulgò barbulata uocant: nonnulla ſpiculis carent. Atque ex ſpiculatis,hæc poſteriora ſpectantibus,ſeu retrò uergentibus ſpiculis munita ſunt, ut dum extrahuntur,contrà defigantur. Illa in anteriora uergentia habẽt ſpicula, ut propulſata idem faciant,hoc eſt,infigantur,& lanient. Sunt etiam quædam, quibus utroque uerſum,fulminis inſtar,ſpicula extant,ut & dum extrahuntur,& dum intruduntur,propelluntúrue,corpus dilanient, & in obiecta infigantur. Sunt item quibus ferrum quibuſdam cardinibus ſeu uerticulis ita mouetur, ut ſpicula in impulſione contracta, in extractione explicentur, atque ita telum extrahi prohibent. Magnitudine quoque uariant tela, quatenus alia magna ſunt, ut trium digitorum longitudinem expleant:alia parua,ut unum digitum æquent: alia uerò medium inter hæc locũ occupẽt. Numerus etiam in his diuerſitatem adfert,quatenus nonnulla ſimplicia ſunt,nonnulla compoſita. Tenuia ſiquidem quædam ferramenta, ſiue ferrea fruſtula ipſis imponuntur, ac ſic innexa ſunt, ut in teli euulſione facilè lateant, & in imo relinquantur. Habitu differunt tela, quatenùs alia ferrum acutum ligno ſeu haſtilibus habent

1. Inſtrumẽtorũ iuẽtio
2. Modus inueniendi inſtrumẽta.
3. Modus extrahẽdi.

Sex telorũ differẽtiæ.
A materia ſumptæ differentiæ.

Differentiæ ſumptæ à figura.

Spiculatorũ diſcrimina.

Telorum diſcrimina ſũpta à magnitudine.
Numerus.

Habitus.

infixum,alia concauum,ita ut haſtile in ferri tubulum inſertum habeant: atque hoc alia firmiter, alia negligentiùs, ut dum euelluntur, relictum intus remaneat. Viribus demùm & facultate differunt,quatenus uenenо quædam ſunt oblita, hoc eſt, uenenata: alia uerò minimè. Atque hæ quidem ſunt telorum differentiæ. Nunc de inſtrumentis,quibus tela, & res extraneæ noſtris corporibus infixæ extrahuntur,dicendum eſt. Nam de ſedibus,in quas tela ipſa penetrarunt, poſteà agemus,dum ſcilicet de modo euellendi tela alia infixa,ſumpta à ſede affecta indicatione,commentabimur. Itaque inſtrumenta,quæ à telorum aliorúmque infixorum differentijs, & à particularum in quas penetrarunt uarietate, excogitantur, inueniuntúrque, licet ualde multa ſint, octo tamen apud Guidonem,& recentiores chirurgos ſunt magis communia.

Vires.

8. inſtrumẽta telis atq; infixis aliis reb⁹ extrahẽdis accõmoda.

1. Primum,ſunt forcipes ſeu, ut uulgò loquuntur, tenaculæ Auicennæ, quæ denticulatæ ſunt,& capita habent ad inſtar limæ. 4. fen. lib. 4.

2. Secundum, ſunt forcipes Albucaſis, in modum roſtri auis, etiam denticulatæ.

3. Tertium ſunt forcipes in modum cannæ ſiue arundinis,aut ſcriptorij calami concauæ, quas uulgò tenaculas cannulatas uocitant,ad ſagittas ſpiculis cinctas (quas barbulatas nominant) extrahendas accommodæ.

4. Quartum eſt,terebellũ inuerſum, quod in ferri infixi tubulum (quã doliam appellant)imponitur: ubi autem ſic tubulo immiſſum,ferrum apprehenderit:leuiter ferro ſequaci educitur.

5. Quintum inſtrumentum,eſt terebra in longum porrecta, dilatandis oſſibus(quibus tela firmiter inhærent) apprimè idonea.

6. Sextum, eſt exciſorius culter,ad amplificanda carnis uulnera, quò faciliùs infixa eximantur.

7. Septimum eſt propulſorium inſtrumentum, quod geminum eſt,nempe cauum,& ſolidum ſiue ſurdum: illud fœminam, hoc marem appellant. Iis tela protudimus, donec ab altera parte apprehendi, & extrahi poſſint.

8. Octauum eſt in modũ arcus illius,quem uulgò baliſtam uocant. Hoc autem,ictum telum excutitur,aut ut in ſequentibus dicemus,extrahitur. Horum autem aliquot formulas in ſequentibus depictas inuenies.

Mod⁹ extrahendi tela infixa duplex.

1. Attractio.

2. Propulſio.

Cæterùm extrahendorum telorum,quæ illata corporibus intus hæſerũt, modus eſt duplex, per attractionẽ unus,alter per protruſionẽ,ſeu impulſionẽ. Attractio fit ab ea parte maximè,qua uenit telũ,ſed interdùm etiã & ab ea in quã tetendit. Protruſio autem,ſeu propulſatus fit in partem oppo-

oppoſitam ei, ex qua uenit, infixúmque eſt. Horum autem modorum indicationes deſumendæ ſunt, tum ab ipſis telorum generibus, quæ ſuprà commemorauimus, tum ex illis ſedibus, in quas illa penetrarunt. De quibus mox dicam, ſi communia quædam præmiſero in extrahendis telis ſedulò obſeruanda. Si itaque telum in conſpectu ſit, ſic ut ſe habet, protinùs extrahendum eſt: ſin occultatum eſt, ita faciendum Hippocrates præcipit: Corpus uulnerati, (ſi tamen ipſe poterit) in ea figura conſtitui debet, in qua erat eo tempore, quo uulnus accepit, atque ita quò tetenderit telum, ſpecillo explorandum eſt. Si æger id non poteſt, iacens ſaltem ita debet collocari, ut quàm proximè fieri poteſt, ad eam figuram accedat. Si telum aliquod defixum primis conatibus commodè ac ſalubriter euelli non poſſit, ſic eouſque dimittere debes, donec circumpoſita caro emarceſcat, putreſcátque. Deinde intermiſſum opus aggredere, telum ipſum quod infixum eſt, modò huc, modò illuc agitando, ac manibus uel forcipibus leuiter ipſum contorquendo. ita enim leuiùs multo ac faciliùs telum extrahes, ut rectè præceperunt Auicennas, Brunus, & Albucaſis. Quanquàm aliter uiſum ſit Henrico. Hic enim uoluit ſtatim ac ſine mora, tela quocunque modo fixa extrahi. Si armatus homo telo ictus fuerit, nec poſſit leuiter, ac facilè telũ manibus euelli, uulneratum protinùs ſuis armis exui iubeto: & ritè apparatis omnibus, quæ ad opus eiuſmodi conducere uidebuntur, emiſſóque ac præfato (ut ſuprà dictum eſt) præſagio, forcipe communi apprehenſum telum (præſertim ſi ſagitta eſt) ipſum leniter contorquendo extrahito. Quòd ſi communi hac forcipe nihil promoueris, fortiores aſſumito. Si telum carni infixũ retrò, hoc eſt, ea parte qua uenit, recipiendum ſit, nec aliter educi poſſit, amplificanda ſcalpello, aut nouaculâ plaga eſt, quò faciliùs id ſequatur, quóque minor oriatur inflammatio: quæ maior quidem fit, ſi ab illo ipſo telo dum redit, corpus laniatur. Item ſi ex alia parte uulnus aperitur, laxius eſſe debet, quàm ut telo poſteà tranſeunte amplificetur. Summa autem utraque parte ita habenda cura eſt, ne neruus, ne uena maior, ne arteria incidatur. Quòd ſi horum aliquid detectum fuerit, excipiẽdum hamo retuſo eſt, abducendúmque eſt ſcalpello. Vbi autem ſatis inciſum eſt, telum eximendum eſt: tum quoque eodem modo, & eadem cura habita, ne ſub eo, quod eximetur, aliquid prædictorum lædatur. Si autem telum ita firmiter oſſi inhæſit, ut nulla ui extrahi poſſit, terebello (ut uocãt) directo diuiſionem amplificabimus, ac modo infrà ſcripto telũ liberabimus. Telo à corpore euulſo, non alia eſt uulneris medicina, q̃ quæ eſſet, ſi corpore icto nihil inhæſiſſet. Ergo uulnus ipſum, ut & cæ-

Coĩa quæ dã in extrahẽdis telis ſedulò obſeruãda.

„ 1.

„

„

„ 2.

3.

4.

Conſilium Celſi.

5.

tera alia uulnera, tractari ac curari debet, hoc uno addito, quòd qui ab infixo telo alteratus est sanguis, exprimi, ac educi debet, ut uulnus ipsum à putrilagine uindicetur. Ac perfundi quidem debet oleo calente, maximè si doloris adest suspitio. Si inflammationem experiatur, ad eam tollendam insuccatis lanis, fomentis, cataplasmatis, & consimilibus utemur. Si uerò inflammatione uacauerit, suturis (si opus fuerit) adhibitis, ꝑpositóq; medicamento, quod cruentis statim uulneribus inijci solet, curandum est. Cæterùm his communibus prælibatis, tempestiuum est, ꝑpria quædam de telorum extractione subijciamus: & quandò, ac quomodò attractione, uel propulsione, sit utendum, sumpta primùm (ut propositum est) indicatione ab ipsorum telorum generibus seu differentijs, dein ab ipsis sedibus affectis. Itaq; tela, quæ iaci ac uibrari solēt, magna ex parte sunt uel oblōga, & angusta, cuiusmodi sunt sagittæ: uel lata, uel rotunda, aut anguloſa, ut plumbea glans: uel ferrea, aut lapis, aut simile aliquid, quod ꝑrupta cute integrũ intus insēdit. Telum si oblongum est & angustum, cuiusmodi sagitta est, & facilè in corpus conditur, & altissimè insidit. Sæpiùs itaque alia parte, quàm qua uenit, sagitta educenda est: præcipuéque, quia ferè spiculis cingitur, quæ magis laniant si retrò, quàm si contrà trahuntur. Sed inde apertâ uiâ, caro diduci debet, ferramento ad similitudinem facto Græcæ literæ ϒ. Deinde ubi apparuerit, si mucroni arundo inhæret, propellenda est sagitta, donec ex altera parte apprehendi, & extrahi poßit. Si iam illa, arundo inquam, seu bastile decidit, solúmque intus ferrum est, mucro uel digitis apprehendi, uel forcipe, atque ita educi debet. Neque alia ratio extrahendi est, ubi ab ea parte qua uenit, euelli magis placuit. Nam ampliato uulnere, aut arundo si inest, euellenda est: aut si ea non est, ferrum ipsum. Porrò eximetur ferrum uel terebra inuersa, in tubulum (quam doliam uocant) immisso: uel forcipe, qua dentes atque eorum radices euelluntur: uel ferramento, quod à telo extrahendo belulcum Græci uocant: aut alio quopiam instrumento ad id accommodo. Nonnunquàm etiam carnem priùs incidentes, si uulnus instrumentum non recipit. Quòd si spicula apparuerunt, eáque breuia & tenuia sunt, forcipe ibi comminui debent, uacuúmque ab his telum educi. At si ea maiora ualentioráque sunt, fixis scriptorijs calamis, ut consulit Celsus, contegenda sunt, ac ne quid lacerent, sic euellenda. Alij spicula ipsa forcipibus seu tenaculis (ut uocant) camulatis apprehendunt, atque ita telum eximunt. Quòd si telum spiculis utroque uersum spectantibus cinctum in neutram partem sequatur, iuxta ipsum alia incisione patefaciēdus locus est, nisi uena

aut

Methodus eximendi tela, sumpta indicatione ab ipsorum differētijs.

Sagitta sæpiꝰ antror sum educēda.

Si sagitta spicalis cincta est.

aut tale aliquid impediat: atque inde ferrum undiquaq; explicatum modeſtè, ac ſine ulla uulſione tollendum eſt. Quidam etiam ſpicula eiuſmodi fixis calamis, ſeu exiguis arundinibus, priùs contegunt, ne quid lacerent, deindè ita euellunt, ea ſcilicet parte, quæ eductioni magis congruere uidebitur. Latum uerò telum ſi conditum eſt, ab altera parte educi non expedit, ne ingenti uulneri, ipſi quoque ingens uulnus adijciamus. Euellendum ergo eſt, genere quodam ferramẽti, quod Diocleum eraphiſcum Græci uocant, quoniã autorẽ Dioclẽ habet: quem inter priſcos, maximóſque medicos fuiſſe memoriæ proditum eſt, ut Cornelius Celſus annotauit libro ſeptimo, capite quinto. Tertium quoddam genus telorum eſt rotundum, ut diximus, aut anguloſum, ut lapis, plumbea glans, aut ſimile aliquid, quod ex funda aut tormentis bellicis mittitur, & p̃rupta cute integrum in corpus defigitur, ac latet. Tela autem eiuſmodi intus condita eſſe his notis deprehendes. Moles aſpera, atque inæqualis, (ſi contrectetur) ſubeſſe ſentitur. Plaga ſeu diuiſio non omninò in rectũ tendit, ſed & maior etiam ac amplior apparet: caro item contuſa liuidáque cernitur. Dolor præterea cum grauitate quadam infeſtat. In omnibus his, latiùs uulnus aperiendum, idque quod ineſt ea qua uenit, aut uncis, aduerſáue ſcalpelli parte, aut uulnerario ſpecillo recipiendum eſt, aut denticulata forcipe, ſi fieri poteſt, & eam uulnus admiſerit, extrahendum. Quòd ſi telum infixum ſic intùs lateat, ut nullo modo reperiri poßit, aut non ſatis commodè extrahi, tantiſper dimittendum eſt, donec natura ipſum protrudat, aut manifeſtet. Interdùm uerò tela infixa integra, intus cicatrice obducto uulnere citra noxam aliquam diu delituerunt. Deindè longiore temporis ſpacio partem eam abſceſſu occupante ac dirupto exiliere: quo facto, uulnera mox ad ſanitatem perducta ſunt, ea illis curatione adhibita, quæ alijs debetur uulneribus. Quod multis contigiſſe uidit Albucaſis, ut refert parte ſecunda ſuæ chirurgiæ. Hactenus de telorum extractione, ſumpta ab ipſorum differentijs indicatione: nunc de re eadem dicemus, ſumpta ab ipſis affectis ſedibus indicatione.

Latũ telum ab ea parte qua uenit, extrahẽdũ.

Rotundum telũ aut anguloſum.

Tertiũ genus telorũ ea parte qua uenit, extrahẽdũ.

Tela iterdũ diu in corpore delitescunt, perſanato uulnere.

Itaque ſedes in quas tela penetrarunt, uel caro ſunt, uel oſſa, uel articulus. Atque in ijs quidem partibus, uel altè telum inſedit, uel in ſummo duntaxat, aut ſaltem non admodum altè, & citra medium infixum eſt. Adhæc uel membrum unum duntaxat telo ictum eſt, uel particulæ plures ſimul confixæ ſunt, ita ut particula una telo traiecta, alteri affigatur. Igitur ſi in ſumma carne telum impactum eſt, aut certè magnas uenas, & loca neruoſa non tranſijt, nihil melius eſt, quàm qua uenit, id

Methodus extrahendi tela infixa, ſumpta à ſede affectã indicatiõe.

Si telũ in ſũma carne infixũ eſt.

euellere. Similiter etiam quod altè inhæſit, obiectæ uerò partes, id eſt, quæ ex diuerſo reſpondent, ſi conuulnerentur, uel ex ſanguinis profuſione, uel ex aliorum membrorum conſenſu, & conſortij lege periculum inuehant, euulſione qua parte infixum eſt, eximi debet. Illud autem digitis, uel ipſius teli arundine, ſeu haſtili (quod plærunque ligneum eſt) in ferri tubulum immiſſo, extrahemus. In quibus uerò altè telum in carne infixum eſt, & plus eſt, hoc eſt, longius ſpacium, per quod telo reuertendum, quàm quod perrumpendum eſt, iámque uenas neruóſque id pertranſiuit: breuiter cùm parum admodùm integræ carnis ex aduerſa parte ſupereſt: neque aliquid obſtat, quominùs contra mucronem inciſio commodè fieri poſſit, meliùs eſt aperire quod ſupereſt, eáque propulſatu telum educere. Nam & propiùs petitur, & tutiùs euellitur, & in maiore membro, ſi medium mucro tranſijt, faciliùs ſaneſcit quod peruium eſt, quia utrinque medicamento fouetur. Protrudi autem debet, uel haſtili ipſo, ſi inhæreat: uel ſi exciderit, propulſorio inſtrumento, cauo quidem, uel ſolido (quod & ſurdum quidam uocant) prout res exigit. Porrò ſi telum acumen (quod ὄυραχον uocant) habeat, (hoc autem ſpecillo deprehendimus) propulſorij inſtrumenti fœminam: ſi uerò tubulum ſeu concauitatem habuerit, marem demittemus, atque ita ferrum inſerto inſtrumento protrudemus, quoàd educi facillimè poſſit. At ſi etiam in oppoſita, ſeu ulteriùs telum proceſſerit, nec ea parte ipſum poſſit extrahi, qua infixum eſt, diuiſis ijs, quæ oppoſita ſunt, per illa ipſum eximemus, uel euellentes, ut dictum eſt, uel per eam partem in quam tetendit, ut modò diximus, ꝓpellentes, ſumma cura (uti monuimus) ſemper habita, ne uel neruũ, uel tendinem, uel maiorem uenam, aut arteriam incidamus. Turpe ſiquidem eſt, dum telum extrahimus, maiorem noxam inferre, quàm telum ipſum effecerit.

Si telũ altè in carne infedit.

Si telum in oppoſita ꝓ æſſerit.

Si telum oſſi inhæſit, non niſi attrahendo ipſum eximere tutum eſt. Eò autem uſque mouendum eſt, donec is locus laxetur, qui mucronem momordit, & tum uel manu, uel forcipe telum extrahendum eſt. Quæ ratio in dentibus quoque eijciendis eſt: & uix unquàm ita telum non ſequitur: ſed ſi morabitur, excuti quoq; ictũ aliquo ferramẽto poterit. Quidã tenaculis (ut uocant) ſeu forcipibus alligant arcum, quem uulgò baliſtam nominant, & laborante bene ſtabilito, intenſum ipſius inſtrumenti neruum, ſeu chordam remittunt, & ita telum extrahunt. Quòd ſi telum altiùs in oſſe deſederit (quod cognoſcimus, ſi firmiter id infixum, nulla ui moueatur, aut labet) exciſorio cultro, oſſe quod iuxtà eſt, excepto, aut etiam terebra (ſi craſſum ſit) priùs perforato, telum ipſum extrahemus.

Si telũ oſſi inhæſit,

Si telũ altiùs in oſſe demerſũ ſit

hemus. Sunt qui ab eo foramine terebra facto ad ſpeciem literæ † contra telum os excidunt, ſic ut lineæ, quæ diducuntur, ad telum ſpectent: quo facto, id neceſſe eſt, labet, & facilè auferatur. Quod remedium ultimum eſt. Alij terebra in rectum ac longum porrecta, quæ illis directa uocatur, oſſis percuſſi rimas conniuentes, & telum infixum mordicùs prehendentes, diducunt, atque ita facilè quod infixum eſt, extrahũt.

Inter duo uerò oſſa, ſi per ipſum articulum telum perruperit, circa uulnus duo membra faſcijs habenísue deliganda, & per has in diuerſas partes diducenda ſunt, ut tendones, ligamenta, & neruos diſtendãt. Quibus extentis, laxius inter oſſa ſpacium eſt, ut ſine difficultate telum recipiatur. Sed illud quoque uidendum eſt, ſicut in alijs locis ſeu particulis ſuprà monui, ne quis neruus, aut uena, aut arteria à telo lædatur, dum extrabitur, eadem ſcilicet ratione quæ ſuprà poſita eſt. At ſi particulæ plures confixæ fuerint, hoc eſt, ſi membrum aliquod telo traiectum, alteri affigatur, uerbi cauſa, brachium thoraci, aut cubitus alicui alteri corporis particulæ, aut crura inter ſe, hoc modo faciendum eſt. Si non per totum utrunque membrum penetret ſagitta aut haſta, eam ab exteriore parte, perindè atque in uno fieri conſueuit, apprehenſam extrahemus. Sin penitùs ambæ partes transfixæ fuerint, dimidia ligni parte ſerra reſecata, eas ligni partes quàm facillimo fieri poterit modò, ſigillatim euellemus.

Si telũ i articulo ſe inſerit duo oſſa demerſit.

Si partiales plures cõfixæ fuerint.

Porrò ſi uenenato quoque telo plaga facta eſt, ijſdem omnibus, ſi fieri poteſt, etiam feſtinantiùs actis, adijcienda curatio eſt, quæ uel epoto uenemo, uel à ſerpente, aut quouis alio uenenato animante ictis adhiberi ſolet. Cæterùm quod ad chirurgiam attinet, totam carnem, quæ ueneno iam mutata eſt, ſi quidem fieri poteſt, præcidemus. Agnoſces autem eam, quòd à ſana carne multùm diuerſa ſit. Pallida enim ſupra modum, ſubliuida, & ueluti mortua apparet. Sin carnem totam à ueneno immutatam circumcidere non poſſis, non alienum erit circa uulnus ſcalpello incidere, hoc eſt, ſcarificare, quò plus uitiati iam ſanguinis extrahatur. Dein uenenum admota uulneri cucurbitula, extrahendum eſt. Si cucurbitula non eſt, tum quodlibet ſimile uas, quod idem poſſit. Si ne id quidem eſt (quod tamen uix incidere poteſt) homo uilis aliquis adhibẽdus eſt, qui uulnus exugat. Sed illud ne intereat, antè debebit attendere, qui uulnus exuxerit, ne quod in gingiuis, palatóue, aliáue parte oris ulcus habeat: hoc pacto enim & ipſe tutus erit, & tutum hominem uulneratum præſtabit. Siquidem uenena (ut Celſus ait) non guſtu, ſed in uulnere nocent. Verùm priuſquàm hæc aggrediamur, telum ipſum

Si uenenato telo quis ictus eſt.

Venena nõ guſtu, ſed i uulnere nocent.

uti docuimus, eximendum erit. Atque hactenùs tradita eſt methodus de telis è corpore extrahendis. Cæterùm Nicodemi incantamenta, & inſuſurrationes, quas & coniurationes uocãt, quæ à Theoderico, & Gilberto referuntur, ne pili quidem facio, ut quæ meræ nugæ ſint, & Chriſtianum hominem non deceant. Medicamenta autem ea, quæ extrahendis infixis dicata ſunt, ſubindè Guido uſurpare ſolet in ſpinis, piſcium oſsiculis, lapidibus, uitri fragmentis, ſurculis, & oſsium fruſtulis eximendis: atque frequenti experimento ſe edoctum medicamentum ab Auicenna deſcriptum, inter cætera præſtantiſsimum eſſe, & efficaciſsimum. Recipit autem *fermenti, mellis optimi, aut aluearium ſordiciei (q̃ Græcè propolis dicitur) ſingulorum libram ſemis, uiſci quercini quart. unũ, ammoniaci quart. ſemis, olei quart. unũ: ex quibus oĩbus conficitur emplaſtrum, quod loco, cui fixum intus inhæret, ſuperponitur.* Rogerius *adſerit multiplici experimento comprobatum, quòd radix arundinis contuſa cum melle, & appoſita infixa ſine dolore extrahit. Plæraque alia ſunt in antidotario deſcripta, quæ uim habent attrahendi, & infixa euellendi, cuiuſmodi ſunt, dictamnum, thapſia, ſagapenum, ammoniacum, ariſtolochia, ranæ combuſtæ, & id genus alia.*

Emplaſtrũ Auicennæ, infixa ſtatim extrahens.

Hoc idẽ & Paul. Aeg. teſtatur.

SEQVVNTVR FORMVLAE ALIQVOT inſtrumentorum, quæ telis extrahendis idonea ſunt.

FORCIPES DENTICVLATAE, AD EVELlendum ſpinas, oſſicula aſpera & pungentia, aculeos quoque, & mucrones infixos, aliáque id genus acuta.



HOC GENVS forcipis, roſtrũ coruinũ quibuſdam appellatur, alijs ſerpẽtinũ inſtrumentum: quod ad ſecundum Guid. inſtrumentũ pertinere uidetur.



FORCIPES Albucaſis, ſubhac duplici formula depictæ reperiũtur, in uarijs exemplaribus. Hæ autem ſunt ſecũdum Guidonis inſtrumentum.



Alia forma forcipis dẽticulatæ, ad eoſdem uſus utilis, & apprimè idoneæ: ad quos & duæ aliæ præcedẽtes forcipum differentiæ.



Aliud forcipis genus, ad globos educendos, & tela ſpiculis cincta, obuerſáſq; cuſpides habẽtia. uulgares chirurgi barbatula uocant.



Inſtrumẽtũ, ad extrahendũ ferrũ inſixũ, tubulũ habens arundine ſeu haſtili uacuum. hoc uti poſſumus loco quarti inſtrumenti Guid. quod terebram inuerſam appellat.



Terebra directa, quod quintum eſt Guidonis inſtrumẽtum, ad ampliãda oſſa, quibus tela inhærent.



Formula forficis exciſoriæ, ad amplianda uulnera in carne accepta, quò faciliùs infixa eximãtur. Hoc ſextũ eſt Guidonis inſtrumentũ.



Formula impellentis caui, quod & propulſorium fœmina dicitur. Hoc ſeptimum eſt Guidonis inſtrumentum.



Formula ῖpellentis ſurdi, quod & propulſoriũ mas appellatur. Hoc etiam ad ſeptimũ Guidonis inſtrumẽtum refertur.

De ſecunda intentione curationis vulnerum.

SEcundam intentionem in curandis uulneribus (quæ eſt commiſsio diſſidentium, ſeu diſtantium partium coniunctio) aſſequimur per orarum adductionem, ſeu labiorum uulneris inuicem diſtantium attractionem, & applicationem, membrum ipſum læſum quàm fieri poterit leniſſimè tractando. Diſſidentium nanque coniunctionem ſeu agglutinationem (ut Galenus ait) præcedit neceſſariò orarum adductio. Quæ autem inducta ſunt, in idem adducuntur, aut uinculo ex duobus initijs circundato, aut ſutura, aut fibulis (quas Græci ἀγκτῆρας uocant) impoſitis, aut horum quibuſdam, aut omnibus. Quòd ſi uulnus (ut propoſuimus) ſimplex ſit, hoc eſt, ſolùm continui in carne diuortium, cum quo neque affectus ullus, neque ſymptoma ullum adſit, nec ualde magnum ſit, ſola faſcia orbiculatim circundata, diductæ partes committendæ ſunt. Ita enim uulnus procul dubiò coibit, & citra aliquam aliam extrinſecùs adhibitam curam coaleſcet. Huius autem conditionis & coaleſcentiæ effectrix cauſa, ſola certè eſt natura. At ſi magnum uulnus ſit, adeò ut inductæ partes in totum, atque exactè prædicta deligatura committi nequeant, futuris ipſæ adducentur: deindè ubi ſic deligatæ, aut futuris adductæ fuerint, glutinatorijs præſidijs utemur, quæ collectam humorũ ſubluuiem deſiccare, & conſumere queant: aliam uerò ne influat, prohibere. Plaga autem ea ſui potiſſimùm debet, quæ in molli parte accepta eſt, maximéque ſi diſciſſa auris ima eſt, ut Celſus ait, uel imus naſus, uel frons, uel bucca, uel palpebra, uel labrum, uel circa guttur cutis, uel uẽter: uix enim ijs partibus deligaturam uulnus admittit. Si uerò in carne uulnus eſt, biátque, neque in unum oræ facilè attrahuntur, ſutura quidem aliena eſt, imponendæ uerò fibulæ ſunt (ἀγκτῆρας Græci nominant) quæ oras paulùm tamen contrahunt, quò minùs lata poſteà cicatrix ſit: ferè autem fibulæ latius uulnus eſſe patiuntur.

2. Diſſidẽtiũ coniũctio.

Li. 3. The. Trifariàm diſtãtes oræ uulneris in idẽ adducuntur.

Vulnus ſimplex ex ſola partium cõmiſsione adglutinari poteſt.

1. Deligatura

2. Sutura.

3. Fibulæ.

De tertia intentione.

TErtius ſcopus, qui in curando ſimplici uulnere chirurgo proponitur, eſt, ut inductorum oræ, ita ut in unum per adductionem coniunctæ ſunt, conſeruentur, & maneant. Conſeruabuntur autem optimè huiuſmodi extrema, q̃ in unũ coacta ſunt, ijſdem ferè auxilijs, quibus & in idem adducta ſunt: nempe, decenti ligatione, appoſito membri ſitu, & futuris, ſi neceſſariæ uidebuntur. Porrò bifariàm ſimul manent, & adglutinantur quæ commiſſa ſunt: alia enim per ſe, alia ope aliorum ſubſiſtunt ac manent. Per ſe quidem, quæcunque ſecum concreſcunt, ac

3. Cõmiſsorũ cõſeruatio.

Dupliciter cõiũcta manere quæ cõmittũtur

coaleſcunt: aliorum ope, ut ea quæ colligantur, & quæ glutino aliquo tenentur: ac quæ concreſcant, coaleſcántue, omnino mollia naturaliter ſint oportet. Talis ſanè eſt (inquit Galenus) tum caro ipſa, tum quæcunque carnea, ex ipſa conſtitutione ſunt. Quæcunque uerò dura ſiccáque ſunt, eorum diuiſæ partes coïre ſimul nequeunt, alienum enim terminum nequaquàm admittunt: ſed glutinum aliquod uinculúmue, quo commiſſa maneant, requirunt. Et talium quidem ſanatio in ſequentibus præcipietur. Nunc de ijs quæ per ſe uniri poſſunt, inceptum ſermonem peragamus, & quomodò uulnus ligari conueniat, primùm dicamus.

Quomodò vulnus ligari conueniat.

Triplex genus deligaturæ.

DEligaturæ modi ſeu differentiæ tres ſunt apud Auicen, *fen quarta lib. quarti.* Nempe incarnatiua, expulſiua, & retentiua: ita enim eius interpres, & recentiores chirurgi eas nominant. Incarnatiua, quæ magis propriè adglutinatoria diceretur, recentibus tum uulneribus, tum fracturis accommodatur. Debet autem faſcia in hoc genere deligaturæ, à duobus initijs uerſus medium eiuſdem circumuolui, & principium deligaturæ fieri ex parte aduerſa loci uulnerati, ducendo, atque inijciendo alterum faſciæ principium uerſus partem ſuperiorem membri, alterum uerſus inferiorem. Ea uerò latitudine eſſe debet faſcia ipſa, ut ſemel iniecta, non uulnus tantùm, ſed uſque ad aliquid utrinque etiam oras eius comprehendat, quantũ uidelicet uidebitur neceſſarium. Si ab altera parte caro magis receſſit, ea melius attrahitur. Si æquè ab utraque, tranſuerſa comprehendere oras debet: aut ſi id uulneris ratio non patitur, media primùm inijcienda eſt, & tum in utranque partem ducatur. Cæterùm arctior eſſe debet ligatura ſuper locum læſum, quàm in partibus adiacentibus. Cauendum tamen ſemper eſt, ne uel nimis arcta, uel nimis laxa ſit. Quandoquidem quæ laxior eſt, non cõtinet: quod autem non continetur, elabitur. At uerò quod uehementiùs eſt adſtrictum, dolorem premendo excitat, & proindè fluxionem proritat, & phlegmonem accerſit, quandoque etiam gangrænam. Danda igitur opera eſt, ut uitato ambarum incommodo, utriuſque fruamur commodo. Id fiet (ut Galenus ait) ſi quod nimium eſt, declinabimus. Ergo nec adeò arctare deligaturam debebis, ut iam comprimat: nec adeò remittere, ut laxa ſit. Et, ut ſummatim dicam, deligaturæ terminus, ſit bona laborantis tolerantia. Cæterùm extrema faſciæ acu aſſuenda ſunt. Nam nodus (inquit Celſus) ulcus lædit, niſi tamen longè eſt. Et ſi neceſſitas deſideret, plures faſciæ inijciantur, & modo qui ſuprà dictus eſt, reuol-

1. *Incarnatiua ſeu adglutinatoria deligatura.*

Lib. 6. met.

Sic deligãda ẽ faſcia, ut & cõtineat, neq; adſtringat.

reuoluantur. Itaque hoc deligandi modo uulneris labra adamußim committuntur, & quominùs circa uulnus excitetur phlegmone, (cuius rei curam imprimis habere oportet) prohibetur: ut lib. ſexto methodi Gal. annotauit. Sunt qui pannum lineum duplicatum adaptant uulneri, & ſtringendo acu deſuper aſſuunt. Hæc de prima ligaturæ differentia.

2. Expulſoria deligatura

Secunda deligaturæ differentia, quæ expulſoria dicitur, antiquis ulceribus & ſinibus (quos cauernoſa ulcera uocant) propriè dicata eſt, hoc enim commodi præſtat in illis, quòd à fundo ad os collectam humorum colluuiem extrudit, & ne quid ampliùs in locum affectum confluat, ualidè prohibet. Hæc autem fit faſcia ab altero tantùm principio reuoluta, incipítque ab inferiore parte membri laborantis, ubi arctior eſſe debet. Ab hinc ad ſuperiorem partem facta circumuolutione, eam paulatim ſoluendo, diſpenſatur: ſi ſaltem os per quod ſanies emanat, ad ſuperiorem partem porrectum ſit. Interdùm enim inferiùs ſpectat. Voco autem hîc partem ſuperiorem cum Galeno, quæ uerſus cor, aut bepar uaſorum radices ſpectat. Rurſus radicem uaſis appellamus, priorem eius partem, qnæ iocinori propior eſt, uel etiam cordi. Porrò huiuſmodi ligatura adaptari ſolet membris inæqualibus, id eſt, quæ non ſunt æqualis craſſitudinis, cuiuſmodi ſunt tibiæ, ſcindendo faſciam ipſam, ſingulo quoque palmi interuallo: & eam ualidè acu aſſuendo, ab ea parte maximè, quæ gibba eſt, ſeu, ut dicunt, arcuata: laxè uerò à parte altera dorſali. Hoc autem genus ligaturæ utiliſſimum eſt in antiquis ulceribus, uaricibus, & tibiarum inflationibus.

Deligatura expulſoria fit inferne ſuraſum. Li. 5. meth. med.

3. Deligatura retinens.

Deligatura quæ retinet medicamenta, accommodatur membris, in quibus non poteſt fieri arctatio, ſeu ſtrictura, neque alia deligatura, ut in collo, & uentre, atque omnibus abſceſſibus, & diſpoſitionibus dolorificis. Hæc autem perficitur, linteolo, ſeu faſcia unicũ finem, ſeu (ut dicunt) caput habente: uel quæ ſit multorum capitum ſeu brachiorũ, prout res exigit. Atque eius deligaturæ principium, ſuper locum affectum iniicietur, & in parte oppoſita, uel nodus, uel potiùs ſutura fiet. Talis autem deligatura leniter, & citra dolorem, cùm appetet tempus, ſolui debet. Quòd ſi linteola nimis adhæreant, ea tantiſper uino madefacito, donec facilè ſeparari poſſint: faſcia uerò ad uulnus deligandũ, lintea aptiſſima eſt Galeno libro ſexto Therap. quæ nec nimiùm mollis, nec nimiùm dura ſit. Quod enim molle nimiùm eſt, & algæ ritu fragile, non tutò continet. Quod uerò durum nimis eſt, premendo offendit. Sit igitur ex panno ueteri, non tamen nimis detrito, ſuaui, leni, & mũdo: eáque latitudine, & longitudine, quam natura partis deſiderat. Vt

Quæ faſcia uulneri deligando aptiſſima.

ſi humerus tibi deligandus ſit, faſciam quæ latitudinem ſex digitorum habeat, aſſumes: at ſi femur, quinque: ſi tibia, quatuor: ſi brachium, trium digitorum. Si uerò digitus ligari debeat, unius digiti latitudine faſcia aſſumenda erit. Eius uerò longitudo ſit, pro ratione numeri iectionum, hoc eſt, pro neceſsitate reuolutionum. Hoc igitur, ut & multa alia, quæ ſcriptis mandari non poſſunt, medici, ac chirurgi ingenio, quod (ut Damaſcenus ait) tum artem, tum naturam operantem magnoperè adiuuat, committitur. Sed & ad hoc non parùm confert, cognitio conformationis ipſius particulæ laborantis: ut quarto Therapeutices Galenus » *his uerbis expreſsit. Deligare (inquit) commodè ægram particulam* » *non poſsis, niſi priùs uel ex figura, uel poſitura, uel utriſq; indicationem* » *ſumpſeris. Hactenùs de modo deligandi. Nunc de qualitate, & modo ſuendi.*

De ſutura in vulneribus facienda.

Sutura triplex.

Triplex ſutura communiter fieri ſolet in uulneribus, agglutinatoria, quam incarnatiuam uocant: ſuppreſſoria ſanguinis, & labiorum in unum adductorum, ad tempus conſeruatrix. Sutura incarnatiua omnibus his plagis ſeu uulneribus in molli parte acceptis, competit, quorum labra ſic inuicem diſident, ut ſolâ ligaturâ in unũ adduci non poſsint, & quibus nihil iam extraneũ inter ipſas oras intercipitur. Sed & recentia eſſe debent uulnera, quibus hoc genus ſuturæ accõmodatur: uel ſaltem ſi uetera fuerint, ac dura, calloſa q; labra habuerint, per ſcarificationẽ, aut cutis ablationem, ſanguine emiſſo renouata. Hæc autem fit quinque modis. Primò, filo forti, æquali, & læui, cuiuſmodi eſt ſericum in communibus ſaltem uulneribus, primum punctum faciendo in medio diuiſionis uulneris, deindè alterum in medio ſpacio utriusque lateris, & ita deinceps procedendo, ut inter duo quæcunque puncta, punctum intercedat, donec uulneris labra ritè cõmiſſa fuerint. Itaq; neque nimis rara, neq; nimis crebra ſutura eſſe debet. Si enim nimis rara eſt, nõ continet: Si nimis crebra eſt, uehementer afficit. Quia quò ſæpiùs acus corpus tranſiuit, quóque plura loca iniectum uinculum mordet, eò maiores inflammationes (inquit Celſus) oriuntur. Sic igitur ſutura oras iungat, ut ne ipſæ quidem inter ſe ex toto contingant. Quòd ſcilicet, ſi quid intus humoris concreuerit, ſit quà emanare, ac effluere poſsit. Solent autem communiter unius digiti tranſuerſalis ſpacium inter iniecta uincula relinquere. Porrò acus longa, ac læuis eſto, cuſpide triangulari, cauda uerò excauata, ut in ea filum recondatur, & tranſitum acus non remoretur. Ita enim mitiùs corpori inſidit. Cæterùm cannula habeatur feneſtra-

1. *Vſus ſuturæ agglutinatoriæ.*

Modi quinque ſuturæ agglutinatoriæ.

Lib. 5.

Acus qualis eſſe debeat

neſtrata, cui incumbat, ac imitatur altera pars labij uulneris, ne ſcilicet huc atque illuc euagetur, dum acus intromittitur: & ut per feneſtellam uideri poſsit, quandò acus pertranſierit. Atque ubi iam acus traiecta fuerit, unà cum filo trahatur: ſed interim uulneris labrum, quod prope filū eſt, ſpecillo huic parti applicato, ueluti fulcimento, & adminiculo imitatur, ne dum filum extrahitur, labrum etiam conſequatur. Ligetur aũt primò duabus inuolutionibus, ſecundò una duntaxat, deindè filū ſcindatur, aliquantulùm remotè à nodo.

Secundo modo fit ſutura incarnatiua, ſeu agglutinatoria, acubus, aut pinna cum acu introducta. hac autem utimur in magnis uulneribus, & profundis, in quibus labra plurimùm inter ſe diſtant. Atque tot numero acus imponendæ ſunt, cum filo in eas intromiſſo, quot neceſſariæ uidebuntur. Filum autem circa eas reuoluendum eſt, eo modo quo mulierculæ facere ſolent, dū ſuas acus ſuper manicas aut capitia aſſeruant: atq; hoc modo relinquuntur uſq; ad uulneris conſolidationem. 2. Secũdus modus ſuturæ agglutinatoriæ.

Tertio modo fit ſutura hæc agglutinatoria dicta, ueruculis æqualibus ex ſtupis uehementer cõtortis, & gracilibus, ad modum ſcriptorij calami, uel feſtucæ, longitudine ferè medij digiti. Quòd ſi uelimus ſuturam longo tempore perdurare, pinna, ſeu ſcriptorius calamus, loco ſtuparum, aſſumi debet: fit autem ad hunc modum. Vtraque uulneris ora traijci debet, acu filum ducente. Deindè facto per idem foramen recurſu, ex ea parte qua uenerat, recipienda eſt: ſic quidem, ut anſa una remaneat, ea parte, qua remeauit. In qua alterum ueruculi extremum imponendum erit. Poſteà fines amborum filorum, euntis inquam & redeuntis, conſtringito, & ſuper alterum ueruculi caput ligaturam facito, ibíq; fila reſcindito, & ueruculum hoc pacto uſq; ad perfectam uulneris coïtionem relinquito. 3. Tertius modus ſuturæ ĩcarnatiuæ. Anſa.

Quarto, eiuſmodi ſutura fit, fibulis (quas Græci ἀγκτῆρας nominant) diſiunctas, atq; hiantes uulneris oras committendo. Sunto autem fibulæ ipſæ uel maiores, uel minores, pro ratione partis uulneratæ: ab utraque uerò parte recuruæ, figatúrque hamus unus in altero uulneris labro, & uerſus alterum ducatur, in quo & alter hamus infigatur, ut facere ſolent qui pannos tũdendo apparant. Hæ autem (fibulæ inquam) quibus hiantis plagæ oras ſic contrahimus, nullam uim deſiderant, ſed eatenùs utiles ſunt, quatenùs cutis ducentẽ quaſi ſua ſponte ſubſequitur. 4. Quartus modus ſuturæ agglutinatoriæ.

Quinto modo diductæ uulneris oræ committuntur, pannis utrinque admotis, qui figuram triangularem referant, & ea ſint magnitudine, quæ membro læſo congruere uideatur. Qui ſuturæ modus, in ijs maxi- 5. Quĩtus modus ſuturæ incarnatiuæ.

mè locis conuenit, in quibus uolumus cicatrices, facta uulneris agglutinatione, non apparere, ut in facie. Panni autem eiuſmodi, uiſcoſo linimento, ac pertinaciter adhærente oblini debent, quòd recipiat puluerem ſanguinis draconis, thuris, & maſtiches, ſarcocollam, picem, & pollinem, id eſt, farinam uolatilem molendinariam. Quæ omnia cum oui candido liquore ſubigi debent, & in unitatem redigi. Atque ubi linimenti formam ea iam induerint, ſupra dictos pannos extendi debent, qui utrinque poſteà ad latera uulneris, ad pollicis unius diſtantiam ſupra uulneratam partem agglutinandi ſunt. Vbi autem hæc panni fruſtula ſic linimento oblita, deſiccata fuerint, ingenioſè, & ut oportet, conſui debent. Quo facto, uulneris labra coïbunt, & agglutinabuntur.

2. Sutura ſanguinem ſupprimẽs.

Sutura ſanguinem ſupprimens, fit acu filum trahente, traiectis oris uulneris utriſque, per modum reuolutionis, uti pelles conſui ſolent. Ea autem utimur, quandò alia non datur uti, propter magnum ruentis ſanguinis impetũ, accepto in uenis uulnere. Sed & hæc utilis eſt ad tranſuenda inteſtina, cùm ſauciata ſunt: ad panniculos quoque uulneratos, & loca carne deſtituta. Verùm non admodùm tutus eſt hic conſuendi modus. Quandoquidem diſrupto puncto uno, cætera relaxantur.

3. Modus ſuturæ tertius.

Sutura quæ labiorum in unum attractorum eſt conſeruatrix, fit ut & reliquæ aliæ: uerùm non æquè arcta eſſe debet. Eo enim duntaxat nomine fit, ut ſimul maneant, quæ commiſſa ſunt, tantiſper dum uulnus coaluerit. Competit autem huiuſmodi ſutura uulneribus in carne, aut molli parte acceptis, in quibus magna facta eſt dilaceratio, & carnis deperditio. Hac enim facto unionis diuortio, ſeiunctæ partes in unum adducuntur, quò citiùs coaleſcant. His etiam uulneribus rectè accommodatur, è quibus in poſterum aliquid extrahendum eſt. Illud autem de ſuturis ac fibulis in uniuerſum diligenter obſeruandum eſt, ut illis nunquàm utamur, antequàm uulnus intus purgatũ ſit (niſi cùm magna ſanguinis profuſio ſupprimenda eſt) ne quid ibi concreti ſanguinis relinquatur. id enim & in pus uertitur, & inflammationem mouet, & glutinari uulnus prohibet. Sed ne linimentum quidem, quod ſupprimendi ſanguinis cauſa inditum eſt, inibi relinquendum eſt: nam id quoq; inflammat. Comprehendi uerò ſutura uel fibula, non cutem tantùm, ſed aliquid etiam ex carne (ubi ſuberit hæc) oportebit, quò ualentiùs inhæreat, neq; cutem abrumpat. Vtraque optima eſt (ut uoluit Celſus) ex acia molli, non nimis torta, quò mitiùs corpori inſidat. Sed neque rara nimis, neque nimis crebra (ob ſuperiùs adductas rationes) ſutura aut fibula injcienda eſt. Neutra etiam uim ullam deſiderat, ſed eatenus utilis eſt, qua

Lib.5.

cutis

utis ducentem quaſi ſua ſponte ſubſequitur. Cæterùm tũc appetit tempus remouendæ ſuturæ, cùm ea, quem deſideramus effectum præſtiterit. Modus autem remouendi talis eſt: Specilli caudam, id eſt, anguſtũ mucronem, filo ſupponito, filúmque ipſum mox ab ſcindito. Poſteà latum ipſius ſpecilli mucronem, labro uulneris per quod filum educitur, ſuperponito. Ita enim pulchrè uitabis, ne quid filum euellendo laceretur.

Tẽpus, & modus repo nendæ ſuturæ.

De modo conficiendi puluillos, & eorum vſu.

TEmpeſtiuum autem eſt, de puluillis (qui uulgaribus chirurgis pluma ceoli nuncupantur) aliquid obiter dicamus: hi enim ad multa utiles ſunt. Quandoquidem diſſolutas ac diductas partes fulciunt, & comprimunt: membri, quod ſuæ unionis diuortium patitur, genuinum calorem fouent, & conſeruant. Denique à graui moleſtóque uinculorum ac faſciarum pondere, uulneratam particulam tuentur. Fieri autem quondam ſolebant ex pluma inter duos pannos candidos, et mundos conſuta, unde & nomen illi à ueteribus inditum eſt. Verùm quoniam eos ſubindè mutare, & innouare (quod ualde tædioſum erat) cogebat neceſsitas, magis poſteà placuit eiuſmodi puluillos ex ſtupis canabinis conficere, præſertim diligenter, ac ſtudioſè pexis, emundatíſq;. Fiunt etiam interdùm ex lana uel xylo, quod cotonem appellant. Plærique autem hodiè loco puluillorum, panniculos admouent læues, id eſt, non aſperos, duplicatos, aut triplicatos: alij uerò ſpongiam adaptant. Porrò duo, uel tres, pluréſue, prout res expoſtulat, apponuntur. Quandoque quidẽ ſicci, ac nullo madentes liquore: nonnunquàm uerò imbuti oui cãdido, uel uino, uel poſca, id eſt, oxycrato: aliquoties etiã oleo, iuxta ipſius diſpoſitionis exigentiam. Inueniuntur autem huiuſmodi puluilli ex triplici differentia, quòd ad figuram attinet. Alij enim triangularem, alij rotundam, alij uerò quadratam, habent. Qui figura conſtant triangulari, glutinandis uulneribus (ut placuit Auicennæ) ſunt dicati. Ita autem diſponi debent: unus ex utroque latere orarum, ſeu labrorum uulneris, conſtituatur ita, ut ſuper plagam, inter ſe iungantur lateribus. Qui rotundam habent figuram, ſicci aliis ſuperponuntur, natiui caloris particulæ læſæ conſeruandi gratia, & ut ſanioſam proluuiem, ac ſordidos ichores in ſe recipiant. Sed qui quadrati ſunt, ideò apponuntur, ut partem læſam à faſciarum & uinculorum iniurijs uindicent.

Vſus puluillorum.

Ratio nominis.

Materia puluillorũ.

Numerus.

Figura.

Triangulares.

Rotundi.

Quadrati.

De penicillis ſiue turundis (quas tentas vulgò appellant) & linamentis formandis, deque eorum vſu multiplici.

TVrundas ſeu penicilla, & linamenta (quæ & lichinia uocant) maximo eſſe uſui in curandis uulneribus, & præcedentia luce clariùs oſtendunt, & omnibus in aperto eſt. Proinde quandò, quomodò, & ad quos fines illis ſit utendum, chirurgo haudquaquàm eſt ignorandum. Adhæc, ex qua materia, & qua figura formari debeant. Itaque illis utimur, in octo præſertim caſibus.

In quibus uulneribus utẽdũ turũ dis, & linamẽtis. 1.

Primo, cùm uulnera uel amplianda ſunt, uel detergenda, uel cùm aliquid ab eorum fundo uacuandum eſt: ut in profundis uulneribus, in quibus neceſſum eſt alibi uulnus aperire, ut ex fundo, & ſinu ipſius, ichores, id eſt, ſanioſa colluuies, inibi collecti uacuentur.

2. Secundo illis cogimur uti, in cauis uulneribus, in quibus neceſſaria eſt carnis deperditæ regeneratio.

3. Tertio in uulneribus alteratis ab aëre, & ſordidis, q̃ deterſione egẽt.

4. Quarto in uulneribus contuſis.

5. Quinto prædictorum uſus utilis eſt, in uulneribus, quæ cum phlegmone, aut quouis alio tumore præter naturam fatigant.

6. Sexto in uulneribus, quæ per morſus fiunt. Talia nanque uulnera nõ ſunt feſtinanter agglutinanda, & ad cicatricem perducenda. Quin potiùs longo tempore aperta & hiantia manere debent. Quandoquidem morſus ferè omnis (ut Celſus ait) quoddam uirus habet, quod foràs ſemper euocandum eſt, non intrò repellendum, nec occluſo uulnere intùs relinquendum. Sed de his fuſiùs in ſequentibus dicetur.

Lib. 5. „ Omnis ferè morſus habet quoddã uirus.

7. Septimo turundis, & linamentis utimur, in uulneribus, in quibus perſanandis circa oſſa manus admouenda eſt.

8. Octauo in uulneribus, quæ iam uetuſtate in ulcera defluxionibus ſcaturientia degenerauerunt. Porrò in omnibus alijs reliquis uulneribus, inducendæ cicatrici ſtudemus, abſque eiuſmodi turundis, & linamentis. Aduertendum autem eſt, in ijs diuerſitatem non paruam eſſe, pro ratione finis, cuius gratiâ fiunt, & admouentur: fiunt autem interdùm, ut diximus, ad detergendas ſordes uulnerum, atque tum ex panni non aſperi, & præſertim ueteris, lacinijs, uel floccis euulſis, formantur. Nonnunquàm uerò ideò fiunt, & in uulnus immittuntur, ut ipſum hians, & apertum maneat. Ac tunc quidem ex ſtupis bene pexis; & à ſordibus ritè emundatis, uel ex prædicti panni fruſtulis, efformantur: uel etiam ex xylo (quem cotonem uocant) ut Razes facere ſolebat. Sed & ex canna ænea, uel argentea perforata fiunt penicilli ad eundem finem: ut uerbi gratiâ, in naribus, ad aëris inſpirationem, & in altis uulneribus, ut ſanies, & purulenta colluuio, per hanc uelut emiſſariũ feratur,

Vſus, et materia turũ darũ & linamentorũ

Tente annulee,

tur, & foràs egrediatur, non autem intùs retineatur. Quandoque etiam hæc, linamenta inquam, & penicilla, plagæ inferuntur, ut ipſius os magis debiſcat, & amplietur, fiúntque tunc aut ex ſpongiolis uehementer compreſsis, & intortis, aut ex radice gentianæ. hæc enim dum multum humorem, quo ſcatet uulnus, combiberint, turgeſcunt, & ita magis hiantem plagam reddunt. Cæterùm forma linamentorum æqualis eſſe debet, turundarum uerò inæqualis, in modum clauiculi lignei, quem Latini impagem uocant, ne ſcilicet intrò labantur. Hæc autem aliquoties quidem ſicca, quandoque uerò quopiam delibuta unguento admouentur, prout res ipſa exigit. Reliqua quæ ad eiuſmodi operationes ſpectant, medentis conſilio, & ſolertiæ committuntur.

Impagez, cheuille.

De quarta intentione curandorum vulnerum.

4. Subſtantiæ part.s conſeruatio.

QVarta intentio in curandis recenter acceptis uulneribus eſt, particulæ læſæ ſubſtantiam conſeruare, ac prohibere ne ipſa dolore, uel phlegmone, aut aliquo alio prauo ſymptωmate (quod uulneribus ipſis accidere ſolet) infeſtetur. Hunc autem ſcopum aſſequimur, admotis emplaſtris, & linimentis, ex oui candido, & aliis huiuſmodi refrigerantibus, ut rectè docuit Razes, primis ſaltem diebus. Poſteà uerò uino ſtyptico particula perfundēda, & figura aptiſsima collocanda eſt. Apertio quoq; eáque interdùm ex aduerſo in uulnerata parte molienda eſt. Neceſſaria etiam eſt nonnunquàm ſanguinis miſsio, item & purgatio: ut mox docebitur. Sed & proba uictus ratio (quam ſtatim præſcribemus) imprimis eſt obſeruanda, ſi quartum hunc ſcopum cupis aſſequi. Porrò nihil aduerſus hæc, quæ commentantur, pugnat, quod plærique obiiciunt, uulnera ſcilicet inquantùm uulnera, iis tam uariis, támq; multiplicibus auxiliis non indigere. Hoc enim dictum ſolùm locum habet in paruis occaſionibus, & eucratis, id eſt, bono habitu præditis corporibus. In magnis uerò occaſionibus, & in plethoricis corporibus, uel uitioſo ſucco refertis, neceſsũ eſt ad prauorum ſymptωmatum (quæ recentibus uulneribus ſuperuenire conſueuerunt) præcautionem, prædictis uti auxiliis. Quod Galenus innuere uidetur libro ſexto methodi medendi, his ferè uerbis: Fingamus quempiam ad nos uenire, cui tantùm cutis acu ſit punctа, hunc hominem, ſi is ſit cui facilè [ob bonam corporis habitudinem] ulcera ſaneſcant, etiam ſi citra medicamentum, nudóque membro, ad opera conſueta dimittas, nihil ſentiet mali: ſin ex eorum numero ſit, qui difficulter ſanentur (quia ſcilicet uel plethoricus ſit, uel uitioſis ſuccis prematur, uel acris ſit ſenſus, uel horũ quibuſdam, omni-

Ga. lib. 6. meth.

„ omnibus ne prematur) primùm quidem dolebit, pòst etiam tum pulsu
„ particula infestabitur, tum phlegmone. Porrò in omni membro carnoso,
quod suæ unionis solutionem patitur, nerui, uenæ, & arteriæ reperiuntur, quæ praua quædam accidentia inducere possunt. Nempe dolorem, phlegmonem, sanguinis profusionem, conuulsionem, & id genus alia. Quibus summa diligentia medentem occurrere oportet. Occurret autem facilè, si ea præsentierit, & præcognouerit, ut primo libro præsagiorum testatus est Hippocrates, ad hunc modum scribens, Nihil perindè medico conducibile est, quàm ut futura præsentiat: ita enim (ut Galenus locum hũc interpretans ait) de longinquo obuiàm it malis.

De sanguinis detractione in vulneribus.

Li. 4. met. ex Hipp. „ OMni recèns facto uulneri (nisi in uentre sit) expedit (inquit Galenus) ex ipso statim sanguinem plus, minúsue effluere. Quippe hoc
„ modo phlegmone minùs tentabitur, tum ulcus ipsum, tum quæ circum-
„ posita loca sunt. Itaque si medicum imitatorem esse oporteat, non naturæ tantùm (ut subinde nos monet Hippocrates) sed etiam eorum, quæ cùm sua sponte ueniant, conferunt. In recenter autem acceptis uulneribus præsertim magnis, & præualidis, expedit (ut diximus) sanguinem effluere: hic certè si minimè, uel minus quàm par sit, effluxit, quod deest, ipsi adjcias oportet, sanguinem scilicet ex uena detrahendo. Porrò trifariàm uulnera, ut & reliqua omnia alia uitia magna grauiáque redduntur, ut Galenus ait libro quarto methodi medendi: nempe uel propter afflictæ partis præstantiam, uel propter affectus uim, seu magnitudinem, uel propterea quòd sunt cacoëthe, id est, maligna. Cuiusmodi sunt quæcunque in articulis accepta uulnera sunt. Hæc enim doloris, uigiliarum, conuulsionis, & delirij periculum adferunt. Quòd scilicet ibi tendones, & nerui, & carne uacua, atque ossea loca sunt. Vulneris igitur magnitudo, unà cum uirium robore, mittendum sanguinem indicat: quanquàm qui uulneratus est, prorsus redundantiæ sanguinis sit expers. Quo fit, ut in artis operibus errent, qui in sola sanguinis abundantia, ipsius detractionem consulunt. Porrò nos sanguinem detrahimus, in recentibus, & nuper acceptis uulneribus, non solùm ne pars læsa, aut circumposita loca (ut superiùs dictum est) phlegmone tententur, sed ut impetũ quoq; ruentis sanguinis cohibeamus, & nimiũ profluuiũ impediamus. Hi enim sunt præcipui scopi mittendi sanguinis in recenter illatis uulneribus. Cæterùm si perpetuum est, quod ab Hippocrate (ut
Lib. 4. met. med. „ Galenus ait) didicimus, incipientem (inquam) fluxionem ad contraria

In uulneribus præualidis sanguinem mittendum esse.

Vulnera trifariã magna redduntur.

Quæ sanguinem mittendũ indicent in uulneribus.

Sãguis cur in recenter acceptis uulneribus mittatur.

trahen

trahendam, & reuellendam esse: fixam uerò iam in laborante particula, uacuandam esse, uel ab ipsa particula quæ affligitur, uel à maximè uicina. In promptu nobis, & de sanguinis detractione colligere nunc est, quòd in principio hæc è longinquo, posteà ab ipsis exulceratis partibus sit emolienda. Modum uerò, seu quantitatem uacuationis, tum ex redundantiæ modo, tum ex copia sanguinis, qui è uulnere effluxit, inuenies. Adhæc ex ætate, natura, tempore anni, regione, & consuetudine. et ante hæc, ex ipsa laborantis uirtute. Venæ autem secandæ electio ex laborante particula indicatur. Vt si uulnus in capite, collo, aut facie acceptum sit, humeralis in cubito, uel manu, secanda est. Si ea non cernitur, media, quæ ex ea deriuata est. Interiorem uerò (quam basilicam uocant) incidere utile est, in ijs, quibus inferiores collo partes usque ad renes & umbilicum uulneratæ sunt. Hac non comparente, certè media, quæ ab ipsa diducta in iuncturæ apparet flexura, diuidenda est. Vbi enim uena (ut Galenus ait libro de phlebotomia) quæ parti affectæ propria est, obscurior fuerit, & ad mediarum aliquam aperiendã accedis: omnino tibi conãdum est, ut eã quæ à propria diducitur, potiùs incîdas. Est uerò, et quæ inferiores sunt cubiti iunctura, eas scilicet quæ in ulna existunt, nihil secare prohibeat, ubi nimirùm quæ in cubito sunt, non apparẽt. Sed eas certè, q̃ in rectum sunt, id est, è directo sitæ, & à uenis quas in cubito si apparuissent, alioqui secassemus, diductæ. Porrò quẽadmodùm prædictæ omnes partes, ubi sic uulneratæ fuerint, ut sanguinis, ob causas superiùs adductas, egeant detractione, in cubito secta uena iuuantur, uti dictum est: sic quæ renibus inferiores sunt, illis quæ poplites, & malleolos decurrunt. Ac perpetuò quidem in omnibus, dum sic reuellere studes, aut uacuare, & phlegmonem probibere, uena quæ è directo est, secanda uenit. Manu tamen uulnerata (uti & eadem, incipiente phlegmone, laborante sanguine ualenter, ac nimis copioſè in eã irruente, crus quod è directo est, reuulsionis gratia, tibi scarificandum erit. Altero uerò crurum sic ex uulnere malè habente, reliquum crus scarificabis, aut in eo poplitis, aut malleoli uenam secabis, uel certè potiùs (ut consulit Aëtius) ex brachio quod è directo est, sanguinẽ detrahes. Si autem renes, uel partes illis adiacentes, recens uulnus acceperint, quod sanguinis emissionem desideret, uel propter ipsius affectus magnitudinem, uel ne phlegmone tententur, uena in cubito interior incidi debet, tametsi renes ipsi ambigant, quibus partibus, superioribús ne, an inferioribus adscribi debeant, ut Galenus annotauit, libro de curandi ratione per sanguinis missionem. Verisimile enim est, plus sanguinis

Si fluxio ualenter irruat, ad cõtraria reuellẽdum.

Modus uacuationis ex quibus indicatur.

Venæ secãdæ electio, ex parte uulnerata iudicatur.

Venæ poplitis & malleoli, quandò secandæ.

Semp è directo secãda uena.

Auersio à manu, & ab altero crure.

Si renes, aut partes circũpositæ uulnus aperint.

ad

ad ipſos ex ſuperioribus partibus, quàm ex inferioribus confluere. Non negauerim tamen, quin & ex cruribus ſanguis commodè detrahi poſſit. Cæterùm in hac re tam ardua, támque magni in arte medendi momenti, nihil unquàm moliri debet chirurgus, citra periti alicuius medici conſilium, ut iam alibi ſemel, atque iterùm monuimus.

De purgatione in vulneribus molienda.

Aluus quãdò ducẽda in uulneribus.

Purgatio quandò in uulneribus neceſſaria.

SI uulneratus aluo fuerit adſtricta, ea indita glande, aut clyſteri iniecto ſubducenda eſt: uel caſſia, aut manna, aut aliquo eiuſmodi leniente medicamento per os accepto, citanda. Porrò ſi uitioſi ſucci in uulnerato corpore ſubſit abundantia, uel uulnus prædualidum ſit, puro etiamnum exiſtente corpore, & citra cacochymiam, ijs lenibus modò dictis auxilijs nequaquàm contentus eris, ſi ſaltem Hippocratem ducẽ ſequutus fueris, & eius interpretem Galenum: ſed fortioribus pharmacis, purgationem per aluum molieris. Scribit nanque Hippocrates, & poſt eum Galenus (qui nec caſſiam, nec mannam nouerant) purgationem per aluum his uulneribus ualde utilem eſſe, quæ in capite ſunt accepta: item quæ in uentre & articulis. Prætereà in ijs quæ ſuuntur, aut deliguntur, id eſt, quæ adeò magna ſunt, ut ſuturis indigeant, aut ſi non bis, certè deliguatura. Sic autem ad uerbum ſcribit Hippocrates:

Hipp. li. de ulceribus

„ Purgatio per aluum plærisque ulcerum prodeſt: prætereà uulneribus quæ
„ in capite ſunt accepta: item quæ in uentre, tum inferiore, tum ſuperio-
„ re (qui ſub thorace eſt) & articulis. Adhæc ijs in quibus oſſi caries impendet. Prætereà quæ ſuuntur, & exeduntur, & quæ ſerpunt, & re-
„ liquis quæ ulcera diuturna reddunt, etiam quæcunque deliganda ſunt,
„ per aluum purganda ſunt.

Morbi magnitudinẽ indicatricẽ eſſe purgatiõis adhibẽdæ in uulneribus.

His itaque uerbis (ut Galenus ait, locum hunc Hippocratis exponens) clarè docuit Hippocrates, ulceribus omnibus, & uulneribus, quoties prædualida ſunt, purgationem eſſe utilem. Atqui purgantia medicamenta, quæ Galeno & Hippocrati in uſu erant, multo ſunt uehementiora (ut ex eorum ſcriptis conſtat) quàm uel caſſia, uel manna, uel etiam rhabarbarum, quæ priſcorum ſeculo ignota fuerunt. Si ergo illos imitari uoluerimus, fortioribus medicamentis corpora non modò in diuturnis ulceribus, ſed in recentibus quoque uulneribus repurgabimus. Quanquàm ea non probentur recentioribus medicis, ob eas cauſas, quas mox ſubiungemus. Meminit autem eo loci Hippocrates ſeorſum, eorum omnium, propter quæ, non modò uulnera ac ulcera, ſed etiam reliqua alia omnia uicia, grauia magnáque reddũtur. Nempe præſtantiæ partis, cacoëthiæ, & magnitudinis affectus.

Purga-

Purgationis igitur in uulneribus adhibendæ, duæ potiſsimæ ſunt, ueluti & miſsionis ſanguinis, indicationes. Nempe morbi magnitudo (quam omnium primus adinuenit Hippocrates) & uitioſi ſucci abundantia, quod Galenus quarto methodi medendi ijs uerbis expreſsit: Purgatio non in ſola uitioſi ſucci abundantia conuenienter ſuſcipitur: ſed ſicut miſsio ſanguinis, uel propter ipſius abundantiam, uel propter morbi magnitudinem, ita purgatio, & propter abundantiam alterius cuiuſquàm ſucci, & propter uim morbi adhibetur. Igitur cùm in uulnerato corpore uincit ſanguis, eius redundantiã uenæ ſectione ſtatim uacuabis. Cùm uerò ſuccorum uitium abundat, pharmacum adhibebis, quod ad flauam bilem, uel atram, uel pituitam educendam uim habet. Sed & per uomitum quandoque uacuationem molimur in ipſis uulneribus, ſi ſaltem Galeno aſſentimus. Si enim (inquit) fluxio ualenter irruat, reuellere ad cõtraria ſtudebimus, utique ſi in ſuperioribus uulnus conſiſtat, per inferna purgantes. Si autem in inferioribus ſit, ſuperiorem uentrem uacuantes. At ſi iam fluxio reſtitit, atque in membro inhæſit, deriuare per uicina magis expedit. Quibus uerbis nos docet Galenus, purgationem interdùm adhiberi in recentibus uulneribus reuulſionis ad contrarium (quam Græci antiſpaſin uocant) gratia. Quæ etiam conuenienter ſuſcipitur, tametſi nulla in corpore ſubſit uitioſi ſucci abundantia, quam uacuare intendamus.

Duæ purgationis i uulneribꝰ adhibendæ, indicationes.
1. Vis morbi.
2. Succorũ abundãtia.
Vomitus i uulneribꝰ. utilis.
Lib. 4. Therap.
Scopus alius purgationis i uulneribus.
Antiſpaſis.

De potionibus, quæ vulneratis exhiberi conſueuerunt.

QVanquàm autem Galenus, & Hippocrates, purgationem in uulneribus, per ualida etiam medicamenta, quæ ſuis temporibus in uſu erant, adhibendam eſſe præcipiant: Nos tamen eiuſmodi ualentibus medicamentis, in recentibus uulneribus, nec uti conſueuimus, nec cuiquã utendum eſſe conſulimus. Sicuti neque alijs potionibus, quas nonnulli recèns uulneratis propinant. Quandoquidem purgantia iſtiuſmodi medicamenta, & pocula (ut ſic dicam) uulneraria, quæ communiter offeruntur, facultate calida ſunt, & aperientia. Proinde & ſanguinem cõmouent, & hæmorrhagiam concitant, uulnúſque ad inflammationem atque abſceſſus diſponunt. In diuturnis tamen ulceribus, fiſtuloſis, & canceroſis, illis audacter utimur. Adhæc, cùm ſanguis in interaneis in grumos concreuit, & cùm purulenta colluuies, in pectore collecta eſt. In glandulis quoque interioribus, ſtrumis, ac hernijs, ſeu (ut dicunt) crepaturis, ut ſuis locis dicetur, quandoque purgationem concedimus. Quita men Guidonem præceſſerunt chirurgi, ut Rogerius, & quatuor illi famati

Valẽtia medicamenta purgãtia i uulnerib. reliquis ſuæ ſpeciẽ eſſe.

Potio ĩ uulneribus,& fracturis à quibuſdam exhiberi ſolita.

mati magiſtri, in omnibus indiſcriminatim uulneribus,itidem & in fracturis omnibus potiones offerebant, confectas ex rubia,ſeu erythrodano, quam uulgò rubeam maiorem uocant (ex qua plus quàm ex cæteris aſſumunt) tanaceto,ſeu athanaſia, cannabe, braſsica rubra, myrrhide (quæ ſpecies eſt geranij, uulgò herba Roberti nuncupata) geranio altero, qui noſtris herbarijs pes columbinus appellatur, ſymphyto, quam aperta ſignificatione (licet non ſatis concinnè) poſteriores Latini conſolidam uocant: plantagine, cynogloſſò,hoc eſt, lingua canis, pinpinella, elatine,quæ piloſella uulgò nominatur, caryophillata, & conſimilibus. Ex quibus quidem ſuccum exprimebant, uel ea in aqua,uino, & melle, decoquebant. Et unoquoque die,ex ſucco aut decocto ipſorum, quantitatem ſeſcunciæ,id eſt,unciæ unius & ſemis, manè ieiunis offerebant.

Herba Robertina.

Modꝰ & tẽpus potiõis exhibendæ

Super uulnus uerò manè etiam,& ueſperè, folium braſsicæ rubentis inuerſum apponebant, & facta decenti ligatura, manè rurſum, & ueſperè ipſum commutando, ita relinquebant. Aſſerunt autem eiuſmodi Empirici unum,quod ego planè ridiculum iudico. Nempe quòd ſi potio aſſumpta, uomitione reijciatur, ſiniſtrum quid portendi. Si uerò eam uentriculus continuerit, & talis per plagam egrediatur, qualis per os aſſumpta eſt, fauſtum, ac bonum quoddam omen portendi. Sed hæc, ſi dijs placet, uera ſunt. Cæterùm in maiore adhuc errore uerſãtur, Theodoricus,& Henricus, qui recenter uulneratis,præſertim in capite, & pectore, fortiſſima quædam & calidiſſima pigmenta (ita enim uocant potiones quaſdam ex melle,uino,& puluere res multas uehementer calidas recipiente,compoſitas) cum quibuſdam exorciſmis,ſeu adiurationibus propinabant, aut ex ijſdem rebus ueluti pulticulam conficiebant, quam in modum emplaſtri ſuper linteolum extenſam, uulneri apponebant.

Fabuloſum.

Error Theod. et Hen.

Vide Theo. lib. 2. ſuæ chirurg. cap. 3.

De ratione victus in vulneribus, & continui ſolutione, obſeruanda, à medico præſcribenda.

Victus tenuis.

VVlneratis primis ſeptem diebus (intra quos utplurimùm ſecuri eſſe ſolent à febre & inflammatione) uictum tenuem, & parcum, frigidũ quoq;,& humidum,præſertim ſi iuuenes,& plethorici fuerint, atque ambiens calidus,inſtituito.

Vinum.

Vinum omnibus, dum febris,dum inflammatio eſt, interdicito.

Carnes.

A carnibus duris, & ualentibus,piſcibus magnis,& prauũ ſuccum generantibus, pane non fermentato (quem azymum uocant) malè ſubacto,& improbè cocto,eos arceto.

Caſe-

Caſeum, præſertim ſalſum, & ueterem, fructus ferè omnes, allia, cepas, ſinapi, ſalita omnia, & acria, nec non ſpecies omnes aromaticas, ne guſtent, admoneto. Caſeus. Fruct⁹, etc.

Perdices autem, pullos, atque auiculas, quæ in dumetis uerſari ſolent, aqua roſarum alteratas: ptiſſanam hordeaceam, quam uulgò hordeatum, & hordeum mundatum appellant: item lac amygdalinum, & quod auenatum uocant: iura quoque carnium ſimplicia, aut cum ouis præparata, illis in cibum permittito. Auiculæ. Ptiſſana hordeacea.

Ex oleribus, lactucam, portulacam, boraginem, (quæ buglóſſum eſt hortulanum) prætereà olus, quod Arabes aſpanar, nos uerò nomine parùm mutato, ſpinacium, & ſpinargium dicimus, & alia id genus, illis concedito. Olera.

Aqua cocta illis potus eſto: ſed in qua cibarius panis, qui Græcis ſyncomiſtos appellatur, uel plurimùm furfuris habens, ſordidus dictus, maceratus fuerit. Vel eius aquæ ſimplicis loco, cremor ptiſſanæ, aqua hordei, uel (ſi debiles, aut ſenes fuerint) uinum aliquod ſtypticum, id eſt, auſterum, quod craſſæ ſit ſubſtantiæ, plurimâ aquâ dilutum: aut ſi tenue concedatur, illud ſit oligophoron, id eſt, parùm aquæ ſuſtinens. Aqua pro potu.

Breuem, ac frugalem illis cœnam imperato. Cœna.

Leuem frictionem, ſed his partibus, quæ longiùs abſunt à uulnere, adhibeto. Frictio.

Vt quieſcant, iubeto. Optimum enim illis (inquit Celſus) medicamẽtum quies eſt. Moueri autem, & ambulare alienum eſt, ſed ijs præſertim, qui in inferioribus partibus uulnerati ſunt. Quies. Motus.

Vt uenerem ſummoperè deuitent, ſubmoneto. Venus.

Item iram, contentionem, & omnes uehementes animi motus. Affectus animi.

Cæterùm ubi uulneratus à phlegmone, & abſceſſu fuerit aſſertus, pleniore uictu tutò uti poteſt, & ad priſtinam conſuetudinem paulatim redire. Vtatur igitur tunc uino aliquo generoſo, & carnibus probum ſanguinem generantibus, ac naturam, hoc eſt, uires refocillantibus. Cuiuſmodi ſunt carnes gallinarum, caporum, & ueruecum, ſeu caſtratorũ arietum, & quæ eius generis ſunt. Quòd autem talis uictus ratio utilis ſit, & accommoda uulneratis, ex eo comprobatur, quoniam uirtutem fulcit, & corroborat, neque febrem commouet. Sed nec phlegmonas, nec hæmorrhagiam concitat, ac præter hæc, alimonium utile & conueniens ſumminiſtrat. Proindè hanc ſummoperè commendant, in recèns acceptis uulneribus, tum celebres medici, ut Galenus, Haly, Razes, Auicenna: tum etiam recentiores chirurgi, Brunus inquam, Guilielmus à Salliceto, Victus pauló plenior, quãdò uulneratis cõcedẽdus.

Vulneratiâ uino per initia abſtineant.

& Lanfrancus, à quorum ſententia,& opinione deſciuerunt, Theodoricus, & Henricus, qui ab initio diætam uinoſam, & calidiſſimam uulneratis præter rationem imperabant. Aiebant enim uulneratorum imbecillam uirtutem protinùs firmandam, ac roborandam eſſe, idque uini potione commodè præſtari. Quorum nimirùm ſententiæ in totum aduerſatur Galenus libro primo Aphoriſmorum, commentario quarto, ſic inquiens, In ægrotantibus rarò accidit, ut robur corporis maius reddere, quàm acceperimus, ſtudeamus. Magna uerò ex parte properamus in longis quidem morbis, fouere uires: in acutis uerò parùm debilitatas conſeruare. Et ſubdit: Nam ſi eas tales, quales accepimus, properemus in iſtis ſeruare, uel etiam augere, ſemper addemus ad morbum. Quibus uerbis apertè docet Galenus, non ſemper uires in ægris augendas eſſe, aut roborandas, ſed ſatis eſſe interdùm, ſi eas conſeruemus, & fulciamus. Niſi forſan adeò imbecillæ, ac proſtratæ fuerint, ut quæ ab illis ſumitur indicatio, cæteris alijs indicationibus ſit præferenda.

Vires ſi mor bis nõ eſſe augendas, ſed dũta xat fouẽ das, et ſer uandas.

Therap.7. Quod ſanè in omnibus uulneribus non contingit. Adde quòd ubi contrariæ, & ex aduerſo pugnantes inter ſe ſunt indicationes, committendum non eſt, ut dum alteri nimiùm ſis intentus, alterius omninò obliuiſcaris, ſed utriuſque memor, quoàd licebit, miſcere eas oportet, ut libro ſeptimo methodi medendi Galenus nos edocuit. Quod præceptum (inquit) ubique memoriâ teneri uelim. Vnde & circa finem octaui prædictæ methodi ſic inſit. Ergo tum exercitatum in omnibus, tum naturâ prudentem eſſe medicum conueniet: quò cuiuſque indicationis poteſtate diligenter conſiderata, omnibus inter ſe collatis, unam idonei uictus ſummam, quæ laboranti ſit commoda, comparet. Itaque, ut ſemel dicam, uulneratis per initia, uſque ad diem ſeptimum (intra quod tempus ferè ſolet phlegmone in locis uulnere affectis excitari) uini uſus interdici debet. Niſi tamen ex largo ſanguinis profluuio, uiribus deſtituti, intermorientes appareant. Tunc enim ante ullam curationem (ut Celſus ait) uino reficiendi ſunt, quod alioqui inimiciſſimum uulneri eſt. Tranſacto uerò die ſeptimo, illis (ſi nihil aliud prohibeat) innocuè uinum, modicum, & aqua multa dilutum, exhiberi poteſt. Nam ſi ad hunc uſque diem nec phlegmone tentetur, nec dolore afficiatur, in poſterum tutus erit. Atque hæc de quarta intentione, quæ læſæ particulæ ſubſtantiam conſeruandam eſſe indicabat, dicta ſufficiant.

Gal.8.met.

Vini uſus interdicẽdus uulneratis uſq; ad diẽ ſeptimum.

De quinta intentione, quæ medico chirurgico proponitur, in curandis uulneribus, quæ eſt ſymptωmatum correctio.

Quin-

QVintam intentionem, quæ eſt accidentiũ ſuperuenientium correctio, & profligatio, aſſequimur, remedia cuique propria, prout res deſiderat, admouendo. Symptωmata autem ſeu accidentia, quæ cõſueuerunt euenire poſt accepta uulnera, & ſolutam unionem, hæc ferè ſunt: Dolor, phlegmone, diſcraſia ſeu intemperies, febris, pruritus, conuulſio, paralyſis, ſyncope, mentis alienatio ſeu delirium, durities, atque impotentia membri uulnerati. Itaque uulnera nũquàm ad integram curationem perduci poſſunt, niſi eiuſmodi ſymptωmata priùs abigantur. Symptωmata enim quæ magnitudine ſuperant ſuas cauſas, ordinem curationis ſæpè peruertunt, immutant, atque interpellant: ut libro primo ad Glauconem, & duodecimo methodi medendi Galenus annotauit. Itaque operæprecium duximus, de horum ſingulis, ordine, & continuata ſerie pertractare, à dolore ſumentes initium.

Symptωmatũ correctio

Symptωmata, quæ uulneratis accidunt.

Symptωmata interdũ curationem puertunt.

De ſedando dolore in vulneribus.

DOlor omnis, præſertim uehemens, etiam ſi purum ab excrementis totum corpus fuerit, fluxionis cauſa eſt. Particula namque quæ dolore affligitur, ſuccum, atque in uulnere ſanguinem maximè ad ſe trahit, copioſiorẽ ſcilicet, quàm ſit illi ex uſu: unde & phlegmone in ea frequenter excitatur. Proindè ſumma cura protinùs adhibenda eſt, ut dolor demulceatur, ac in totum, ſi fieri poteſt, ſedetur. Dolorem autem cõmodè ſedamus in uulneribus, aut ſaltem mitigamus, facto ad particulam læſam fotu, uel ex roſaceo, ſi præſtò adfuerit, uel ſi eius copia non ſit, ex oleo communi, quod modicè incaluerit. Quibus ſi cui candidum, uel potiùs luteum (ubi magna non fuerit inflammatio ſeu uehemens caliditas) adiyciatur, præſtantius adhuc auxilium efficies, neque ita uulnus inquinabis. Quòd ſi tam uehemens dolor extiterit, ut neceſsitate coactus fueris, aliquantulùm uulneratam, ac dolentem particulam ſtupefacere, oleum papauerinum admouebis. Et ſi maior cogat neceſsitas, opij momentum, uel mandragoræ (ut quidam rectè conſuluerunt) adiycies. Quatuor illi celebres magiſtri ad eum finem laudant radicem ſolani, tritam, & axungia porci exceptam. Theodoricus plurimùm commẽdabat emplaſtrum ex folijs maluæ coctis, & in mortario contritis, cúmque furfuris cribratura commixtis. Quòd ſi roſacei momentum prædictis adieceris, melius adhuc medicamentum reddideris. Medulla etiam panis triticei in aqua feruenti macerata, ad ſedandos dolores (ut ſuprà diximus) efficaciſsima eſt. Porrò ſi dolor admodùm uehemens eſt, nec ullis, quantumuis generoſis, auxilijs mitigetur, neruum tunc læ-

Dolor plegmonas & fluxiones concitat.

Dolorẽ ſedantia in uulneribus.

Emplaſtrũ Theodor.

Roſaceum.

Medulla panis.

ſum eſſe ſignificatur. Proinde tunc ad ea quæ poſteà ad uulnera neruorum ſcribuntur, tibi recurrendum erit. Sed de ijs, quæ dolorem leniunt, iterùm ac multo fuſiùs libro ſexto agemus.

Curatio aduerſus vulnerum inflammationes, & abſceſſus.

Inflãmatio quibus maximè uulneribus accidat.

INflammatio in uulneribus tum maximè timenda eſt, cùm uel os, uel neruus, uel cartilago, uel muſculus, læſionem accepit, aut ubi parùm ſanguinis, p modo uulneris fluxit. Ergo quoties quid tale erit, ſanguinem maturè ſupprimere non oportebit, ſed pati fluere, dum tutũ erit: adeò, ut ſi parùm fluxiſſe uidebitur, mitti quoque ex brachio debeat: utique (inquit Celſus) ſi corpus iuuenile, & robuſtum, & exercitatum eſt: multóque magis, ſi id uulnus ebrietas præceſſit. Quòd ſi muſculus læſus uidebitur, præcidendus erit. Nam percuſſus punctúſue, præſertim in eius capite, mortiferus eſt: præciſus uerò per tranſuerſum, ſanitatem recipit, hoc eſt, ab inflammatione, & conuulſione uindicatur. Aliquis tamen ex particulæ motibus uitiabitur. Verùm melior eſt (ut Galenus ait) læſio, quàm mors. Sic & neruum punctum ſæpe cogimur tranſuerſum præcidere, quoties ſcilicet uel conuulſiones, uel deliria, uel ambo magna ægréque ſanabilia ſuperuenire uulnerationi cernimus. Porrò ſi iam inflammatio, aut tumor aliquis præter naturam, in uulneribus concitatus fuerit, curari debebit iuxta methodũ ſuperiore libro à nobis traditam, in quo de tumoribus præter naturam abundè diſſeruimus. Cæterùm tametſi pro locorum differentia (ut libro primo de locis affectis Galenus ait) curationem quoque uariari contingat, Auicennas tamen omnibus indiſcriminatim partibus à capite ad pedes, emplaſtrum mirè ab eo cõmendatũ admouet, quod conſtat malo Punico dulci, incocto in uino ſtyptico, & poſteà in mortario ſubacto, atq; in emplaſtri formã redacto. Cæterùm ſi enatus tumor nec reprimentibus, nec per halitum digerentibus medicamentis ceſſerit: pus mouentia ſeu maturantia, admouenda erunt. Cuiuſmodi ea ſunt, quæ ad maturanda apoſtemata ſuprà retulimus. Huius rei gratiâ iubet Rogerius fieri fotum ex maluis, abſinthio, arthemiſia, & farina triticea, uino incoctis, quibus & mellis momentum adijciendum eſt, axungiæ uerò quod ſatis eſſe uidebitur. Quòd ſi pus per uulnus non uacuetur, aliud loco commodiore illi moliendum erit emiſſarium.

Lib. 5. 3. meth.

Melior eſt læſio quàm mors.

Emplaſtrũ Auicennæ, ex malo Punico dulci.

De tollenda in vulneribus intemperie, quam diſcraſiam vocant.

Si flam-

SI flammea quædam citra humorum affluxum diſpoſitio, quam diſcraſiam calidam uocant, uulnus occupauerit (quod ex rubore & ueſſicatione facilè deprehendes) affectum locum infrigidare oportet, non hyoſcyamo quidem, aut mandragora, quoniam plus iuſto refrigerant: ſed roſis potiùs, & plantagine, atq; unguento albo, quæ præter id quod deſiccant, moderatè etiam refrigerant. Si autem frigida intemperies locum obſederit (quam mollicies, & cutis liuidus color oſtendunt) ipſum excalfacies, non reſina, uel pice, aut aſphalto, quod dæmonis ſtercus appellant: ſed uino, & unguento nigro, aut fuſco, uel eo, quod baſilicon uocant. Quòd ſi eiuſmodi ſymptωmata uulnus, ſeu plagam degenerare faciant in ulcus, recurrendum erit ad ea, quæ de ulceribus ſequente libro traduntur. Porrò ſi humida uel ſicca adfuerit intemperies, ſuo quoque contrario profliganda erit. Et ita de compoſitis intemperiebus ages, ut ſuo loco poſteà dicetur. Quòd ſi febris uulneratum apprehendat, uictu refrigerante, qualem in calidis præter naturam tumoribus deſcripſimus, laborans uti debet. Sed accerſendus erit huius rei gratiâ peritus aliquis medicus, qui & congruam illi uictus rationem præſcribat, & reliqua ad febrem auxilia ex arte inſtituat, habita ratione ætatis, temperaturæ, regionis, temporis, conſuetudinis, & id genus aliorum. Cæterùm ne febris quidem ipſa terrere debet, ſi in magno uulnere, dũ inflammatio eſt, permanet. Illa uerò pernicioſa eſt Celſo, quæ uel leui uulneri ſuperuenit, uel ultra tempus inflammationis durat, uel delirium mouet, uel ſi neruorum rigor, aut diſtentio, quæ ex uulnere orta eſt, eam non ſmit. Lib. 5.

Si calida adſit intemperies.

Si frigida intẽperies uulnus ſe-derit.

Horũ ung. deſcrip. ex lib. 6. requirẽdæ ſunt.

Si febris uulnerato acciderit.

De ſpaſmo, id eſt, conuulſione vulneri accedente.

SPaſmos Græcè, conuulſio Latinè eſt, ubi nerui, atque muſculi præter uoluntatem conuelluntur, in eámque diſpoſitionem ueniunt, quam etiam in motibus ſecundum arbitrium factis aſſumpſerunt. Per hunc enim affectum, actio nequaquàm ablata eſt, ut eſt in paralyſi, ſed ſolùm immutata, ac uitiata, ut abundè teſtatur Galenus libro quinto de ſymptωmatum cauſis, ad hunc modum ſcribens, ſi Græca ſaltem Latina feceris: Conuulſio neruos, muſculóſque ad eundem cogit affectum, in quem ab animali facultate cùm naturalem habitum ſeruarent, ducebantur. Vt igitur uoluntarius motus interim intentis uerſus principium, id eſt, cerebrum, muſculis, interim ab irruente ſpiritu impletis perficitur, ita conuulſio quoque accidere ſolet. Nam & ſpiritus inflare potens, in ipſis generatur, & complures etiam affectus, qui illos intendere que-

Spaſmus quõ fiat Galeno.

Spaſmus quid.

ant, quemadmodùm phlegmone. Itaque ſpaſmus ſiue conuulſio, motus eſt deprauatus, uoluntariæ facultati motrici accidens, à ſolo morbo (ut ibidem ait Galenus) ſeu morboſa diſpoſitione proueniens. Proindè & neruoſa eſt ægritudo, qua mouentur lacerti, id eſt, muſculi, ad ſuũ principium, & extenſioni ſunt inobedientes: ut tertio canonum annotatur ab Auicenna. Neque enim ad ſyndeſmos, id eſt, copulas, ſeu ligamenta, conuulſio, ſicuti neque paralyſis, propriè refertur: ſed (ut Galenus ait tertio de locis affectis) eorum neruorum qui uoluntatis imperio obediunt, affectio eſt. Auerroïs ſpaſmum definiuit, cùm membra ſic contracta & rigida facta ſunt, ut neque flecti, neq; extendi quouis modo poſſint. Porrò omnes conuulſionis cauſæ, ſeu affectus omnes, qui conuulſionem pariunt, Galenus, & Hippocrates in duo capita reuocarunt: nempe in plenitudinem, & inanitionem, corporum uidelicet neruoſorum, à quibus ſecundum electionem motus perficiuntur. Itaque phlegmone, id eſt, inflammationes, plenitudinem pariunt: ardentiſſimæ, & aridiſſimæ febres, inanitionem. Sed neruoſa corpora omnia (inquit Galenus) tendi poſſe, ſiue oppleta ſint, ſiue inanita, declarant muſica inſtrumenta. Etenim rumpuntur chordæ, ſiue in humidum, uaporibúſque ſcatens, ſiue in aridum ſqualénſque cubiculum, intentis etiamdum chordis, inſtrumẽta collocaueris. Proindè huius rei haud ignari artifices, eas priuſquàm reponantur, laxare ſolent. Sed quomodò affecto aëre tenduntur chordæ, ut rumpantur, ſi uel nimis aridus, uel admodùm humidus ſit? Nempe humor madefacit ipſas, ut in tumorem præter naturam attollantur, qui mox eas extendit. Ac ueluti ſol tergora arefaciens ipſa contrahit, ita ſiccitas chordas, & trahit, & extendit. Sic lora quoque cum ad ignem exiccantur, contrahi, tendíque uidentur. Tertium caput ſeu tertiam cauſam addit Auicennas, quæ tametſi materiæ haudquaquàm, ſaltem per initium, proportione reſpondeat, noxam tamen (inquit) contriſtantem cerebrum inducit. Proindè nerui, hanc ceu moleſtum quidpiam refugientes, contrahuntur, & ad ſuam recurrunt originem, adnituntúrque interturbantem cauſam ipſam expellere. Qui Barbaram ſectantur medicinam, ſpaſmum non proportionatum ad materiam nominant: quia ſcilicet non accidat ob materiam, quæ implere, aut inanire partes neruoſas poſſit, ſed praua potiùs aliqua qualitate. Tribus igitur modis fit conuulſio, inanitione, repletione ſeu plenitudine, & compatiendi ſocietate, hoc eſt, cerebro lege cõmertij patiente, et alteratis per cõtinuationẽ partibus, ut cõtingit in conuulſione, q̃ fit ab ictu feræ cuiuſdam uenenatæ. Primus modus, qui ſcilicet fit propter euacuationem ſeu inanitionem,

Cõuulſio ſolius morbi eſt opus. Fen. 2. tertij, cap. proprio.

Lib. 5. de ſymp. cauſ. & 3. de locis affect.

Duæ ĩ uniuerſum cõuulſiõis cauſæ, Galen. et Hipp.

Tertio de loc. aff.

Tertia cã cõuulſiõis, addita ab Auic.

Conuulſio tribus modis accidit.

1. acci-

accidit in ſuperfluis purgationibus, & in copioſis, atq; immoderatis ſanguinis profuſionibus: quem conuulſionis modum (ſi quidem accepto uulnere acciderit) malum ac periculoſum eſſe teſtatur Hippocrates, *hoc Aphoriſmo: Vbi ſanguis plurimus fluxerit, ſingultus, aut conuulſio ſupueniens, malum. Crebrò enim mortem adferunt. In magnis quoque, ac uehementiſſimis ardoribus, & adurentibus (ut dictum eſt) febribus, ac colliquante putrilagine, hic conuulſionis modus, euenire conſueuit, malũ ſanè maximum, & penè inſanabile, ut Galenus annotauit in commentario illius aphoriſmi Hippocratis, Febrem conuulſioni ſuperuenire, melius eſt, quàm febri conuulſionem. Secundus conuulſionis modus fit propter inflammationem, & alios tumores præter naturam (quos omnes ὀδύνματα uocat* Hippocrates) *in uulneribus de repentè diſparentes ſeu euaneſcẽtes, ut in fine quinti Aphoriſmorũ hac ſententia teſtatus eſt idẽ* Hippocrates: *Quibus tumores in uulneribus apparent, non conuelluntur maximè (id eſt, non admodùm, ſeu non ualde ſpaſmo corripiuntur) neque inſaniunt. Verùm his deletis, atque euaneſcentibus, derepentè quibuſdam à tergo, ſiue retrò, conuulſiones & diſtenſiones fiunt: quoties ſcilicet (ut in commentario ait Galenus) uulnera ponè, id eſt, à tergo infeſtant. Immoderata quoque frigiditas neruoſis partibus adueniens, hoc conuulſionis genus inuehit, neruos enim in unum cogit, ſtipat, cohibet, atque implet. Quod & hoc aphoriſmo expreſſit Hippocrates. Frigidum, conuulſiones, diſtenſiones, liuores, rigores febriles [inducit, ſupple, uel adfert.] Sicuti enim nequaquàm conuenit, neruos ipſos, ſeu ipſorum neruorum ſubſtantiam, ab immodico calore diſſolui, ſic neque plus iuſto, & ultra modum conuenientem, refrigerari, ſubſtringi, & in unum cogi, ac ſtipari. Tertius conuulſionis modus dolore excitatur, cuius communis cauſa eſt, autore Platone in Timæo, pathos præter naturam, uiolenter, & affatim incidens. Ab his enim (inquit Hippocrates Platone uetuſtior) quæ naturam mutant, ac corrumpunt, dolores excitantur. Hac quidem uocula (corrumpunt) & celeritatem, & uehemẽtiam tranſmutationis indicans. Porrò uehementes eueniunt in tactu, (qui inter reliquos ſenſus dolore maximè afficitur) à naturali habitu tranſmutationes, ob uiolentum calidi, frigidique occurſum, atque ob eas res, quæ contundere, ſecare, pungere, extendere, aut erodere poſſunt. Quippe res huiuſmodi dolorum cauſæ reputantur. Neruoſarum igitur partium punctura, acres quoque, & mordaces humores, aut uenenoſa aliqua qualitate præditi, in uulneribus modum hunc tertium conuulſionis ſubſtantiam diuellendo excitant. Quod de punctura diximus, teſtatur*

Apho. 3. lib. 5.

2. Secũdus cõuulſiõis modus ex repletione.

Frigꝰ cauſa conuulſionis. Apho. 17. lib. 5.

3. Tertius cõuulſiõi modus, ex cõpatiẽdi ſocietate.

Doloris cauſa.

Cauſæ cõuulſiõis ex cõſenſu cerebri factæ

tur Galenus libro artis medicinalis cap. nonagesimo secundo, sic inquiens:
„ Nerui uerò & chordæ punctura, propter sensus uehementiam, & quo-
„ niam hæc pars princip o, hoc est, cerebro continuatur, prompta est ad
„ neruorum conuulsionem excitandam. Ac tum præsertim, cùm nihil ex-
„ trorsum expirat, obcæcato cutis uulnere. Hactenùs Galenus. Acres autem, æruginosos, & uenenosos succos per consensum, & uelut quadam partium conspiratione conuulsionem inducere, ostendit Galenus in commentario huius aphorismi Hippocratis, Conuulsio ex elleboro lethalis est. Verùm cõuulsionem istam, quæ accidit ijs, qui ab elleboro albo (hunc enim simpliciter elleborum nominare consueuit Hippocrates) purgati sunt, non absurdè ad secundum genus conuulsionis (quod fit ex inanitione) quispiam adduxerit. Quandoquidem humores ipsi acres, & mordaces, uim habent exiccandi, atque inaniendi. Contingit autem & propter ipsam euacuationem, citra mordentes succos, ijs, qui supra modũ perpurgantur, conuulsionem aduenire. Fit enim ob pharmaci, seu purgantis medicamenti functionem, uim, atque efficaciam, ut ex neruis humiditates attrahantur, & ita resiccata uiolentiùs ipsorum neruorum substantia, conuulsio enascatur. Sed & per uomitiones, quas ueratrum epotum concitat, accidit, morsus ratione, conuulsiones fieri, ex consensu uidelicet, communicatúque, & uelut quadam partium conspiratione: nempe perpessis, ac distentis neruis, qui uentriculi hostiolo, seu orificio consentiunt. Sic quoque in uulneribus consortij lege contingit subindè conuulsionem fieri, excitato in neruosis corporibus (à quibus motus secundum electionem perficitur) dolore. Sunt autem neruosæ partes, motui uoluntario, ac secundum electionem & desiderium facto, seruientes, nerui, ligamenta, musculi, & tendones. Hæ igitur, & potissimùm nerui, ubi ingenti aliquo dolore afficiuntur, cerebrum ipsum (quod est neruorum omnium communis origo, ut in arbore caudex, ramorum) huius noxæ consors statim efficitur, fitque (ut dixi) propter compatiendi societatem conuulsio, quam non debemus existimare fuisse ab Hippocrate prætermissam. Etenim conuulsionem quæ infestet primaria ratione explicuit, dum fieri conuulsionem uacuatione seu inanitione, repletionéque sanxit. Cæterùm ex præfatis conuulsionibus, quædam sunt uniuersales, quædam uerò particulares. Vniuersalis conuulsio dicitur, quandò noxa cerebro communicatur, & ad ipsum peruenit. Vbi autem noxam illam senserit, tanquàm molestum aliquid, uehementi conatu eam nititur expellere. In quo quidem conatu neruos ipsos, & alia neruosa corpora contrahit, & conuellit. Particularis uerò conuul-

Conuulsio ex elleboro apho. 1. lib. 5.

Purgãs medicamentũ interdũ cõuulsionem inducit.

Partes motui uoluntario famulantes.

Conuulsio duplex.

1. Vniuersalis.

2. Partialaris.

sio

ſio fit, quandò noxa non peruenit ad cerebrum, ſed in particula affecta remanet, ipſam contrahens, atque incuruans. Ideò autem conuulſiones uniuerſales dicuntur, quia maiorem partem membrorum occupant. Quod quidem dictum eſt ad differentiam epilepſiæ, quam comitialem morbum uocamus. Hæc enim partes omnes apprehendit, atque ideò conuulſio totius corporis, ſeu omnium corporis partium meritò dicitur, non iugis tamen ac perpetua, (ut in emproſthotono, & opiſthotono, atq; tetano, id eſt, neruorum rigore uidere eſt) ſed quæ ex tẽporum accidit interuallis, hoc eſt, quæ interpellata eſt, atque intermiſſa, cum mentis ac ſenſuum oblæſione, in quo & à iam dictis conuulſionum generibus diſcriminatur. Accidit nanque, ut is qui comitiali morbo conciderit, neque uideat, neque audiat, neque ullo ſenſu quicquam percipiat, ac ne conſequi quidem poſſit, quid factum ſit. Siquidem cum memoriæ uiribus, ratio quoque læditur, ut libro tertio de locis affectis Galenus annotauit. Hæc autem in ſpaſmo de quo nunc agitur, minimè ſolent accidere. Cæterùm accuratiùs atque exquiſitiùs conuulſionis differentias, cauſas, & generationis ipſius rationem ac modum perquirere, alterius eſt ſpeculationis. Proindè ad præſens ea conſultè omittemus. Satis enim chirurgo nunc fuerit, ſi quæ de conuulſione diximus, probè intellexerit: ſi & tum communia, tum particularia differentiarum ipſius ſigna cognouerit, ac periculoſo huic ſymptomati (ne accepto uulnere aliquandò eueniat) proſpicere atque occurrere poſſit, & iam præſens remedijs topicis, accommodis, & ex arte inſtitutis profligare.

Vniuerſales conuulſiones.

Morbus comitialis.

Quo differat ſpaſmus ab epilepſia.

De ſignis ſpaſmi.

COmmunes conuulſionis notæ ſunt, ægra ſeu difficilis membrorum dimotio, colli tenſio, labiorum contractio, ac ſi uellet ridere: maxillarum, dentium, & gutturis adſtrictio ſiue ſtrictura: oculorum, & totius faciei (ut dicunt) tortura ſeu peruerſio. Si conuulſio ex inanitione apprehenderit, non repentè, ſed paulatim, ac poſt morbos corpus extenuantes, omnémque eius humiditatem abſumentes, accidere ſolet. Vt exempli gratiâ, poſt largos ſudores, aut uomitiones immoderatas, aut alui deiectiones copioſas, aut immodicas ſanguinis profuſiones. Item poſt famem, uigilias, ſollicitudines, motus tum multos, tum uehementes, aridas æſtuantéſque febres. Cùm enim hæc, & alia (ſi quæ ſunt) id genus, conuulſio ſubſequitur, cauſam eius eſſe ariditatem, ex inanitione rectè putaueris, ut Galenus annotauit libro tertio de locorum affectorũ notitia. Si uerò ex ſanis alicui repentina ſuperuenit conuulſio, ob repletionem

Cõmunes notæ cõuulſionis.

SIGNA cõuulſiõis ex inanitione.

NOTAE cõuulſionis ex repletione.

tionem eam fieri neceſſe eſt: & maximè quidem, ſi id uitij euenire ſic repentè conſpexeris, temulento cuipiam, ac omninò pleno homini, qui uidelicet in ocio degit. Item ſi poſt tumores aliquos præter naturam ſubitò deletos, atque (ut paulò antè dictum eſt) euaneſcentes, uel poſt frigiditates condenſantes, atque in unum neruos cogentes, ſanum aliquem ſic repentè conuelli contigerit: equidem nerui replentur à frigidis, & glutinoſis humoribus, ex quibus etiam nutriuntur, unde conuulſionem patiuntur. Itaque his præcognitis, ac diligenter perpenſis, haud difficile inuentu fuerit, utrùm ab ariditate, quæ eſt humidæ eſſentiæ defectus, & uacuatione, ſeu inanitione: an ab humoris plenitudine, quæ egeſtati, ſeu inopiæ, & inanitioni aduerſatur, & ab Hippocrate repletio nominata eſt, affectus ipſe prodierit. Spaſmum autem, qui propter compatiendi ſocietatem, hoc eſt cerebro conſortij lege, ſeu (ut dicitur) per cõſenſum affecto, enaſcitur in uulneribus, ijs notis deprehendes. A cauſis externis excitatur, cum dolore, morſu, & moleſtia affligit, ac crudeliter laborantem excruciat.

Spaſmi ex cõſenſu cerebri notæ.

Spaſmi iudicia, ſeu præſagia.

Præſagia. 1. *SI conuulſionis noxa, membris ſpiritalibus, ac reſpirationi ſubſeruientibus communicetur, tum ſcire licet, ægri ſalutem eſſe deploratam, ac ſubitam mortem futuram.*

2. *Spaſmus abſolutus, ſeu (ut dicunt) confirmatus, præſertim ſi ex inanitione eſt, & neruorum ſiccitate, prorſus incurabilis eſt. Abſoluta enim ſiccitas, & prorſus conſummata, inſanabilis eſt Galeno libro methodi medendi ſeptimo.*

Cõuulſio ex cõſummata ſiccitate.

3. *Quòd ſi ex ſiccitate non prorſus adhuc conſummata, conuulſio enaſcatur, interdùm (ſed uix, ac non facilè) curationem admittit. Longum enim tempus (ut in commentario ſequentis aphoriſmi Galenus ait) exigitur ad ſiccitatem remouendam. Atqui morbi acuties ac uehementia tẽpus non expectat, quin citò uires diſſoluit, & ſubitò exitium adfert.*

Conuulſio ex ſiccitate nõ prſus abſoluta.

4. *Quæ uerò ex repletione fit conuulſio, ſanabilis eſt, per euacuationẽ. Repletioni enim contraria eſt euacuatio. Quod & ſequenti aphoriſmo innuebat Hippocrates, Febrem cõuulſioni ſuperuenire melius eſt, quàm febri conuulſionem. Febris enim conuulſioni ex repletione ſuperueniẽs, humores frigidos, & glutinoſos, ex quibus orta eſt ipſa conuulſio, ſolita eſt magna ex parte excalfacere, attenuare, atque diſſoluere.*

Conuulſio ex repletione. Apho. 26. li. 2.

5. *Si uerò ex febribus adurentibus totum corpus exiccetur, & neruis deindè ex ſiccitate conuulſio accidat: hoc maximum (inquit Galenus) eſt malum, & penè inſanabile.*

Conuulſio ex febribus adurẽtib.

Curandæ

Curandæ conuulſionis methodus.

POſtquàm de differentijs, cauſis, ſignis, & iudicijs conuulſionis, abundè ſatis tractatum eſt, par eſt, deinceps eius curationem exequamur. Eſto igitur illud primum ac commune præceptum in omni conuulſione obſeruandum. Partes quæ contrahuntur, conuelluntúr ue, ualenter continendæ ſunt, & inordinatis reſiſtendum motibus. Oleo in hunc uſum eas perfricare oportet ex lilijs confecto, uel ſi eius copia non ſit, oleo communi, tum aquam mulſam aſſumere. Eos uerò qui ex inanitione citra febrem conuelluntur, hoc pacto curabis. Oleo, aut cerè hydrelæo calido, partes conuulſas primùm foueto. Deindè, ſi nihil prohibet, etiam ad lauacrum deducito, tẽperatóque ſolio utitor, cum oleo, & frictione leniſſima. Iuuat quoque in calidum oleum totum deſcẽdere, uel in aquã calidã dulcẽ, in qua humectãtia quædam, & lenientia decocta ſint. Vt ſunt capita, & extremitates agnorũ, hœdorũ, uitulorũ, & arietũ pinguiũ: item maluarũ, ac uiolarum folia, althææ radices, ſemen cydoniorũ, & id genus alia, adiecta olei parte tertia. Sũt qui ad eundẽ uſum iubent laborantes ſæpiùs in labrum lacte caprillo, aut bubulo plenũ deſcendere: atque ubi caldarium ſeu lauacrum egreſſi fuerint, oleis humectantibus, ut oleo uiolaceo, & amygdalarum dulcium: ſi ea nõ adſint, oleo communi optimo: ſine id quidem eſt, adipe non uetuſtiſſima, gallinæ præſertim, hœdi aut uituli, ceruicem, & ſcapulas, & ſpinã, iuncturas quoque, & muſculorum capita, perfricant. Quidam autem infrà ſcripto linimento totam ſpinam, iuncturáſque omnes magna utilitate illinere conſueuerunt. ℞ olei uiolarum uncias quatuor, olei amygd. dulciũ, pinguedinis gallinæ, medullæ cruriũ uituli, ana drach. ſex, pinguedinis uituli, & hœdi ana drachmas decem. Bulliant omnia ſimul in decoctione maluarum, radicum althææ & ſeminis cydoniorum, uſque ad conſumptionem ipſius decoctionis, deindè colentur, & fiat linimentum. Porrò frictio cùm omnibus in homine uertebris utilis ſit, tum ijs præcipuè, quæ in collo ſunt, cùm manus, & brachia, conuulſio maximè inuadit. Quòd ſi febris adſit, non humectantia modò, ſed refrigerantia quoque in hydrelæo, id eſt, miſcellanea ex aqua, & oleo, decoquenda erunt. Cuiuſmodi ſunt folia ſalicis, bordeum confractum, uiolæ, nymphea (quod nenuphar appellant) aut eius farinæ quopiam aliquo. Ergo die noctéque (eſt enim grauis, admodùm importunus, acutúſque morbus conuulſio) interpoſitis tamen quibuſdam breuibus interuallis, ijs remedijs, hoc eſt, fotibus, balneis, & unctionibus, utendum eſt. Dum ea intermittuntur, imponendum malagma, aut cataplaſma aliquod

Obſeruãda in oi cõuul. curanda.

Curatio cõuulſiõis ex inanitione.

Fotus.

Balneæ ex oleo, & hydrelæo.

Humectantia & lenientia.

Vnctiones.

Linimẽtũ.

Si febr. adſit ſpaſmo.

eſt,ex eiuſmodi humectantibus,& leniẽtibus,itidem(ſi res expoſtulet) & refrigerantibus, contrà quàm in conuulſione,quæ ex plenitudine ortum habet. Hæc enim uacuantia, ac digerentia, calefacientia quoque, & (cum ex humore procreata ſit)ſiccantia deſiderat,ut mox dicemus.

Alimẽta in cõuulſione ex ſiccitate facta, idonea.

Cæterùm qui ex ſiccitate (quæ inanitionis eſt comes)conuelluntur,nutriendi ſunt ſorbitionibus ex chondro,& alica: ſi hæc non adſunt,ex lacte, aut hordeato, aut à pullis mollibus, uel agniculis, uel hœdis tenerioribus, iure aliquo aſſumpto: itémque ouis ſorbilibus. Vinum quoque tenue, & aquoſum, quod facilè per omnia corporis membra diſtribuitur,illis exhibebimus, aut ſaltem cũ ſuis iuſculis,ut ea promptiùs permeent, remiſcebimus: niſi tamen febris acceſſerit. Tunc enim ptiſanæ cremor magis offerendus eſt, ſomnúſque accerſendus. Hic enim præterq̃ quòd uires omnes reparat,plurimùm etiam humectat. Vigiliæ uerò cũ ex iis ſint,quæ maximè euacuant,& exiccant, conuulſionem ex ſiccitate accerſunt, & augent. Indendi etiam ſunt clyſteres ex lacte, & ex eodem conficienda gargariſmata. Itaque(ut ſemel finiam)in hoc conuulſionis genere,curandi methodus,unicum habet ſcopum, nempe humectationem. Quem certè(ob ſuperiùs adductam rationem) non facilè eſt aſſequi. Aegriùs nanque curantur,quæ in humido ſiccóque habentur alterationes, quàm quæ ex calido & frigido conſiſtunt. Hæc enim maximè actiuis qualitatibus corriguntur. Illarum uerò curatio imbecillis,& (ut ſic dicam) magis materialibus, & paſſiuis qualitatibus, perficitur, potiſſimúmque cum humectandum eſſe requiritur, ut libro ſeptimo ſuæ methodi Galenus nos edocuit. Si tamen ulla ſpes curationis eſt, in ſuprà memoratis remediis conſiſtit. Itaque tametſi malum hoc ferè ſit immedicabile: cùm tamen ſæpe etiam præter expectationem quædam eueniant,curatio uenit aggredienda.

Sõnus conciliandus.

Ex 7. methodi med.

Curatio conuulſionis ex plenitudine.

IAm uerò ſpaſmum ex humiditate,& plenitudine curabis per euacuantia. Vacuare autem oportet, & à toto corpore, & ab ea parte q̃ conuellitur. Porrò à toto corpore plenitudinem uacuamus,duobus potiſſimùm auxiliis,nempe ſanguinis miſsione,& purgatione. Sanguinem mittemus maximè, in quibus uel multus ſanguis abundat, uel phlegmone conuulſionem excitauit, etiam ſi laborans, prorſus redundantiæ ſanguinis ſit expers, modò nihil obſtiterit eorum, quæ ſanguinem mittendum dehortantur. Venæ autem ſecandæ electio, ex laborante phlegmone,ac conuulſione, particula,tibi indicabitur. Modũ uerò ſeu quantitatem

Vacuatio à toto corpore Sanguis in quibus mitti debeat.

Quæ ſi mittẽdo ſanguine obſeruanda.

titatem uacuationis, inuenies, tum ex redundantiæ modo, tum ex reliquis, quæ in ſectione uenæ ſpectanda & æſtimanda ſunt: Nempe ex ætate, natura, tempore anni, conſuetudine, regione, cœli ſtatu, & ante hæc, ipſa laborantis uirtute. Cæterùm ſic, ut oportet, facta per ſanguinis detractionem, totius corporis uacuatione, & humorum influentium auerſione, mox phlegmones curationem aggredieris. Cuius (ut & omnium aliorum tumorum, qui præter naturam conſiſtunt) ſi iam facta eſt, caput ſeu ſcopus præcipuus eſt, infeſtantis humoris uacuatio. Cùm enim phlegmone duplici ratione (ut Gale. ait) à natura recedat, et q̃ pars ipſa multo ſanguine ſit referta, & quòd eadem ſit calidior, utiq; uacuationis indicatio, refrigerationis indicationem uincit. Quòd ſi adhuc in generatione eſt, in hac prior uacuatione eſt, confluentis ad affectum locum ſanguinis inhibitio. Sed de hac alibi abundè dictum eſt.

Vbi uerò corpus uel flaua bile, uel atra, uel pituita, uel ſeroſis humoribus, refertum fuerit (quem habitum Græci cacochymiam nominant) tum purgatione, quæ cuique ſuperanti ſucco ſit accommoda, uacuationem moliemur. Verùm enimuerò, quoniam conuulſio ex humiditate ſeu plenitudine, qua ſani etiam repentè capiuntur, magna ex parte, à pituitoſis humoribus craſſis, glutinoſiſque in ipſa neruoſarum partium ſubſtantia infarctis, procreari ſolet, eius potiſſimùm, quæ ab hac cauſa ortum habet, curationem ſubijciemus. *Purgatio quãdò adhibenda.*

Ergo quæ crudos, craſſos, & uiſcoſos humores potenter euacuant medicamenta (inter quæ primas obtinent, hiera picra, & agaricũ) hac conuulſione laborantibus exhibeto. *Curatio cõuulſionis à craſſis, & uiſcoſis humoribus.*

Clyſteribus acribus eorum aluum ſubducito.

Peſſis, & ſuffitibus, in mulieribus (ſi occaſio detur) menſes euocato.

Gargariſmatis, apophlegmatiſmis, & errhinis, ſeu ſternutatorijs, acrioribus, pituitam per os, & nares educito.

Abundè repurgato corpore, ceruicem, axillas, & inguina, oleo liliorum, coſtino, ſpicato, laurino, & ex pulegio, addito caſtorei, & euphorbij momento, inungito: & lanam mollem, ac ſuccidam facto litu ſuperimponito. Rogerius ad eiuſmodi ſpaſmum, ſequens unguentum inſtituit, quod & Theodoricus approbauit.

℞. olei muſcellini unc. unam, petrolei ſemunciam, olei communis, & butyri ana uncias quatuor, ceræ unciam unam, ſtyracis calamithæ, ſtyracis rubræ, ſingulorum drach. duas & ſemis, maſtiches, olibani, gummi hæderæ, ana unciam ſemis: ex ijs omnia quæ liqueſcere poſſunt, igni admoueantur: alia uerò trita, & in puluerem redacta, illis remiſceantur, *Vnguẽtum Rogerij.*

tur: poſtremò addatur ſtyrax, & fiat unguentum, ex quo moderatè calefacto, ceruix, & collum totum, ac uniuerſa ſpina dorſi, inungatur. Sunt qui iubent eodem aut conſimili unguento, totum corpus, inter duos ignes, aut in hypocauſto, nudum hominem conſtitutum, uel ſi æſtas eſt, in ſole inungi. Porrò huic unguento uiſus eſt alibi Theodoricus addidiſſe herbas, quæ ingrediuntur compoſitionem unguenti, quod aragõ nominatur, & alterius, quod Agrippæ tribuitur, quorum deſcriptiones extant apud antidotarium Nicolai: & præter hæc, addit oleum de caſtoreo, & pinguedinem ex limacibus rubris aſſumptam. Vocabátque tunc eiuſmodi unguentum, alabaſtrum, quod ſanè neruorum contractionibus apprimè eſt utile, & accommodum. Conducunt etiam magnoperè ad ſpaſmum eiuſmodi, oleum uulpinum, laurinum, rutaceum, ſicyonium, chamemælinum, de iunipero, de terebinthina. Item oleum benedictum, & oleum philoſophorum. Ex ijs itaque, & conſimilibus, frictio, omnibus in homine uertebris, utiliſſima eſt. Iuuat etiam nonnunq̃ totum hominem, in labrum illis calidis oleis plenum, deſcendere. Sed & hypocauſta ſiue thermæ, & ſtuffæ (ut uocant) ſiccæ, quæ ex ſuffitu rerum deſiccantium fiunt, aliáque id genus, quæ ſudores euocant, & ſuperuacaneas corporis humiditates, reſoluunt, atque abſumunt, cerebróque, & neruis robur adferunt, circa finem, & corpore iam ut oportet, repurgato, mirum in modum conferre creduntur. Quòd ſi & febris huic ex plenitudine conuulſioni ſuperuenerit (modò hæc fuerit ephemera) ſalubre admodùm eſt: frigidos enim (ut ſuprà diximus) & glutinoſos humores, quibus nerui ipſi conuulſi replentur, calfacit, extenuat, atque diſſoluit, quod curationis eius ſpaſmi caput eſt. Itaque ſi ſua ſpõte febris in hoc genere conuulſionis non enaſcatur, eam ex induſtria quadam accerſunt, & excuſcitant: idque per exhibitionem confectionis anacardinæ, ad quantitatem nucis auellanæ. Alij ad eundem finem offerunt caſtoreum, & aſſam fætidam, uel oppopanacem, addita mellis portione dupla. Metridatum quoque, & theriace, in hoc affectu mirè proficiunt. Neruos enim roborant, & crudos ſuccos concoquunt, abſumúntque, eo ſcilicet nomine, quòd excalfaciant. Cauendum uerò præcipuè frigus eſt: ideóque in eo conclaui, quo cubabit æger, ignis continuus eſſe debebit, maximéque tempore antelucano, quo præcipuè frigus intenditur. Vinum per initia præſertim, guſtandum non eſt: ſi quidem huius uſus tum præcipuè periculoſus eſt, eo potiſſimùm nomine, quòd fluxionem proritat. Vini loco aqua mulſa exhibenda erit, in qua decocta ſit ſaluia, & radix acori, cum momento nucis muſcatæ. Victus tenu-

Olea ſpaſmo ex plenitudine cõferẽtia.

Febris cõuulſioni ex plenitudine ſuperueniens bonũ.

Metridatũ Theriacæ.

Frigus cõuulſis inimicum.

Vinũ quãdò, & quare cõuulſis interdicendũ.

tenuis, primis ſaltem diebus, conuulſis à plenitudine inſtituatur, idémque calfaciens, & exiccans. Hactenùs de curatione conuulſionis ex plenitudine.

Curatio conuulſionis ex compatiendi ſocietate.

CAEterùm *conuulſio, quæ fit propter conſenſum, & uelut quadam partium conſpiratione, ſeu compatiendi ſocietate: ſi ex dolore excitata eſt, per anodyna, & dolorem ſedantia curationem recipiet, ut in ſequentibus dicetur, cùm de uulneratis neruis agetur. Si uerò ex morſu ictúue alicuius uenenoſi animantis, conuulſio oborta ſit, theriaca parti affectæ ſuperimponenda erit, & cucurbitula defigenda, uel cornua quædam, quibus nonnulli cucurbitularum uice utuntur. His enim (quæ citra calefactionem, ex alto uehementiùs extrahunt) totam eius quod infeſtat, & dolorem creat, ſubſtantiam uacuabis. Sunt autem & qui ore ſuo uirus extrahunt, ægræ uidelicet particulæ (ut ſuperiùs dictum eſt) admoti, ipſámque labijs complexi. Si autem accidat conuulſio, ob morſum oris uentriculi (quod propriè ſtomachus appellatur) ab acri aliquo, mordaci, & erodente humore excitatum, uomitus ſtatim concitandus eſt, poſt quem uentriculus roborandus erit, tum ijs, quæ extrinſecus admouentur, tum ijs quæ intrò aſſumuntur, iuxta periti alicuius medici conſilium. Porrò in omni cõnulſione à quacunque cauſa ortum habeat, cerebrum imprimis roborandum eſt. Caput igitur abraſis cri-nibus oleo liliorum fouendum erit. Iuuat & eodem oleo, ceruicem, totámque dorſalem ſpinam, axillas quoque, & inguina inungere. Hoc enim ſpaſmo, præſertim humido, eſt dicatiſsimum. Hora paroxyſmi bonum eſt, laborans contineat inter dentes baculum ſalicis, ne os exactè claudatur, & lingua à dentibus dilaceretur. Vltimum eſt, ſi nihil aliud fieri poſsit, neruum, aut muſculum ex quo conuulſio orta eſt, tranſuerſum præcidere, ut Galenus & Razes conſuluerunt: præſtat nanque unius particulæ actionem amittere, quàm totius corporis. Meliórq; eſt (ut Galenus ait) læſio quàm mors. Itaque hoc pacto conuulſionem quidem ſanaueris: aliquem tamen ex particulæ motibus uitiaueris. Vt autem ei quod urget, & undè primum maximéque homini imminet periculum, ſuccurramus, cogimur ſic nonnunquàm alium inſanabilem affectum relinquere.*

Curatio cõuulſiõis, ex cõpatiendi ſocietate.

Dolor.

Morſus, uel ictus uenenatorum.

Morſ⁹ oris uentri alicui cõuulſionẽ excitat.

Cerebrum in omni cõuulſione roborandum.

Muſculus aut neruus interdũ per tranſuerſũ præcidẽdus.

Læſio quàm mors potiꝰ optanda.

De paralyſi ex vulnere.

Paralyſis ex quibus uulneribus excitetur.

PAralyſis, id eſt, neruorum reſolutio, latus unum aut alterum, uel partem quampiam, non autem corpus totum infeſtans: interdùm etiam uulnera, & contuſiones inſequitur, ſed capitis maximè, & totius ſpinæ dorſi, ut multis exemplis Galenus aperuit libro de locis affectis tertio. Porrò an paralyſis ipſa, quæ ex uulnere accidit, partes quæ è regione uulneris ſunt, uel potiùs oppoſitas infeſtet, ad præſens dicere omittemus. Eſt autem paralyſis neruorum relaxatio, ſeu mollificatio, cum priuatione ſenſus, & motus, non quidem totius (ut dictum eſt) ſed uel lateris unius duntaxat, uel priuatæ alicuius particulæ. Quo fit, ut affectus ſit conuulſioni contrarius: in hac enim duricies adeſt cum motu deprauato, ac permutato: duricies autem mollificationi ac relaxationi eſt contraria. Vnde Galenus libro tertio interiorum affectorum locorum, ſic inquit, Quũ omnes pariter nerui, tum ſentiẽdi, tum mouendi uim amiſerint, apoplexia huiuſmodi affectio nominatur. Vbi uerò alteri laterum, aut dextro, aut ſiniſtro, id accidit, paralyſis, id eſt, reſolutio nominatur, eius ſcilicet partis, in qua conſiſtit affectus, interdũ dextræ, interdùm ſiniſtræ. Quòd ſi in aliquo membrorum idem euenerit, eiuſdem membri reſolutio eſſe dicetur. Nam & tota manus, & totum crus interdùm reſoluitur, atque ſolus in crure pes, & quæ ſub genu ſunt. Sic etiam de tota manu, ſimiliter proportione dicendum eſt. Hactenus Galenus: ex cuius uerbis colligere licet, paralyſin aliam eſſe uniuerſalem, aliam uerò particularem. Vniuerſalis ea eſt, quæ alterum latus totum, aut dextrum, aut ſiniſtrum occupat. Particularis uerò, quæ priuatim alicui duntaxat particulæ accidit. Sic & de ſpaſmo per analogiam dici poteſt: nempe quòd alius ſit uniuerſalis, alius uerò particularis.

Paralyſis quid.

Paralyſis affectus ẽ cõtrarius.

Paralyſis uniuerſ.

Paralyſis particul.

De cauſis, & ſignis paralyſis.

CAuſæ paralyſis, atque eiuſmodi ablationis ſenſus, & motus, geminæ ſunt: nempe internæ, & externæ, ſeu extrinſecùs aduenientes. Externæ cauſæ reſolutionis neruorum ſunt, caſus ab alto, percuſſio, inciſio, ſectio, compreſſio, uel conſtrictio, frigiditas uiolenta, & uehemẽs, uicinæ partis phlegmone, uel ſcirrhus, & id genus alia, quæ extrinſecùs euenientia, uel continuum ſoluunt, ſeparántue, uel ſpirituum uias occludunt, & facultatis animalis delationem impediunt. Internæ autem cauſæ ſunt, humores craſſi, & uiſcoſi, neruos cerebri, aut ſpinalis uocatæ medullæ (quæ ipſius cerebri uicaria eſt) obſtruentes. Neruorum enim corporibus ita obſtructis, & craſſioribus redditis, animalis facultatis

Cauſæ externæ paralyſis.

Interne cauſe paralyſis

tatis (quæ ſenſum , & motum præſtat) in membra delatio impeditur. Cæterùm anxiè diſquirere , quo pacto per neruorum reſolutionem, ſeu paralyſin, interdùm ſenſus duntaxat, interdùm motus, nõnunquàm ambo ſimul pereant, & alia multa ad rem propoſitam attinentia , nequaq̃ præſentis ſunt ſpeculationis . Satis enim fuerit chirurgo , ſi præter ea, quæ iam de paralyſi dicta ſunt, ſedem primariò affectam, & à qua noxa orta eſt, ſimúlque diſpoſitionem eius cognouerit. Niſi enim hæc (inquit Galenus) accuratè cognouerimus , nequaquàm eas partes , quibus uel ſenſus , uel motus uitiatus eſt, rectè curabimus . Porrò ipſam affectam ſedem ex anatome facilè ipſi deprehendemus . Nam cùm ex ea cognouerimus neruos, qui per faciei partes ſparſi ſunt , à cerebro dimitti, ſi earum aliqua, ſimul cum toto corpore, reſoluta eſt , haudquaquàm nos latere debet , reſolutionis diſpoſitionem in ipſo cerebro conſiſtere. Vbi uerò partes, quæ ad faciem attinent , incolumes, ac illæſæ permanſerint: hæ autem, quæ ſub ea ſitæ ſunt, uniuerſæ reſolutæ fuerint , ſpinæ initium tunc affici, ſciendum eſt. Ex ipſa enim anatome didicimus, ꝙ omnes animantis partes ſub ceruice poſitæ (quæ à conſilio , & uoluntatis imperio moueri poſſunt) neruos habent, qui eas moueant, procedentes ex ſpinali uocata medulla. Quod & ijs uerbis Galenus teſtatus eſt libro quarto de ſymptomatum cauſis: Si ſpinæ principium lædatur, ſolæ partes capitis, quoàd uixerit animans, & ſentire, & moueri poſſũt. Quòd ſi cerebro quoque noxa acciderit , qui ſic afficiuntur , ij omnium partium, & motum, & ſenſum ilicò deperdunt. Atque eadem quoque ratione, ſi toti corpori conuulſio acciderit, eundem ſpinæ locum, nempe initium, affectum eſſe declarat , faciei partibus omnibus ſeruatis illæſis . Quòd ſi hæ quoque afficiantur , cerebro noxam iam illatam eſſe oſtendunt . Adhæc nouimus ex corporum diſſectione , neruos qui pectus mouent, ex ea ſpinæ parte, quæ in ceruice eſt , ortum deducere . Quocirca uox perit omnibus, quibus ea ſpinæ pars, quæ in ceruice eſt, fuerit affecta. Ipſa uerò ex tranſuerſo inciſa, ſi tota fuerit diſſecta, omnes quæ ſub ipſa ſunt corporis partes, ſenſu motúque priuari neceſſe eſt, utpote ſuſcipiente ſpina à cerebro, uim tum ſentiendi, tum mouendi pro arbitrio. Prætereà in anatomia (inquit ille) uidimus , ubi per tranſuerſas ſpinæ inciſiones , ad medium uſque duntaxat , ſecundum longitudinem, ſpina ipſa ſecaretur, non omnes ſuppoſitas corporis partes, ſed eas duntaxat, quæ è regione ſectionis erant, reſolutas. Dextras quidem, dextra ſpinæ parte diſſecta: ſiniſtras uerò, ubi reliqua pars eſſet inciſa. Itaque (ſubiungit Galenus) manifeſtum eſt, quòd circa primum ſpinæ proceſ-

Notæ cerebri primario affecti in paralyſi ex lib. 3. de loc. affect.

Notæ paralyſis initio ſpinæ affecto.

Gal. lib. 4. de ſym. cau. & li. 3. de loc. affect.

Lib. 3. de loc. affect.

ſum, facta aliqua diſpoſitione, per quam cerebri facultas, quominùs ad ipſam perueniat, prohibetur, omnia inferiora membra, dempta facie, ſenſu, motúque priuabuntur. Vbi uerò media duntaxat eius proceſſus pars fuerit affecta, non omnes inferiores partes reſoluentur, ſed uel ſiniſtræ duntaxat, uel dextræ. At uerò ſpina in inferiori loco affecta, nẽpe ſub ea neruorum propagine, quibus thorax attollitur, idque uel ob luxatam aliquam uertebram, uel alio quouis modo [ut uulnere] ſi quidem ingens fuerit affectus, partes inferiores omnes, ſubitò & ſentiendi, & mouendi facultate priuantur. Si uerò non ita uehemens fuerit affectus, ſtuporem inducet. Atque ij mortem effugiunt, quandoquidem ſpiratio in ipſis ſeruatur. At quibus quinta ſpinæ uertebra [uulnerata, aut quouis alio modo] affecta eſt, eorum manus omninò, & ſenſum, & motum amittunt. Quibus uerò ſexta, ijs non in totum ſentiendi mouendique facultas [in manibus] perit: quippe primæ brachij partes illæſæ ſeruantur. Id uerò multò magis, ſi ſeptima ſpinæ uertebra fuerit affecta. Octauæ uertebræ affectus perquàm exiguam: hac uerò inferiorũ nullam penitùs noxam manibus inducere poſſunt. Maximam uerò noxam ex læſa hac uertebra ſentiunt, thorax, & reliquæ partes inferiores. Itaque niſi hoc pacto ex anatomia, neruorum ad ſingulas partes uenientiũ principia didiceris, perquàm difficilè earum uel ſenſum, uel motum deperditum curabis, reſtituéſue. Porrò humorem peccantem, ac paralyſim committentem, deprehendes ex proprijs cuiuſque humoris notis. Cauſas uerò externas, ſeu euidentes facilè cognoſces ex relatu, & iudicio laborantis.

Ex lib. 4. de ſym. cau.

Si quinta ſpinæ uertebra affi-citur.

Si ſexta uertebra affecta eſt, uel ſeptima.

Iudicia, ſeu præſagia paralyſis.

1. Paralyſis affectus eſt ægrè ſanabilis.

PRæſagire, ac iudicare potes de paralyſi, à quacunque occaſione ortum duxerit, déque omnibus neruorum affectibus, quòd ægrè admodùm ſanabiles ſunt. Nerui enim ipſi pauco admodùm natiuo calore participant, qui curationis membrorum opifex eſt, & cauſa effectrix potiſſima. Proindè ueriſſimum etiam eſt, quod uulgò dici ſolet, nempe paralyſin in ſenibus perquàm difficile curari. In his enim natiuo calore (qui robur eſt facultatis nos gubernantis) propemodùm ſunt deſtituti. Quod Hippocrates his uerbis expreſsit: Senibus parùm calidi innati ineſt. Quam ſententiam ueram eſſe teſtatur Galenus, ſiue quis ad qualitatem ſermonem referat, ſiue ad ſubſtantiam. Tremor & febris ſi paralyſi ſuperuenerint, bonum: febres namque neruorum reſolutionibus (uti & conuulſionibus ex repletione) aduenientes, partim quidem

2. Senes uix unq̃ à paralyſi liberãtur.

3. Tremor et febri ſi paralyſi ſuperuenerit, bonum.

ſuper-

ſuperfluam diſſoluunt humiditatem, partim uerò concoquũt frigiditatẽ, quæ duæ ſunt medicis, in curanda paralyſi (uti & ſpaſmo ex plenitudine) remediorum intentiones. Adhæc, paralyſis, quæ ab ictu, uel caſu nõ uehemẽter neruos atterente, contũdentéue, excitata eſt, curationem interdùm recipit, ut contigit illi Pauſaniæ Syro ſophiſtæ, cuius meminit Galenus in fine libri tertij, de affectorum locorum notitia. Quum enim Romam aliquandò ueniſſet, dum per uiam duceretur, uehiculo excidit, atque in dorſi initio læſus eſt: unde ſecundum duos minores ſiniſtræ manus digitos, atque medij partem mediam, ſenſum imprimis quidem difficilem habuit, poſteà malè curantibus medicis, ſenſum omninò amiſit. Huic autem remedia, quæ illi imperiti medici digitis fruſtrà adaptauerant, læſæ parti, hoc eſt, initio ſpinæ, Galenus ipſe (ubi mali occaſionem intellexit) ſtatim adhibere iußit, atque ſic uir ille celeriter ſanitati eſt reſtitutus. Quæ uerò ab inſigni, atque effatu digna neruorum contuſione uel diuiſione, oritur particularum reſolutio, prorſus inſanabilis eſt. Soluta enim in illis continuitas nunquàm (ut dictum eſt) perfectè curatur. Rectè quidem, & conformiter ad Galeni ſententiam, Auenzoar adſtruxiſſe uiſus eſt, ſubitæ mortis periculum imminere, ſi nerui anhelitus, hoc eſt, reſpirationi ſeruientes, aliquibus uulnerati, aut quouis alio modo inſigniter affecti fuerint: in ipſis enim ſtatim perit reſpiratio. Quo fit, ut præfocati repentè moriantur. Quomodò enim ablata reſpiratione (quæ actio eſt uitæ neceſſaria) diutiùs uiuere poſſet? Si membrum reſolutum non imminuatur, nec emarceſcat, colórque eius non immutetur, ſpes aliqua curationis ſubeſt. Si uerò contabeſcat, & gracileſcat inſigniter, colórque natiuus pereat, atque à ſeipſo plurimũ euariet, malum portendit.

4. *Paralyſis ab ictu, uel caſu. Pauſ. ſophiſta uehiculo excidit, unde paralyſim in digitis contraxit.*

5. *Paralyſis ex uehemẽti neruorũ contuſione, uel diuiſiõe*

6. *Paralyſis neruorũ reſpirationi ſeruientiũ.*

7. NOTAE *paral. curabilis, aut incurabilis.*

Paralyſis ex vulnère curatio.

IN curanda neruorum reſolutione (quæ paralyſis dicitur) ex accepto uulnere, uel cauſa alia extrinſecùs incidente oborta, præmiſſa totius corporis uacuatione, uel per purgantia medicamenta, uel per ſanguinis detractionem, uel per utrumque, uti res exigit: factis item ut decet, humorum in partem reſolutam influentium auerſionibus, præſcriptáque uictus ratione congrua (quæ omnia periti alicuius medici conſilio fieri debent) topicis remedijs aduerſus illam ſedulò pugnare debet chirurgus. Itaque cum duabus in hoc affectu profligando Therapeutices, id eſt, curandi facultatis partibus, opus ſit: nempe ea quæ uictu, & quæ medicamentis, tum intrò aſſumendis, tum foris admouendis medetur,

In curanda paral. diætetica, & pharmaceutica opus eſſe.

detur: eam hîc ſolam curationem exequemur, quæ medicamentis forinſecùs admouendis, perficitur: ne qui chirurgiam profitentur, diætetica, & pharmaceutica (quæ peritiſſimum, & rationalem medicum deſiderant) turpiter, & in magnam laborantis perniciem (ut plærique hodiè aſſolent) abutantur. Cæterùm cùm multa uariáque præſidia, forinſecùs in curanda paralyſi ex uulnere, aut alia quauis externa cauſa ſuſcitata, admoueri ſoleant, ut emplaſtra, cataplaſmata, unguenta, illitus, fotus, cucurbitulæ, & alia id genus: Guido tamen uno liquore lõgè optimo, & ad affectum eiuſmodi, ſiue ſymptoma profligandum, efficaciſſimo contentus erat: quod quidem ex Ioanne illo Meſue, uiro in familia Arabũ doctiſſimo, ac ĩre medica Euãgeliſta à quibuſdã nũcupato, deſumpſit, eo loci, ubi de cordis paſſionibus agit. Eo aũt liquore illinere ſolebat medicus ille Arabs ceruicem, totámque ſpinam dorſi, atque etiam affectam ipſam particulam. Confert nanque hoc pacto mirificè roborandis membranis ſpinalem medullam obuoluentibus, ſubſtantiæ ſpiritali, qua uiuimus, neruis quoque, & oſſibus. Proindè paralyſi, omnibúſque neruorum ægritudinibus, cordis palpitationi, & tremori, atque etiam manifeſtæ laſſitudini, mirè, ac ſupra humanam opinionem, profícit. Adde, quòd nullum medicamentum eo præſtantius inueniri poteſt, ubi cor celeri, feſtináue eget refectione, ac refocillatione, ſi ſaltem ipſi Meſue credimus. Cæterùm eſt quod cum ipſo Meſue uehementer admiremur, priſcos illos tum medicos, tum philoſophos inſignes, & rerum naturæ peritiſſimos, nullam in ſuis ſcriptis, eiuſmodi inunctionis ſpinæ, mentionem feciſſe, cùm uix aliud tam præſtans auxilium inueniri, aut excogitari poſſit, ad uitæ ſubſtantiã conſeruandam. Nouiſti nanq; ſatis (opinor) ex anatome, ſpinam dorſi in homine eſſe ueluti carinam nauis, & fundamentum reliquorum oſſium, imò uerò & principium. Noſti præterea, ſub hac, ueluti ſolido quodam propugnaculo, & muro tutiſſimo, dorſalem ipſam medullam conditam eſſe, quæ cerebri quidem germen eſt, & explantatio, durorúmque corporis neruorum principium: p quos uelut internuncios, corpus uniuerſum transſumit, primum quidem, & maximè motum, cum hoc autem etiam & ſenſum. Adde quòd in ſpõdylis dorſi (qui ſpinam ipſam conſtituunt) mira naturæ prouidentiã efformata ſunt quædam ſubtilia foramina, per quæ uaſa, ſpiritum, & ſanguinem deferentia (uenæ inquam, & arteriæ) intrò quidem: forãs uerò, nerui ipſi, ſenſum, & motum, in corpus uniuerſum cõportantes, ſe runtur. Quo fit, ut ſpina ipſa ſit ueluti platea, ſeu uia quædam publica, non modò neruorum, ſed & uenarum, & arteriarum. Proinde & ſpiritu-

De localib⁹ remedijs in paralyſi ex uulnere ad hibendis.

Liquoris balſamitis Meſue doctis.

Spina dorſi ueluti carina nauis.

rituum, ac uirtutum. Adhæc, non ignoras magnam ipſam uenam concauam dictam, itidem & arteriam aortam uulgò nuncupatam, iuxta ſpinam ipſam totam reptare, ſed & partium ſpiritalium eſt ueluti ſubſterniculum, & (ut quiſpiam dixerit) ueluti lectus aliquis. Atque (ut Meſue inquit) medullam continet ueræ * humiditatis. Multas ergo eaſdémque bonas, atque effatu dignas intentiones cumulabis, ex inunctione ipſius dorſalis ſpinæ, quam ueteres ipſi tum medici, tum philoſophi, uel prorſus ignorantes, neglexerunt, uel eam nobis inuiderunt, cùm ne uerbum quidem in eorum monimentis de ea ſcriptum inueniatur, ut Meſue teſtatus eſt. Porrò liquoris illius tam eximij, atque ad tam multa utilis compoſitio, & conficiendi ratio apud præfatum autorem talis eſt: ℞. myrrhæ electæ, aloës hepaticæ, ſpicæ nardi, ſanguinis draconis, thuris, mumiæ, * opobalſami, bdellij, carpobalſami, ammoniaci, ſarcocollæ, croci, maſtiches, gummi Arabici, ſtyracis liquidæ † ana drach. duas: ladani electi, ſucci caſtorei, ana drachmas duas ſemis, muſchi drach. ſemis. terebinthinæ optimæ ad pondus omnium: pulueriſanda pulueriſentur, & omnia miſceantur cum terebinthina, reponantúrque in furnibulo, ſeu diſtillatorio, quod alãbicum uocant, & illa ingenioſè ac lento igne ut decet, diſtillentur: liquorem autem per diſtillationem ſublimatum, uaſe uitreo forti excipe. Hic liquor proximè accedit ad uerum ſuccum balſami. Guido à Cauliaco quãdoque huic precioſo liquori addebat herbas dicatas paralyſi, & tum generoſius, atque efficatius multò (ut ipſe teſtatur) experiebatur auxilium.

* aliàs humanitatis.

Liquor balſamites Io. Me. lõ „ gè opti- „ mꝰ, & ad „ multa uti „ liſſimus. „ * Alia ex „ emplaria „ habẽt o- „ popanacis. † Aliàs 3. duas ſemis.

De ſyncope ex vulnere.

SYncope (deſmitore Galeno lib. duodecimo Therapeutices) eſt præceps uirium lapſus, qui immoderatas euacuationes, ingentes dolores, uigilias, principiorum intemperiem, atque animi uehementes affectus, ſequi conſueuit. Ea autem ſyncope, quæ in uulneribus accidit, magna ex parte creatur, uel ex immodica ſanguinis profuſione, uel ex uehementi dolore. Hanc proximam eſſe cognoſces, tum ex arteriarum pulſu elangueſcente, ac deficiente, tum ex pallido uultus colore, tum ex motu totius corporis ignauo, ac difficili, ſed præſertim palpebrarum, & partium extremarum, tanquàm illis erigendis, aut attollendis non poſſit uirtus motrix ſufficere: ſed & frigidi, circa collum maximè, & faciem, ſudores, ſyncopen iam pulſare fores teſtantur, ſymptoma ſanè minimè negligendum. Quandoquidem celeriter interdùm hominem rapit, éſtque quaſi uia ad mortem, imò (ut uulgò

Syncope quid.

Syncope in uulneribus unde.

Syncope p ximè inſtãtis notæ.

Syncope parua mors

uulgò dici ſolet) eſt ueluti quædam parua mors. Proindè ſumma cura adnitendum eſt, ne in hoc tam periculoſum ſymptωma uulneratus incidat. Ergo laborantem quibus poteris modis conſolator. Hominũ turbam ne ſuo anhelitu conclaue nimis excalfaciant, & laborantem ſua præſentia deterreant, procul arceto. Sed & antequàm eâ prematur qui uulneratus eſt, panis fruſtulum, uino optimo, aquæ roſaceæ momento, diluto, illi ſugendum exhibeto: atque etiam ut ex uino ipſo modicum quid bibat, ipſe iubeto. Vinum nanque omnibus ſyncope uexatis utile eſt, ut libro duodecimo Therapeutices his uerbis Galenus annotauit:

Quibus remedijs ſyncopæ occurratur.

Vinũ oĩbus ſyncope uexatis ſuccurrit.

„ Vinum tamen, quod & calidum naturâ ſit, & deductionem in corpus p-
„ moueat, omnibus quos ſyncope malè habet, offerre conueniet. Conſtat
Vini in ſync. electio. „ autem, ex uinis ea deligenda eſſe, quæ & flauo ſint colore, & ſubſtan-
„ tia tenui, & ætate, uetera. Talia nimirùm & boni odoris continuò fue-
„ rint. Cæterùm amara præ uetuſtate, uina ne ſunto.

Si iam ſyncope præſens ſit.

Porrò ſi iam ſyncope, qui uulnus accepit, uexetur, eius faciem aqua roſacea, uel frigida, uel utriuſque mixtura, adiecto etiamnum aceti (ſi placet) momento irrorabis, ac etiam ipſa ualidè in illam, laborantis faciem dico, proijcies: aut ſaltem naribus aquam roſaceam, & acetum admouebis, ut ſcilicet ſuaui eorum odore, animam illorum recrees. Pilos, naſum, & aures uellito, extrema fricato, alapis illorum genas cedito, & proprio nomine alta uoce illos uocato, ac cætera facito, quæ in hoc ſymptωmate medici fieri præcipiunt.

De deſipientia, ſeu delirio accidente in uulneribus.

Delirium quid, & unde naſcatur. Cano. 3.

OMne delirium (ut Galenus ait libro quinto de ſymptωmatum cauſis) deprauatus eſt principis facultatis motus, à prauis ſuccis, aut cerebri intemperie ortum habens. Interpreti Auicennæ alienatio dicitur. Porrò tametſi eiuſmodi deſipientiæ, ſeu mentis alienationes, ſymptωmata ſint modò primogenia, id eſt, primario, ac proprio cerebri affectu euenientia, modò ſecundaria, hoc eſt, cerebro compatiendi ſocietate, ſeu (ut dici ſolet) per conſenſum laborante. Hîc tamen nunc, de ſolo eo delirio, quod conſortij lege, ſeu per conſenſum accidit in uulneribus, & percuſſionibus articulorum, ſermonem faciemus. Talia nanque uulnera (ut ſuperiùs diximus) doloris, uigiliarum, conuulſionis, & delirij periculum adferunt. Cæterùm eiuſmodi ſymptωmatis (delirij inquam in cacoëthis uulneribus euenientis) generatio perſimilis eſt ei, quæ per ſuffuſiones oculorum accidit, à uentriculi diſpoſitionibus ortum trahentes, ut Galeno uiſum eſt libro tertio de locis affectis. Quemadmodùm

Lib. 4. Therap.

Cauſa delirij in uulneribus.

modùm enim uentriculus, cerebro ſuas affectiones compatiendi quadam ſocietate tranſmittit, idque propter neruorum à cerebro, ad os uentriculi deſcendentium magnitudinem: per quos etiam ſenſus huic particulæ, quàm ulli reliquarum corporis partium acutior eſt. Ita quoque neruoſis partibus inflammatis, cerebro noxa promptiſſimè communicatur, atque ex illis promptiùs, quàm ex alijs quibuſuis partibus delirium ſuperuenire ſolet, idque aſcendente ad caput interdùm per continuas partes, ſolo calore: interdùm uerò ſpiritu uaporoſo, uel fumoſo, aut fuliginoſo. Hæc autem omnia, quæ ſic delirium, aut phrenitidem inducũt, ſiccandi pollent facultate Auicennæ: quippe, quæ multo, eodémque acri calore participent. Quo fit, ut delirantes irrequieto ferè motu agitentur. Vnde Galenus libro decimotertio Therapeutices ad hunc modum ait: Ergo cùm humor qui in capite redundat, frigidus eſt, inſenſibilitas, immobilitáſque hominem opprimunt. Cùm calidus eſt, perpetuus potiùs motus, unà cum rationis noxa. Accidit enim (ueluti demonſtratum in libris de his eſt) ex frigore, ſegnicia: ex calore, immodicus motus: ex humoris uerò uitio, dementia.

Neruoſis partib⁹ inflamatis delirũ accidit.

Deliriũ ex ſiccitate fit

Delirij ex vulnere curatio.

SI delirium, ſeu mentis perturbatio, poſt uulnus acceptum, hominem apprehendat, huius rei gratiâ ſtatim accerſendus & conſulendus erit peritus aliquis medicus, qui potu, frictionibus, & deligaturis partium extremarum, & maximè pedum, ac tibiarum, clyſteribus quoque huic rei accommodis, fumos, ac uapores uitioſos, à capite deorſùm protinùs reuellere ſtudeat, ut rectè præcepit Auicennas, itidem & cæteri, qui hac de re ſcripſerunt. Quod autem ad chirurgum attinet, læſæ particulæ dolor ex toto (ſi fieri poteſt) ſedandus eſt. Vtile eſt etiam alapis genas laborãtis percutere, ut ipſe ad mentem, ſeu ratiocinandi facultatem redeat. Galenus libro decimotertio Therapeutices caput delirantium in principio perfundendum eſſe oxyrhodino, pulchrè nos admonuit. Vapores enim, & humores à capite tunc repellendi ſunt. Cùm uerò in ſummo incremento ſunt deliria, perfuſiones ex papauerum capitibus (conſilio eiuſdem) applicabimus. Odorem quoque ex rebus frigidis naribus obijciemus: ac nares ipſas intùs, uel frontem ex ſimilibus medicamentis illinemus. Quippe ſopire (inquit) ac ſtupefacere principem facultatem oportet: cerebrum ſcilicet, quod ſupra modùm incaluit, refrigerando. Sanitati magna ex parte reſtituuntur Auicennæ, qui per dies aliquot, radicem bryoniæ, id eſt, uitis albæ, uel bibunt [ex liquore

Vapores à cerebro auertendi.

Dolor ſedãdus.

Caput' delirãtium oxyrhodino perfundendũ.

Cerebrum refrigerandum.

Radix bryoniæ.

aliquo refrigerante,& humectante] uel cum cibo quopiam eius ſaporẽ obtundente comedunt. Cæterùm de pruritu,duritie, atque impotentia læſæ particulæ, quæ interdũ uulneratis accidunt,ſuo loco alibi dicetur.

De vulnere in carne accepto, & eius differentiis. Cap. V.

Vulnus ꝙd Galeno.

Vuln⁹ quid apud recẽtiores chirurgos.

Diuiſio uulneris.

VInus propriè Galeno libro tertio methodi medendi,unitatis eſt ſolutio, ex uulnerando in carnoſa parte relicta, eadémque(ut recentiores addiderunt) cruenta, & citra putrefactionem: hîc autem uulnus latiùs accipimus: nempe ꝑ recenti plaga non modò in carne,ſed etiam in neruis, uenis,arterijs,tendonibus,membranis,cartilagine, & oſſibus facta. Itaque primùm de eo uulnere, quod in carnoſa ſubſtantia acceptum eſt, ediſſeremus. Cæterùm eiuſmodi uulnus aut ſimplex eſt, & citra ſubſtantiæ deperditionẽ, aut cum aliqua ſubſtantiæ amiſsione. Vulnus ſimplex, & quod ſine deperditione ſit ſubſtantiæ,aliud profundum, aliud ſummo tenus factum, ſeu in ſummo reſidens eſt: aliud uerò utriuſque particeps, ut cùm pars una diuiſionis per longitudinem factæ, altè deſcendit, altera in ſummo corpore hæret, quod inæquale Galeno dicitur: aliud item magnum, aliud paruum tum dicitur,tum uerò eſt. Quæ omnes differentiæ à quantitate,ſeu ſpacio diuiſionis ſumptæ ſunt. Vulnus quod cum deperditione eſt ſubſtantiæ, aut fit cum amiſsione cutis ſolius, aut cum ablatione cutis,& carnis ſubiectæ ſimul. Porrò eiuſmodi uulnera,uel ſimplicia ſunt, & ſine ullo affectu,aut ſymptomate: uel accidentia habent, quæ rationẽ cauſæ non obtinẽt(tunc.n ulcera dicerẽtur difficilè ſanabilia,de quibus in ſequẽtibus dicetur)ſed ſolùm rationẽ habent ſine quo non,ut ſuperiùs annotauimus ex Galeno libro quarto Therapeutices. Cuiuſmodi ſunt intemperies,dolor, phlegmone,pruritus,& alia paulò antè commemorata. Non magnoperè autem curo, ſi prædictæ huiuſmodi differentiæ,diſpoſitiones aut affectus dicantur potiùs,quàm differentiæ,uel cõtrà. Quanq̃ Galen. libro tertio methodi medendi anxiè ſatis diſquiſierit,quænam ſint propriæ ulcerum,ſeu uulnerũ differentiæ,& quæ aliorum affectuum complexiones. Hoc enim parùm nunc mihi conferre uidetur ad uulnerum curationem. Commoda nanque morborum curatio, non ex nominum, ſed rerum recta opinione contingit: ut ſcribitur primo methodi medendi. Cæterùm de cauſis,ſignis, & iudicijs uulnerum,

qua-

tenùs uulnera ſunt, abundè ſatis in præcedentibus dictum eſt, in capite ſcilicet uniuerſali. Proindè ijs prætermiſſis, uulnerum in carne acceptorum curationem iam aggrediemur.

Curatio vulnerũm ſimplicium, in carne ſummotenùs acceptorum.

VVlnerum eiuſmodi curatio, præter iam dictas quatuor, aut quinq; intentiones communes, unam ſpecialem, præcipuámque habet: nẽpe ſanguinis profuſionem cohibere. Quod ſanè intelligendum eſt: nempe ſi nimis immoderatè, atque affatim effundatur, ut rectè interpretatus eſt Auicennas: Satiùs enim eſt (inquit) ipſum fluentem ex uulnere ſanguinem, non omninò, ac ſtatim ſupprimere, ſed ſi nimis abundè prorumpat, eius duntaxat impetum moderatè infrenare oportet. Moderata nanque ſanguinis ex recenter accepto uulnere uacuatio, non parùm ſæpe multis profuit. Quandoquidem & phlegmonas, & obſtructiones, & febrem ſubinde fieri probibuit. Quæ quidem ſymptomata, atque id genus alia, uulneribus (niſi diligenter prouideris) ſuperuenire, ipſiúſque ſolutæ unionis conſolidationem, & curationem magnoperè impedire, conſueuerunt. Atque illud fuit Hippocratis præceptum, quod & à Galeno refertur, & approbatur libro quarto methodi medendi: Fit enim (inquit Hippocrates) effluente ſanguine uulnus ſiccius: proindè & ſanius. Nam ſiccum (ut idem ait) ſano uicinius eſt, humidum uerò nõ ſano. Porrò ſi tantus fuerit ruentis ſanguinis impetus, ut cum ijs, quæ ſiſtendo ſanguini in uulneribus communiter admoueri ſolent, cohiberi nõ poſſit, ijs remedijs ſupprimendus erit, quæ in capite de uulneribus uenarum poſteà dicentur. Cæterùm tametſi in genere dictum ſit, quomodò curandorũ uulnerum intentiones perfici debeant: modus tamen ſpecialis, quo in carne perfici debeant, in ſequentibus dicetur. Huius autem inuentio habetur ex differentijs uulnerum ſuprà commemoratis, ad hunc modum. Vulnus illud ſimplex dicitur Galeno, Hippocr. & alijs medicis, quod ſolum conſiſtit, hoc eſt, quod ſine deperditione eſt ſubſtantiæ, nec ullum alium affectum, aut ſymptoma adiunctum habet. Vulnus igitur ſimplex non erit, ſi quæ uulnerata eſt particula fluxione uexetur, ſi malo ſucco uitioſa ſit, ſi omninò extra naturalem temperiem fuerit, ſi ulla cauitas adſit, ſi aliqua cutis amiſsio facta fuerit. Itaque ubi ſimplex uulnus, quódque ſolùm conſiſtit in carnoſa particula, non adeò ſaltem magnũ, incidit, diſsidentium labiorum commiſsionem, ſeu coniunctionem, quæ ſola decenti ſit ligatura, uinculo ſcilicet ex duobus initijs circundato, expoſtulat Galeno libro tertio Therapeutices. Quæ enim (inquit

Specialis præcipuáque ĩtẽtio curãdi uulneris ĩ carne

ne acceptiũa eſt

Hippoc.

Quid uul. ſimplex, & q̃ ſit ei⁹ ad rãdi ratio.

Vuln⁹ non ſimplex.

Vul. ſimp. poſtulat tã tũ agglutinationem.

Gal.

» quit,de ſimplici ulcere,loquens) diſſident, atque inuicem diſtant, ſi in i-
» dem adamuſsim componas, citra omnem reliquam extrinſecùs molitio-
» nem coaleſcunt. Nempe ſicuti in cauis ulceribus, ut caro producatur,ita
in ſimplici ulcere, ut oræ ipſæ ſecum coaleſcant, atque agglutinentur,
ſola certè natura cauſa eſt. Diductorum igitur labrorum coitionem, ſeu
agglutinationem præcedit neceſſario,ipſorum coniunctio, atque in idem
adductio. Idem omninò de hac re ſentit Razes,quod & Galenus: uſus
tamen communis obtinuit, ut recentibus huiuſmodi uulneribus oui can-
didum (quod albumen uocant) aliquandiu agitatũ, & leui ſtupa exce-
Oui candi- ptum admoueatur. Nec abs re profectò,cum & ſanguinis profluuium 1
dum, quare uulnerib. ad moueatur. ſupprimat,dolorem ſedet,refrigeret,& phlegmonas fieri prohibeat, nõ
ſolùm in oculis, ſed & in omnibus locis exulceratis,ut Galenus eſt autor
libro undecimo de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Ante om-
nia uerò,cauendum eſt, ne dolor incidat. Quandoquidem dolor(ut iam
ſæpe dictum eſt)& fluxionem proritat,& phlegmonem excitat. Quo-
modò autem dolorem ſedare oporteat, in præcedentibus ſatis eſt expli-
catum. Porrò eiuſmodi oui candidus liquor, ante tertium diem amoueri
Lib.3.The. non debet. Nam ut Galenus ait, parua uulnera eiuſmodi naturæ ſunt,ut
poſt orarum adductionem,& commiſsionem, ſeu coniunctionem, unius
diei,aut duorum dierum ſpacium adhuc requirant, quò proba fiat unio, 2
& agglutinatio. Quòd ſi uulnus hoc pacto non adglutinetur,curandum
erit,ut in ſequentibus paulò poſt dicetur.

De vulnere magno,percuſsim diuiſo,in ſummo reſidente,hoc eſt, ſuperficia-
li, & minimè profundo, in quo non ſola ſufficit deligatura ad oras ipſius ap-
plicandas,& coniungendas. 1

SI uulnus in ſuperficie corporis acceptum, ad tantam magnitudinem
percuſsim, cæſim ue diuiſum eſt, ut ſola deligatura oræ ipſius nec
adduci, nec committi poſsint: ſutura aut fibulis(quas Græcè ἀγκτῆρας
uocant) eas ipſas diſiunctas oras, adducendas, & coniungendas eſſe, 3
præcepit Gale. libro tertio methodi medendi. Atq; hac ſola partium
diſſidentium coniunctione uulnus glutinatur. Apud recentiores tamen
chirurgos ferè omnes inualuit conſuetudo, ut his uulneribus apponatur
Medicamẽ tum cruentis aptũ ulceribus. puluis ruber, quem incarnatiuum, & conſeruatiuum uocant. Recipit
autem partes duas thuris, & ſanguinis draconis partem unam. Albu- 35
caſis addit tres partes calcis uiuæ. Cuius ſententiæ ſuffragatur &
Lanfrancus. Guido autem loco calcis uiuæ, bolũ Armeniã adiicit. Ha-
lyabbas uerò ſantalos appoſuit. Sunt qui puluerem hunc rubrũ appella-
tum,

tum, labiorum uulneris agglutinatiuum, & ſuturæ conſeruatiuum, hoc modo componunt. ℞. boli Armenij, terræ ſigillatæ, ſingulorum drach. ſex, thuris, maſtiches, ſarcocollæ, ſingulorum drach. duas ſemis, myrrhæ, aloës, ſingulorum drachmam unam ſemis, tragacãthi piſti, ſanguinis draconis, ſingulorum drachmam unam, farinæ hordei, farinæ fabarum, ſingulorum drachmam ſemis. Sed interim ſummoperè cauendum eſt, ne uel pilus, uel oleum, uel quidpiam aliud in medio adductorum labrorum uulneris interuenerit. Nam tunc eiuſmodi uulnus ſola diſſidentium partium coniunctione glutinari non poteſt. Hæc enim quæ ſic interiacent, iã unionem diſpeſcunt, & earum quæ copulandæ ſunt, partium, coalitum impediunt. Ex prædictis autem ſingula, cum oui candido liquore agitari poſſunt, donec in corpus unum coëant, quòd glutinis inſtar lenteſcat. Poſteà uerò ſtupis leuibus excipiendum erit medicamentum, & ita uulneri admouendum: ſupra quod & aliæ ſtupæ ſolo oui albo imbutæ, & intra pannum lineum eodem madefactum liquore, inuolutæ, apponendæ ſunt. Sed & ſupra uulnus nulla alia intercedente materia, pannus aliquis tenuis, p̃dicto imbutus liquore, admoueri debet, ne ſcilicet, dũ remouentur ſtupæ, ſuturæ iam factæ puncta abrumpant, aut dilacerent. Quòd ſi loca circum uulnus adiacentia, roſaceo inungerentur, factum bene exiſtimauerim. Hoc pacto enim læſam particulam à dolore, & inflammatione uindicabis. Qualis autem ſutura, aut deligatura, quales itẽ puluilli ex eiuſmodi ſtupis facti, hiſce uulneribus percuſsim cæſimue in ſuperficie acceptis, atque in conſpectu apparentibus, conueniant, & quo pacto fieri debeant, in præcedentibus abundè ſatis dictum eſt. Cæterùm primus eiuſmodi apparatus, uſque in diem quartum mutari non debet, niſi fortè dolor aliquis uehemens ſuperueniret, aut ſymptoma aliquod moleſtum incideret. Porrò ſi poſt quartum diem tranſactum uulnus nõ coaluerit, uino aliquo ſtyptico calente, abluendum erit. Deindè ſtupæ prædicto uino imbutæ, & expreſſæ, ſupra uulnus ipſum apponendæ, & alligandæ erũt: quas & quotidiè mutare oportebit. Intra enim dies paucos hoc modo uulnus agglutinabimus, & perſanabimus, Galeno etiamnũ atteſtante, libro quarto Therapeutices, ubi Theſſalum arguit, qui uulnera in multos menſes, & interdùm in annum, aut etiam longius tempus protrahebat, & incurrere ſinebat: quæ alioqui pauciſſimis diebus, ut ſex, aut plurimùm ſeptem, curari potuerant.

Cauendum ne quid labris uulneris intercidat.

Quæ cruento uulneri primũ appoſitæ ſunt, antæ diẽ tertium, remoueri nõ debent.

Quæ poſt quartum diem fieri debeant.

Itaque primus apparatus rectè decentérque fit, cum ouorum candido liquore, & puluere illo rubro, cuius paulò antè meminimus. Hic enim & ſanguinis profluuium infrenat, atque inhibet, dolorem ſedat,

Primus apparatus.

& phlegmonem creari uetat.

Secund⁹ apparatus. Secundus uerò apparatus, optimè fit, cum uino, ut suprà dictum est.

Vinũ optimũ ad ceri medi camẽtũ. Vinum nanque (ut Galenus ait libro tertio methodi medendi) omnis ulceris, quà ulcus est [id est, quod citra aliam cum ea implexam dispositionem reluctantem consistit] optimum est medicamentum. Quod hac sequenti ratione conuincitur. Vulnus omne, quà uulnus est, siccari, atq; adstringi desiderat, præsertim si magnum extiterit. Atqui uinum, quale suprà est memoratum, nempe subausterum, hæc duo commoda præstat uulneri. Vinum igitur omnis uulneris, quà uulnus est, optimum est medicamentum. Maior est Galeni, libro nuper citato, ubi ait: quòd eo tempore, quo diuisæ ulceris, seu uulneris partes, ritè sunt coniunctæ, medicamento opus est, quod particulam siccet [& modicè adstringat] ut & si qua sanies iam subsit, hanc consumat, & si qua in uacuum locum fluxura est, hanc prohibeat. Proindè medicamentum glutinatorium plus siccet, oportet, quàm quod carnem producit: nempe ordine secundo. Minor uerò ita deducitur. Vinum, ut Galenus est autor libro octauo simplicium medicamentorum, ex secundo ordine est excalfacientium: sed quod admodùm uetus est, ex tertio, sicut mustum quod uocant, ex primo: caliditati autem eius, proportione respondet siccitas. Proindè uinũ ipsum pro naturarum, seu facultarum, quibus ratione ætatis pollet, diuersitate, desiccat, & agglutinat. Non autem humectat, & refrigerat (extrinsecùs saltem admotũ) ut Theodoricus falsò existimabat. Atque id ipsum est, quod Galenus refert libro quarto Therapeutices, ex senioris Hippocratis sententia inquiens: Vlcera madefacere, id est, abluere, quæcunque ea fuerint, nisi uino, non oportet. Tum causam subijciens, ait: Nam siccum sano uicinius est, humidum uerò, non sano. Hinc Arnaldus dicere solebat, quòd cruenta, & recentia uulnera, aqua ardente (quam & aquam uitæ nuncupant) abluta, celerrimè ad sanitatem perducuntur: quippe quæ insigniter desiccet. Post hanc autem ablutionẽ, quidam infrà scriptum puluerem (qui in hoc casu magnæ est efficaciæ) uulneri inspergunt. ℞. myrrhæ drachmas tres, aloës hepaticæ drach. quatuor, thuris drachmas duas, misce, & fiat puluis. Sunt qui post amotionẽ primi apparatus, emplastra, & unguenta admouent, quæ in promptu ad hanc rem parata habent, ac statim stupas superponunt. Galenus autẽ in re proposita, plurimi facit emplastrum, quod nigrum appellauit: Auicennas uerò unguentum de lino, quod tamen magis dicatum est carni regignendæ, q̃ agglutinationi labiorum uulneris. Guido à Cauliaco in hac re uti consueuerat unguento, quod constat prædicto puluere rubro, remixto

Gal. lib. 3. meth. me.

Vinũ ꝑ ætatis rationẽ diuersa pollet facultate.

Hipp.

Aqua uitæ.

Puluis optimus.

Emplastrũ nigrum.

remixto cum terebinthina lota. Quidam uerò terebinthinam ipſam, cum prædicto puluere commixtam, & (ut dicunt) incorporatam, ſtatim per initia cruentorum uulnerum, admouent, atque in diem quartum relinquunt. Hæc enim oras uulneris coïre facit, & ſuturam eo nomine conſeruat. Sed horum omnium, atque aliorum multorum ad hanc rem pertinentium formulæ, & compoſitiones, in antidotario deſcribentur.

De vulnere profundo, & occulto, ſine amiſsione ſubſtantiæ, in carne accepto.

VVlnus in profundum penetrans, & reconditum, ſubindè ſutura, & decenti ligatura curationem recipit. Si autem hoc modo curari nõ poſsit, uel ſcilicet quia partes, quæ diſiunctæ ſunt, exactè ad imum uſq; (ob nimiam diuiſionis profunditatem) ſibi coniungi non poſsint, uel potiùs quia in fundo collecta ſit ſanies, aut pus, cui nullus patet efflux us, ipſum per efflux ionem, Galeni conſilium ſequuti, curabimus. Ipſam uerò efflux ionem, tum ex eiuſdem, tum ex contrarij loci diuiſione, & ſitu, ſeu figura partis accommoda amoliemur. Porrò ſitum partis uulneratæ accommodum, ſeu congruam poſitionis figuram intelligimus, quandò plagæ hiatus, quem orificium uocant, ſemper deorſum ſpectat, fundum uerò ſurſum, ita ut ſanies ex ipſo uulnere prona, & liberè effluat. Itaq; ſi uulneris figura nõ ad ſuperiora extẽditur, ſed ad ima uergit, nec ſutura, nec fibulis, nec deligatura, partes diſiunctæ, omni ex parte, adamuſsim committi, ac ſibi applicari poſsint, atque in profundo ſiſtatur ſanies: niſi priùs ad efflux um ipſius uitiati humoris, feceris ſectionem, nihil unquàm proficies, ſiue carnem generare, ſiue agglutinare uolueris. Vbi uerò conuenientem poſitionis figuram uulnus in parte laborante ſeruauerit, ſiue id ex natura uulneris, ſiue ex induſtria contingat, ſectione noua opus non eſt, ut libro ſecundo ad Glauconẽ Galenus nos edocuit. Itaque refert eo loci, ſe ſinum in coxa enatum, figura ad ima uergente, ſine ulla ex aduerſo diuiſione, curaſſe. Cum enim ſinus ipſe uerſus genu quidem terminaretur, os uerò altius, circa mediam ſcilicet femoris regionem conſiſteret: iuſsit molle ceruical popliti laborantis ſubijci, ut inferiorem ſitum haberet inguen, quàm genu. Hac igitur conueniente poſitionis figura in læſa parte ſeruata, facilè per os, ichores, & purulenta colluuies, elabebãtur, & effluebant. Idem quoq; & in brachio fieri poteſt. Quandoquidem ſi os uulneris ad partem ſuperiorem uergat, ita brachium collocandum erit, ut ipſum orificium deorſum ſpectet. Atque tum ſine alia facta ex aduerſo ſectione, uulnus po-

Vulnus quãdò per efluxiones curandũ.

Sectio in parte oppoſita quãdò facienda.

Sinus in fe more curat9, citra ullã ex aduerſo ſectionem.

terit ad ſanitatem perduci. Non ſecùs quidem ac ſi os prope cubitum eſſet, uulnere in ſuperiora tendente. Quòd ſi hac conuenienti ſitus figura, particula læſa collocari non poſſit, nec ex uulnere ipſo ſanies elabi: ex aduerſo ſectio molienda erit. Quod & hac ſententiâ iterùm Galenus
» confirmauit circa finem libri tertij methodi medendi. Si uulnus (inquit)
» cauitatem altè reconditam, ſub cute habet, conſiderare oportet, utrùm
» ea in ſuperiore parte ſit, ita ut ſanies ex ea prona effluat: an in inferi-
» ore, ſic ut illic ſiſtatur. Eius igitur cui effluxus patet, eadem quæ alio-
» rum curatio eſt. Cui uerò non eſt, huic ipſi moliamur effluxum opor-
» tet. Eius autem [effluxus moliendi] duplex ratio eſt, [ubi exprimen- 1
» te deligatura nihil promouemus] aliàs tota cauitate deſecta, aliàs in fũ-
» do tantùm aperta. Quandò uerò harum alterutra ſit ineunda, docebit
» tum locorum ipſorum natura, tum uerò ulceris magnitudo. Si nanque ea
» loca ipſa dubiam [ſeu fallacem, ac periculoſam] ſectionem faciant, &
» ulcus magnum fuerit, in fundo aperire magis expedit. Sin contra ſe ha- 1
» beant, præſcindere, ſeu diuidere præſtat. Deligatio uerò eius incipiat
» quidem (ut dictum eſt) ſupernè, finiatur infrà, ubi ſcilicet patet efflu-
» xus. Hactenùs Galenus. Cæterùm in tali diuiſione quæ ex aduerſo fit,

Brunus. Guido. Brunus ſyphunculos, hoc eſt, tubos, ſiue turundas concauas (quas cannulatas uocant) ex utraque parte imponit. Guido uerò dum hanc molie- 2
batur ſectionem, ſolebat uti ſetone (ut uocant) quia meliùs (inquit) ſordes deterget, & totum pertranſit ſpacium, minorémque infert dolorem Ipſum autem intromiſſorio ad formam acus facto immittebat, uel haſtulam ligneam in cauum uulneris imponebat, & ſuper eam tutiùs ſectionem faciebat. Deindè ſectione facta, mundificatiuum aliquod medicamentum leui ſtupa, aut panno exceptum, ſuperponebat, quod bis in 2
die mutabat.

De cauo vulnere, cum amiſsione ſubſtantiæ cutis vtriuſque, et carnis ſubiectæ tantùm, non etiam oſsis. 3

Caput VI.

Vera Hippocraticaque methodus ſanandi cauti ulceris.

IN cauo uulnere non ipſa modo periit cuticula (quam Græci epidermida uocant) uerùm etiam reliquæ cutis ſuppoſitæ, natura uniuerſa, & ſubiectæ carnis portio aliquandò 3
non exigua. Quo fit, ut geminus in eo curandi finis ſit poſitus, unitio ſcilicet & repletio: quoniam & affectus geminus eſt:

Duæ indicationes u-

nem-

nempe ulcus ſiue uulnus, quod eſt unitatis ſolutio, & cauitas, quæ ex amiſſa aliqua animalis propria ſubſtantia eſt contracta. Itaque continui diuortium unitionem, cauitas repletionem deſiderat. Verum enimuerò quoniam in propoſito uulnere unire non poſſumus, quæ diſſident, niſi priùs cauitatem impleuerimus, ordinẽ curationis, à cauitatis impletione ordiri, neceſſe eſt. Omnis nanque quæ præter naturam eſt cauitas, impleri poſtulat: quare & quæ in carnoſa etiam accidit parte. Ipſa uerò impletio inueniendorum remediorum finis, quo tenditur, eſt, quem uel idiota, uel priuatus quiſque etiam nouit. At uerò ut quæ impleant, inuenias, & multa ratione opus eſt, & multiplici particulatim indicatione, & methodo rationali exacta. Longè itaque à ſcopo aberrant, qui unum id ſibi ad cauum ulcus ſanandum ſatisfacere putant, ſi ſciant quòd carne eſt implendum. Non enim in hoc curandi ratio conſiſtit, imò in eo inueniendo quod carne ſit impleturum. Cæterùm particulares indicationes, ex quibus inuenire licet, quæ cauitatem uulneris impleant, ſunt quatuor.

niuerſales proponuntur in curã do cauo uulnere.

Lib. 3. ther

Quatuor indicationes partiales res, in curando cauo uulnere propo nuntur.

Prima ex ipſius uulneris ſubſtantia ſumitur. 1.

Secunda ex ipſius ægri temperamento, non corporis modò uniuerſi, ſed etiam afflictæ particulæ. 2.

Tertia ab ijs, quæ coniugata, & annexa dicuntur, cuiuſmodi ſunt particulæ laborantis intemperies, & circundantis nos aëris tẽperies. 3.

Quarta ex contrarietate indicationum, ut cũ læſa particula contrario eſt temperamento, cum toto, hoc eſt, cum corpore uniuerſo. Talis ſiquidem ordo indicationum ſtatuitur à Galeno libro tertio methodi medendi, in curandis uulneribus omnibus, ne dum in cauo. Porrò nomine indicationis ſubſtantiæ uulneris, hoc loco inaudiuntur indicationes differentiarum maximè propriarum ipſius uulneris: de quibus abundè ſuprà diſſeruimus, & in ſequenti tractatu, qui de ulceribus inſcribitur, locupletiùs adhuc diſſeremus. 4.

Itaque prima ſanandi caui uulneris indicatio, nobis inſinuat, carnem eadem ſpecie cum ea quæ periit, regignendam eſſe. Impleri enim non poterit, quod cauum eſt (ut prima curandi indicatio uniuerſalis poſtulat) niſi ſubſtantia omninò ſimilis ei quæ periit, regignatur. Atqui carnis gignendæ materia ſanguis eſt: opifex uerò, ſeu effectrix cauſa, ipſa natura. Verùm non ſatis eſt ſanguinem dixiſſe, niſi etiam & bonum (inquit Galenus) addiderimus. Erit autem ſanguis qui influit, & ex quo regignenda caro primordium habet, bonus, ſi nec qualitate, nec quantitate uitioſus fuerit. Sed nec ſatis etiam hoc loco fuerit natu-

1. *Prima indicatio.*

Sanguis bonus, materia eſt gignendæ carnis.

ram

ram dixiſſe, niſi etiam quorum natura, ſit adiectum, & ubi. Conſtat autem, quod ſubiectorum corporum, quibus ſuperinduci caro debet, natura ipſa gignendæ carnis opifex eſt. Porrò rationem opificis habere non poterit natura ſubiectarum particularum, quibus deficiens caro reſtituenda eſt, niſi iuſtum, & minimè uitiatum calidi, frigidi, humidi, ac ſicci temperamentum obtineat. Siquidem ex horum temperatura, cuiuſque corporis natura conſiſtit. In omni igitur cauo uulnere, duo illa primùm conſideranda ſunt: nempe quod ſubiectum eſt, iuſtá ne temperie ſit, id eſt, an ſecundum naturam ſe habeat. Et præterea ſanguis qui influit, bonús ne, an modicus ſit. Fingamus igitur & ſanam eſſe partem ſubiectam, atque afflictam, & ſanguinis (qui gignendæ carnis materia eſt) confluxum citra ullum uel in quantitate, uel qualitate uitium. Iis ſanè ita ſe habentibus, nihil eſt præterea quod obſtet, quominùs prima carnis generatio proſperè contingat, idque nullius externi medicamenti ope. Quippe cauſis ambabus unde naſcitur præſentibus, nullóque extrinſecùs quod impediat, obſtante, non poteſt prohiberi carnis generatio. Verùm in ipſa primæ carnis generatione duplex (ut Galenus ait) prouenire excrementum neceſſe eſt: alterum quidem craſſius, alterum uerò tenuius. Quod & in omni qualitatis alimenti mutatione contingere ſolet. Hoc autem (tenuius inquam) in ulceribus recentibus, quæ hîc uulnera appellamus, Latinis ſanies, Græcis ichωr nominatur. Illud uerò (quod craſſum eſt ſcilicet) nobis ſordes dicitur. Ac ex tenui quidem excremento uulnus humidum redditur, ex craſſo ſordidum. Eóque duplicibus medicamentis eget: utique ut humidum eſt, ſiccantibus: ut ſordidum, expurgantibus. Ergo cum nullo unquàm tempore natura ceſſet, certè nec tempus ullum erit, in quo non ambo hæc in cauo ulcere colligantur. Quare nec tempus ullum erit, in quo non utrũque medicamenti genus deſyderetur: utiq; & quod ſiccet, & quod expurget. Verùm non ſatis adhuc fuerit, cuiuſmodi quidem genere eſſe medicamentum debeat, inueniſſe: ut iam Hippocratica ueráque metho do, inuentũ eſt. Sed & ſpecies aliqua inuenienda eſt, quæ eiuſmodi uulneri ſit accommoda, & ſtatuto ordine gradúue circumſcripta, ut carnẽ producere poſsit. Non omne namque medicamentum, quod ſiccandi, & detergendi pollet facultate, carni producendæ eſt aptum, ſed quod mɔdicè: nempe primo ordine tum ſiccare, tum detergere poſsit. Quippe quod ſuper hunc fuerit, ita, ut non modò humoris qui influit, redundantiam conſumat: ſed etiam affluentem ſanguinem populetur, id refici carnem (ut Galenus inquit) ceu materiem eius abſumens prohibebit. Itaq;

Natura ſubiectorũ particularum, opifex eſt carnis regignendæ.

In omni cauo uulnere duo ſpectãda.

Hypotheſis

In carnis generatione, duplex præuenire ſolet excremẽtũ

Sanies.

Sordes.

Medicamẽtum carni producendæ idoneum.

præ-

præſenti negotio aptiſsima ſunt, thuris lachryma, & hordeacea, & fabacea, & erui farina, & iris, & ariſtolochia, & cadmia, & panax, & pompholyx, quæ uulgò tutia dicitur. Omnia uerò hæc tum maioris, minoríſque diſcrimine inter ſe diſsident: tum alia eorum ſimplices qualitates uincentes habent, alia compoſitas. Siquidem ariſtolochia, & panax, tum cæteris plus ſiccant, tum natura magis calent: hordeacea fabarúmque farina, multo his minùs ſiccant, nec ullum calorem obtinent. Thus modicè calet, minus tamen illis ſiccat: adeò ut quaſdam corporum naturas omninò non ſiccet. Erui farina, & iris, horũ atq; ariſtolochiæ, & panacis, medium locum tenent. Ex 3. meth.

Secunda indicatio curandi uulneris caui, quæ (ut ſuprà dictum eſt) tum ex corporis totius, tum ex particulæ laborantis temperamento ſumitur, inſinuat nobis medicamenta, uel calidiora, uel frigidiora, uel humidiora, uel ſicciora, ipſi uulneri eſſe admouenda: nempe pro natura, ac temperamento, & totius, & afflictæ particulæ. Scire namque licet (ut Galenus ait) duas eſſe primarum indicationum differentias, quarum una ab eo, quod ſecundùm naturam ſe habet: altera uerò ab eo, quod præter naturam eſt, ſumitur. Porrò quod ſecundùm naturam ſe habet, ſui cuſtodiam indicat, & propterea quæ ſimilia ſui ſint, poſtulat. Quod uerò præter naturam eſt, ſui ablationem deſiderat: proindè & contraria requirit. Perit enim quidq; in contrarium, & à contrario. Igitur uulnus quidem (quia præter naturam eſt) quo eſt humidius, eo ſanè medicamento, quod magis ſiccet, indiget. Corporis uerò natura (propterea quod ſecundùm naturam eſt) quanto eſt humidior, tanto, quod minùs ſiccet, medicamentum poſtulat. Proindè, ſiqua ſunt in diuerſis corporibus uulnera ulceráue, quibus par adſit humiditas: quod in ſicciore corporis temperamento conſiſtit, utique magis ſiccari poſtulat: quod in humidiore, hoc ſanè minus, quo natura (inquit Galenus) naturæ intereſt. Siquidem productam carnem, ei quæ præfuit, ſimillem eſſe oportet. Vbi igitur priſtina ſiccior fuit, nouellam quoque ſicciorem fieri conueniet. Quare uberiùs hæc ſiccari poſtulat: quantóque magis ſicca fuerit, tanto quod admouetur medicamentum, magis ſiccam facultatem habere debebit. At in humidiore natura, tanto rurſum ijs quæ minùs ſiccent, medicamentis eſt opus, quanto caro ipſa minùs eſt ſicca. Quò fit, ut thus (quod cum temperatis, & medijs naturis conſentit) in quibuſdam, tum ulceribus, tum naturis, pus quidem mouet, carnem non producit: in quibuſdam etiam carnem producit. In humidiore nanque natura ſiccare, & producere carnem poteſt, in ſicciore non poteſt, imò hume-

2. Secũda indicatio curandi caui uulneris.

Duas eſſe primarũ indicationum differentias.

Li. 3. meth. med.

Thus in quib⁹, tum naturis, tũ uulneribus carnẽ pro ducat.

humectat, ac ſuperatur à natura, proindè & putrefacit. Præterea in modicè humidis ulceribus, tum recentibus (quæ hîc uulnera & plagas appellamus) tum diuturnis, & iam inueteratis, carnem efficere poteſt: quippe quòd moderatè deſiccet. In ijs uerò, quæ præhumida ſunt (quòd non ſatis deſiccet) prorſus non poteſt.

3. Tertia indicatio cuãdi uulneris caui.

Tertia indicatio nobis inſinuat inueniendum eſſe remedium, quod proportione, & ſtatuto quodam ordine gradúue, ipſis affectibus, qui ſimul cum ipſo uulnere incidunt, reſpondeat: illóſque ipſos affectus priùs ſummouendos eſſe, quàm ipſum uulnus carne implere tentemus. Itaq; ſi intemperies uulneri acceſſerit, atque exulcerata uulneratáue caro, uel priùs etiam ex quauis occaſione, uel ipſo uulnerationis tempore, iuſto calidior, frigidiórue ſit effecta: utique medelam exigit, quæ non modò moderatè ſiccet, ſed etiam intantùm calfaciat, refrigerétue, in quantùm ſubiecta caro à naturali ſuo habitu receſſit. Fieri enim non poteſt, (inquit Galenus) ut in ulcere, uel carnis productio, uel ſinus impletio, uel agglutinatio, uel cicatricis inductio (quæ omnia naturæ ſunt opera) rectè unquàm cedat, niſi ſubiecta caro pro naturali modo ſe habeat. Quocirca legitimi ulceratarum, ſeu uulneratarum partium temperamenti maior tibi ſollicitudo erit, quoties eas, uel carne implere, uel glutinare, uel cicatrice inducere ſtudes. Itaque congruis, atque opportunis auxilijs, aduerſus illos, qui cum uulnere incidunt affectus, pugnare oportet, priuſquàm uulneris ipſius curationem aggrediamur. Veluti igitur ſi phlegmone unà cum uulnere eſſet, nemo uulnus ipſum, uel carne implere, uel glutinare, uel cicatrice inducere, attentare debet, priuſquàm illa diſcuſſa ſit. Ad eundem arbitror modum etiam, ſi ſine phlegmone ſola ſubſit intemperies, nullum horum fore priùs ſperabimus, quàm illa ſit ſanata. Quòd ſi hæc ita, ut dictum eſt, ſe habent, inſpici etiam conueniet circundantis nos aëris temperiem. Siquidem (ut tertio methodi Galenus ait) ueluti medicamentum quoddam, is quoque corporibus noſtris forinſecùs incidens, ubi immodicus calore, uel frigore eſt, ſanationem remoratur. Danda igitur opera eſt, ut medicamenta exceſſui [ipſius ambientis] occurrant. Ideóque Hippocrates, In calidioribus anni temporibus, ijs, quibus frigidior facultas ſit, medicamentis utitur, calidioribus per frigidiora. Adeò (inquit) perpetuò uerum eſt illud theorema: Quæ ſecundum naturam ſunt, ſimilium ſibi, indicatiua ſunt: quæ præter naturam, contrariorum, ſi modò ſaltem illa ſeruari, hæc ſummoueri deſiderant. Porrò ambientis nomine hoc loco, et præſentes ſtatus, ſeu anni tẽpora, & etiã regiones, cũ Gal. intelligimus.

Li. 3. me.

Circũdãtis nos aëris tẽperiẽ ĩ curãdis uul. maximè ſpectãdã eſſe.

Quæ noĩe ãbientis intelligãtur.

Quar-

4. Quarta indicatio curãdi uulneris cauiꝰ.

Quarta indicatio particularis in ſanando cauo uulnere obſeruanda, ſumitur (ut ſuperiùs dictum eſt) à contrarietate indicationum: non quidem earum, quæ in diuerſis temporibus perficiuntur, ſed earum, quæ in uno, eodémq; tempore ipſius curationis ſubindè offeruntur. Vt exempli gratiâ, ſi ægri temperamentũ iuſto ſit humidius: particula uerò ipſa quæ laborat, ſiccior: aut contrà, quòd hæc ſit humidior, & totius temperamentum ſiccius. Pari modo in calore, & frigore, quòd contrario temperamento ſit pars cum toto. Diuerſa ſanè in his eſt ea, quæ à patiente particula accipitur indicatio, ab ea, quæ ex ægri ſumitur natura. Itaq; hæc particularis indicatio, quam quartam in ordine poſuimus, inſinuat nobis medicamenta, uel humidiora, uel ſicciora, uel calidiora, uel frigidiora, aut prout res poſtulabit, media, ac temperata, deligenda eſſe, quæ ipſi uulneri admoueantur. Statuamus igitur clarioris doctrinæ gratiâ totum corporis laborantis temperamentum humidius eſſe, eóque medicamenta deſiderare, quæ minùs ſiccent: ipſam uerò ægram particulam ex earum numero eſſe, quæ ſicciores ſint, qualia ſunt ea, quæ minùs carnoſa conſpiciuntur: Cuius generis ſunt, quæ circa digitos, & articulos habentur: præterea, quæ circa aures, & naſum, & oculos, & dentes ſunt: ac ut ſemel dicam, ubi crebræ cartilagines, & membranulæ, & ligamenta, & nerui ſunt: adeps uerò, & caro, uel omninò nulla eſt, uel perquàm exigua. In hac ſiquidem hypotheſi, ſi quanto ægri temperamentum iuſto eſt humidius, tanto particula iuſto ſit ſiccior, nec adiiciendum, nec detrahendum pharmaco quicquàm eſt, ſed tale adhibendum, quale ſi ulcus, uulnúſue, in mediĳ temperamenti particula cõſiſteret. Sin ſiccior debito particula fuerit, quàm corporis temperamẽtum iuſto eſt humidius, utique in tantum intendi ſiccitatem medicamenti conueniet, quantum particulæ temperamentum, totius temperamentum excedit. Veluti ſi quatuor numeris ſit pars exulcerata medio temperamento ſiccior: ægri uerò natura gradibus tribus humidior: manifeſtum eſt particulam, quæ nunc uulnerata exulceratáue eſt, ſiccius uno gradu deſiderare medicamentum, quàm pars quæ ſit temperata cæteris paribus. Sed ut hæc omnia coniectura ſola cognoſci poſſunt, ita longam in hominũ naturis, & medicamentorũ facultatibus contẽplandis, exercitationẽ poſtulãt: nec eſt præterea, q̃ de indicationibus, quæ à calido, & frigido ſumuntur, dicatur. Quandoquidem ad portionem dictorum intelligi poſſunt. Vidés ne igitur clariſſimè, quot huic theorematis ſit opus, qui probè ac certa methodo curare uulnus cauum uoluerit.

Hypotheſis ex li. 3. the.

Epilogus præcedẽtiũ

Nam poſtquàm inuentum eſt, humorem omninò huic uitio ineſſe, utique

ſ que

que ſiccans medicamentum parandum indicauit. At quoniam ipſorum ſiccantium quædam magis ſiccant, quædam minus, partim ex uulnerum diuerſitate, partim ex ægri natura, quod expedit, eſt deſumptum. Itaque non modò de corporis natura meditatus ſit oportet, quiſquis commodè, & ex arte ſanare uulnus eiuſmodi ſtudet: uerùm etiam diligenter ſpeculationem omnem de medicamentis didiciſſe, tum ſicci humidíque corporum temperamenti notas callere. Adhæc, tum ambientis temperies (quæ utique tum ad præſentes ſtatus, ſeu anni tempora, tum uerò regiones extenditur) tum partium naturæ, tum indicationum inter ſe pugnantium contrarietas, eidem conſideranda ſunt. Verũ enimuerò Theſſalus, & plærique alij medici, qui etiam illum hodiè imitantur, iſta quidem nec inquirunt, nec norunt. Sed iuxta prouerbium, mali ſutoris modo, uno calopodio omnes calceant, nullo naturarum, aut partium, aut id genus aliorum facto diſcrimine. Cæterùm apud recentiores chirurgos in curando hoc uulnere, communis hic modus obſeruari ſolet. Stata iam ſanguinis profuſione, & parte affecta, ab inflammatione, & dolore uindicata, uino calente uulnus abluitur: mox ipſo pluto, ac deſiccato, puluis aliquis carnem regenerans, aut unguentum aliquod ſarcoticum, admouetur. Itaque linamenta ijs ſarcoticis (quorum libro ſexto abundè meminimus) imbuta, aut conſperſa, in ſinum uulneris demittuntur. Poſt hæc ſtupæ aridæ, uel quæ uino maduerint, ſuperponuntur. Ac demùm, quæ medicamenta adprobè continere poſſit, deligatura adhibetur: atque æſtate bis, hyeme ſemel duntaxat, auxilia eiuſmodi permutantur. Porrò eiuſmodi medicamina, quæ uulnerum, atque ulcerum cauitates implent, mediocriter, citráque morſum abſtergentia ſunt, ut libro quinto ſimplicium medicamentorum Galenus annotauit.

Praxis cõmunis.

De vulnere impleto, ſiue æquali. Cap. VII.

Methodus inducendæ cicatricis.

Cæterùm ubi uulnus purgatum, impletúmq; carne fuerit, æquale tũc, ſiue æquabile, latũ, planũ, atq; impletũ nominatur. Hoc aũt cicatrice tantùm induci poſtulat. Porrò ut ad cicatricem perducatur, amiſſam cuticulam, quam epidermida Græcè uocauimus, deſiderat. Hanc igitur tum regignere, tum ſibi unire oportet. Verùm cùm ex ſemine ortum habeat cutis, talis omninò, qualis erat, quæ periit, prorſus regigni non poteſt: ſimile quiddam tamen cuti, & quod eius officium ſuppleat, reſtitui poteſt: non tamen planè cutis. Quandò igitur ut cutis regeneretur, fieri omninò nequit, quod ſuper-

Cutis eadẽ ſpecie cum ea q̃ periit, regigninõ poteſt.

ſupereſt, efficere eſt tentandum: nempe inſtaurare aliquid, quod cuti deperditæ ſimile ſit, & carni ſit ueluti naturale aliquod tegumentum. Id enim eſt uulnus iam repletum, planúmque redditum, ad cicatricem ducere. Qui finis eſt, quem nunc hîc prætendimus: Huius itaque efficiendi ratio hæc eſt. Portio quæpiam ſubiectæ carnis nuper genitæ, & reſtitutæ (ea ſcilicet, quæ ſummo tenus euidenter apparet) ſic alteranda eſt, ut non ampliùs caro permaneat, ſed ueluti cutis euadat. At quo pacto inquies ita alterabitur? profectò alicuius alterantium qualitatum ope. Ergo (ut Galenus ait) quoniam cutis carne ipſa tùm ſiccior eſt, tum etiam denſior, ſi carnem ſiccabimus, & adſtringemus, cuti etiam perſimilem reddemus. Et hæc quidem eſt medicamenti, quod cicatricem inducit, ſumma. Verùm ea non ſatisfacit: nam & glutinatoria, tum ſiccabant, tum etiam adſtringebant, ſicuti & epulotica, id eſt, cicatricem inducentia. Adijciendum ergo eſt, quo ordine, gradúue ſiccare debeant medicamenta, quæ cicatricem inducunt, quemadmodùm & de ſarcoticis, & glutinatorijs fecimus. Id autem ex ipſa rerum ſubſtantia facilè inuenies. Epuloticum nanque, id eſt, cicatricem inducens medicamentum, non modò, qui influit, humorem (ut glutinatorium) ſed eum quoque, qui in ipſa carne ſubiecta continetur, conſumere debet. Quò fit, ut multo profectò ſiccius, quod cicatricem inducat, quàm quod agglutinet, medicamentum eſſe conueniat.

„ Lib. 3. meth. „ med. „ „ „

Epulotico rũ facultas.

Itaque tres gradus deſiccantium medicamentorum, in curatione uulnerum neceſſariò ſtatuendi ſunt. Nempe ſarcoticorum, id eſt, carnẽ regignentium, quorũ facultas ex primo ordine eſt deſiccantium. Agglutinatoriorum, quæ ſecundo gradu, uel etiam tertio reſiccant. Et epuloticorum, hoc eſt, cicatricem inducentium, quæ ſiccandi facultate, prædicta adhuc ſuperant. Hæc enim non accidentalem modò, & confluentem (quæ præter naturam eſt) humorum redundantiam deſiccare, ac conſumere debet: ſed eum quoque humorem, qui ſecundum naturam eſt, & in ipſa (ut dictum eſt) ſubiecta carne continetur. Quod & ſequentibus uerbis Galenus teſtatus eſt, Glutinatoro (inquit) unũ id propoſitũ eſt, ut eius, quod præter naturam eſt, redundantiam conſumat. Qui cicatricem inducet, non hoc modò, uerùm etiam ut ei, quod ſecundum naturam ſe habet, aliquid deradat. Priuſquàm igitur uulnus cicatrice poſſimus obducere, eo uſque reſiccanda caro eſt, donec calli ſimilitudinem induerit, & cuti ſimilis euaſerit. Quod ſanè per ſe, primariò, ac propriè, hoc eſt, peculiari facultate, medicamenta effecerint, quæ adſtringendi modicè facultatem habent: & eiuſmodi quidem, ut plurimùm frigida

Tres gradꝰ deſiccantiũ medicamentorũ, i curatione uulnerũ ſtatu endos eſſe: Sarcotica. Agglutinatoria. Epulotica.

Epulotica ꝑ priè dicta quã facul.

tatem ha-beant. gida ſunt, & ſicca. Cuius generis reputantur, galla immatura, malicorium, id eſt, mali Punici, ſeu Granati cortex, balauſtium, qui flos eſt ſylueſtris Punicæ, fructus ſpinæ Aegyptiæ, uel eius loco acacia, rhus, ſeu ſumach, & eius generis uniuerſa, quæ modicè adſtringunt, atque deſiccant. Per accidens uerò, & ſecundariò carnem alterando, & calli inſtar indurando, cicatricem etiam inducunt calida medicamina, quæ carnem detrahere, ac colliquare ſunt nata, Galeno libro quinto ſimplicium, cathæretica, id eſt, detractoria dicuntur, uulgò autem conſumptiua.

Cicatricem p accidens i ducentia.

Cathæretica. Cuius generis ſunt chalcitis, & æs uſtum non lotum: quod enim lotum eſt, uerè eſt epuloticum: & æris ſquamma, & miſy, & fiſſum alumen, & quod uulgò uitreolum appellatur. Quæ prædictis uerè epuloticis, id eſt, primariò, & ex ſua facultate cicatricem inducentibus, multò ſunt ualentiora. Miſy quidem, & chalcitis præcipuè. Mitior autem æris ſquãma: atque etiam hoc mitius æs uſtum. quod etiam ſi laudabis, utique (inquit Galenus) minus mordens medicamentum habebis. Itaque ſi quãdò ijs uti ad cicatricem inducendam in aliorum penuria cogimur, parciſsimè ipſis utemur: largiùs enim admota, mordicant, colliquántq; carnem, & ulcus cauum efficiunt. Summum igitur tantùm ſpecillum, hoc eſt, ſpecilli cuſpidem, in ea ad exactiſsimum læuorem tuſa dimittemus, ac pòſt uelut tenuiſsimum quendam pollinem, partibus, quæ cicatrice induci poſtulant, leuiter eas contingentes imponemus. Quòd ſi illa etiam aduras, ut minùs acria, ſic ad cicatricem inducendam, reddes magis apta: ſi uerò etiam laues, adhuc fient mitiora. Sed de his locupletiùs, atque accuratiùs dicemus in antidotario, & in tractatu de ulceribus.

De cicatricibus reparandis in vulneribus.

DEformes, atque indecoræ cicatrices, teneræ quidem adhuc, & recentes inſtaurantur Razi, admoto diachylo, aut litharg yro (ut uocant) nutrita. Cicatrices nigras tollunt, oleum in quo radix bryoniæ tũ candidæ, tum nigræ, incocta ſit, dum ſuccum reddat impoſitum: calamintha ex uino cocta, argenti quoque ſpuma cum roſaceo albo lota. Craſſiores uerò, & iam inueteratæ reparantur, oleo balſamite appoſito, uel radice cucumeris ſylueſtris (quem aſininum uocant) trita, & appoſita. Quòd ſi his, aut ſimilibus non tollantur, id totum quod ſupereminet, atque excreſcit, cultro raſorio reſcindendum eſt, uel cauterio amouendum. Cruſtam uerò reſolues admoto gallinæ, aut anatis adipe, uel etiam maſtiche. Hæc quidem in ijs agenda cenſent recentiores chirurgi. Verùm Cornelius Celſus ſtultum eſſe exiſtimat, ſi uel excreuit cicatrix,

trix, uel concaua eſt, decoris cauſa rurſus & dolorem, & medicinam ſuſtinere. Alioqui (ait) res utrique ſuccurri patitur. Siquidem utraque cicatrix exulcerari ſcalpello poteſt. Si medicamentum aliquis mauult, idẽ efficiunt compoſitiones hæ, quæ corpus exedunt. Cute exulcerata, ſuper eminentem carnem, exedentia medicamenta coniicienda ſunt: ſuper concauam, implentia, donec utrunq; ulcus ſanæ cuti æquetur, tum cicatrix inducatur.

De vulnere ſupercreſcentem carnem habente, quam Græci hyperſarcoſin vocant. Cap. VIII.

VLnus quod hyperſarcoſin, id eſt, ſupercreſcentem carnem habet, morbus eſt ex eo genere, quod in quãtitate magnitudine partium ſpectatur, quemadmodùm & cauitas erat, de qua paulò antè egimus. ergo ueluti uulnus cauum, non unum eſt uitium: ſed pariter cauitas, & uulnus. Ita uulnus aut ulcus, quod ſupercreſcentem carnem habet, non unus eſt morbus, ſed ſimul caro ſupercreſcens, & uulnus, ulcúſue. Prior morbus, qui inſtrumentarius eſt, (nempe magnitudo, quæ præter naturam eſt) primam indicationem (quæ ueluti meta eſt inueniendorum remediorum) nobis inſinuat: ipſius ſcilicet exuberantis, & præter naturæ modum excreſcentis, ablationem. Alter uerò morbus qui communis eſt (nempe ſoluta unitio) coniunctionem indicat. Porrò ipſa agglutinatio, ſeu diſſidentium coniunctio, uti & carnis generatio, naturæ quidem operâ (ut priùs diximus) perficitur. At ſupercreſcentis carnis detractio, nullum quidem (inquit Galenus) naturæ opus eſt, ſed ſolis medicamentis, ſeu medicamentorum ope perficitur, quæ uehementer exiccent, & naturâ acria ſint: cuiuſmodi ſunt, atramentum ſutorium, quod Græcis chalcanthum dicitur: chalcitis ſeu uitreolum, ſpongia, radix aſphodelorum, hermodactyli, ſtupæ minutim inciſæ, linamenta è panniculo carpta, muria acriori imbuta, & reſiccata: unguentũ uiride, & id genus alia tũ ſimplicia, tũ cõpoſita, q̃ ex libro ſexto ſunt requirenda. Cæterùm id unũ ſemper fideli memoria obſeruandum moneo: nempe pro diuerſis corporum & partium tẽperamentis, uarianda eſſe remedia. Eadem enim medicamenta quibuſdam naturis carnem excreſcentem inſumunt, aliis uerò cicatricem inducunt, aliis ſolùm glutinatorio minùs præſtant. Eiuſmodi nanque medicamenta quæ carnem minuunt (ſeptica Græcis impropria quidem appellatione, dicuntur) proxima ſunt, tum iis quæ ualenter detergent, tum

Vlcus ſupercreſcentem carnẽ habens, nõ unus eſt morbus.

Carnis detractionem medicamẽtis perfici, non operâ naturæ. lib. 3. metho.

Septica. i. carnem minuentia.

ijs quæ cicatricem inducunt. Sic ut non pauci interim (inquit Galenus libro tertio methodi medendi) per errorem medicamentum, quod carnem minuit, uel pro eo quod ſordem deterget, uel pro eo, quod cicatricem inducit, accipiant. Exempli gratiâ, miſy, & chalcitis (quæ inter cicatricẽ inducentia annumerauimus) ſi naturæ humidæ applicabis, potiùs carnem demere, quàm cicatricem inducere deprehendes. Adde, quòd inter eiuſmodi ſeptica, quæ carnem tenellam uulneribus, atque ulceribus ſupercreſcentem colliquant, & abſumunt: quædam ualentiora ſunt, q̃dã imbecilliora, et mediocria. Quocirca nonnulla mediocres carni ſupcreſcẽtias exedunt. Alia uerò maximas hyperſarcoſes, id eſt, carnis immodicas excreſcentias minuunt, & ad uſque penitiora cruſtis obducunt. Cuius generis eſt, quod recipit calcis uiuæ, ſquammæ æris, & mannæ thuris pares modos. Sed de ijs quidem adhuc locupletiùs libro ſexto dicetur: quare ad reliquas uulnerum differentias properandum eſt.

De vulnere contuſo, ab aëre alterato, dura, calloſaque labra habente, cruciante, & phlegmone, aut alio præter naturam tumore, implicito. Cap. IX.

VIneris (*ut in præcedentibus demonſtrauimus*) *quà uulnus eſt, ſanatio, mediocris ſiccatio eſt. At uulneris, quod cum alio affectu coniunctum eſt (cuius uidelicet præcedere curationem oportet) eius curatio, ut uulneris ſolius non eſt, ſed prior illius affectus, qui cum uulnere conſiſtit, ſecunda uerò ipſius uulneris: nam ſiue phlegmone quæpiam, ſiue nigritia, ſiue ecchymoſis, ſiue eryſipelas, ſiue tumor is, qui œdema dicitur, ulceratam, uulneratámue carnem obſederit, primùm eius molienda curatio eſt. At uerò quod uulnus interim non ſolùm non commodè curatur, ſed multò etiam maius redditur, id neminem (inquit Galenus) latere puto. Itaque ſiue contuſa fuerint circumpoſita uulneri loca, ſeu phlegmone, aliúſue tumor præter naturam in his conſtiterit, propria eius affectus ſanatio inuenienda nobis eſt: illud pro certo habentibus, fieri non poſſe, ut uulnus ſanetur, niſi locus, in quo conſtitit, priùs ſit ſanatus. In eiuſmodi igitur uulneribus, ſuppoſito communi regimine phlebotomiæ, purgationis, & diætæ (quandoquidẽ hi affectus præterquàm quòd uulnera ipſa ad caco ẽthiam præparant, fluxionem etiam in unum locum dolentem excitant, auocántq;, tametſi etiam corpus nec ſanguine, nec ullo ſuccorũ uitio redundet) topica, ſeu localis curatio communis eſt, agglutinationem prohibere,*

hibere, & fluxionem arcere. Quocirca rectè mihi feciſſe uideberis, Vuln. contuſi recta curādi ratio.
ſi in contuſo, cruciante, & phlegmonoſo uulnere, ſtatim per initia, loca circumiacentia illiueris, uel roſaceo, uel myrtino oleo, uel unguento, quod conſtat bolo armenia, oleo, & aceto. Supra uerò dolentem partem oleum aliquod admoueris, quod uel leniendi, uel molliendi, uel maturandi (ut res exigit) uim habeat. Ponamus igitur carnoſam aliquam particulam telo tum cæſam, tum contuſam eſſe: huic ſanè ita ex Hippocratis ſententia medendum eſt, ut quàm celerrimè ſuppuret. Neceſſe enim eſt, carnes ſic contuſas, putreſcere, & in pus uerti. Poſtquàm uerò ſic per quandam putreſcentiam in pus uerſæ fuerint, liquari, & tãdem nouam carnem naſci. Adde, quòd hac curandi uia, & ratione obſeruata, minùs (eodem Hippocrate autore) phlegmone urgebitur caro ipſa ſic cæſa, contuſaque. Hypotheſis
Duæ igitur intentiones in curando uulnere contuſo, nobis proponuntur: nempe ſuppuratio, & nouæ carnis generatio. Porrò cùm ſuppuratio cum quadam fiat putreſcentia, & omnia quæ putrefiunt (Galeno autore) ex calido, & humido ſic afficiantur, nimirùm quæ calfaciant, humectentque, hiſce contuſis uulneribus, atque adeò omnibus ijs affectibus, quibus moueri pus expedit, admouebimus. Cuiuſmodi ſunt, maluæ coctæ, radix althææ, tetrapharmacum, panis triticeus, hordei farina ex aqua, & oleo: itémque panis ex aqua & oleo. Prætereà fomentum multæ calidæ aquæ: hæc enim, & ſimilia omnia quæ ſic calfaciunt, & humectant, celerrimè pus mouent. Horum autem materiam copioſam habes libro præcedente de tumoribus præter naturam: & in antidotario: item libro quinto de ſimplicibus. Verùm enimuerò non fuerit alienum, hîc unum, atque alterum compoſitum medicamentum ſubijcere, quod ad ſuppurationem in propoſito uulnere benefaciat. Geminatio, in curãdo uulnere cõtuſo proponitur. Li. 4. The.
℞. radicis althææ, cucumeris agreſtis, ſingulorum unciam ſemis, origani agreſtis, byſſopi ana manipulum ſemis, florum chamæmeli, ſeminis lini, ana pugillum unum, ficus pingues ſex, uuas paſſas pa-
ri numero: unà bulliant, ac tandem ijs preſſis, ac diligenter tuſis, adde galbani, myrrhæ, ſtyracis liquidæ, cæſypi, ana drachmam unam ſemis, ſanguinis draconis, adipis porci, ana unciam ſemis, componatur malagma. Conducit plurimùm ad eandem intentionem aſſequendam, & infrà ſcriptum medicamentum, in formam emplaſtri redactum. Accipe foliorum maluarum, & uiolarum ana manipulum unum, radicis althææ libram ſemis: decoquantur in iure carnium abſque ſale, poſteà ſubigantur in mortario, & cribro incernantur, ex cribratura cum prædicta decoctione, & farina hordei, ac tritici, ana quantùm ſatis eſſe uidebi-
Ex Auic. fen 3. quarti.
Emplaſtrũ

tur,fiat emplaſtrum ſolidum,ſiue malagma, addendo butyri & olei cõmunis ſingulorum uncias tres, uitellos duorum ouorum,& croci momẽtum. Hoc autem, ut & præcedens malagma ſuper uulnus, & contuſam carnem,dandum eſt. In ipſo uerò uulnere imponi debet digeſtiuum(ut uocant) ex terebinthina reſina, & ouorum luteis. Cæterùm perducto ad ſuppurationem uulnere,his, quæ pus mouent, relictis,ad purgãtia, & detergentia tranſeundum erit, ut ſunt,tincta in melle linamenta, mundificatiuum ex apio,& id genus alia, quæ in antidotario deſcripta inuenies. In omnibus autem eiuſmodi uulneribus, rectè inditur turunda melle roſaceo,aut unguento Apoſtolorum nuncupato,imbuta. Suprà uerò id purgans, detergénſue medicamentum, ſtupæ aridæ dandæ ſunt: adaptandáque eſt deligatura, quæ admota medicamenta probè retineat,donec perfectè expurgatum uulnus fuerit. Tum demùm autem purùm ulcus eſt(inquit Celſus) cùm rubet, ac nimiùm neque ſiccum, neq; humidum eſt. Ac quodcunque ſenſu caret, quod non naturaliter ſentit, quod nimiùm aut aridum, aut humidum eſt, quod aut pallidum,aut albidum, aut liuidum, aut nigrum eſt, id purum non eſt. Purgato, ut decet,uulnere, carne ipſum implere oportet, quæ ſecunda erat in curando hoc contuſo uulnere,intentio. Carnem igitur modo, quo ſuprà diximus, generare oportet, & iam impletum ulcus ad cicatricem perducere. Quem ſcopum facilè aſſequeris, ſi turundam indies paulatim imminueris. Ita enim ſolius naturæ operâ, ac citra ullum medicamentum, ulcus carne implebitur, & cicatrice obducetur. Quòd ſi caro multùm eſſet dilacerata, & ſutura utilis uideretur, conſuatur laxa quadam ſutura, labia retinente. At ſi labra uulneris ab ambiente alterata fuerint, ac dura, calloſáque appareant, ſcalpello illa (modò nulla alia obſtiterit diſpoſitio)corium amouendo,renouare oportebit:deindè conſuere.Porrò ſi cæſa contuſáque caro enumeratis modò auxilijs, ad ſuppurationẽ perduci non poſſit, uideatúrque in gangrænam, ac partis corruptelam degenerare(quod ex tarda,difficilique maturatione, & fuſco, liuido, aut nigro loci affecti colore,deprehendes) unguentum Aegyptiacũ nominatum, capite de curatione gangrænæ deſcriptum, aut aliquod aliud ſimile medicamentum, quod ad eiuſmodi corruptionem, & mortificationem ſit idoneum, protinùs erit admouendum. Quòd ſi alia quædam ſymptomata, uel affectus, huic contuſo uulneri ſuperuenerint, ut dolor, phlegmone, aut quiuis alius tumor præter naturam, aduerſus illa congruis(quæ ſuo loco dicta ſunt) remedijs erit pugnandum.

Digeſtiuũ uulneri imponendum.

Detergẽtia quãdò admouenda.

Stupæ aridæ.

Cor.Cel. lib.5.

„ rùm ulcus eſt(inquit Celſus) cùm rubet, ac nimiùm neque ſiccum, neq;
„ humidum eſt. Ac quodcunque ſenſu caret, quod non naturaliter ſentit,
„ quod nimiùm aut aridum, aut humidum eſt, quod aut pallidum,aut albi-
„ dum, aut liuidum, aut nigrum eſt, id purum non eſt.

2.intentio curãdi uulneriscõtuſi

Si caro cõtuſa multũ ſit laniata.

Si labra uulneris fuerint dura, & calloſa.

Si cõtuſa caro ĩ gãgrænã degeneret.

De

De ecchymoſi, ſeu ecchymomate, id eſt, ſanguinis ſubtercutem effuſione, & coïtu, quod vnà cum contuſione, ruptionêque, cute integra manente, hoc eſt, non vulnerata, incidit. Cap. X.

ECChymoma, id eſt, ſanguinis ſubtercutem effuſio & coïtus, ſolutæ continuitatis genus quoddam eſt, quod plurimum (ut libro quarto methodi ait Galenus) unà cum contuſione, ruptionêque incidit. Quocirca nõ fuerit à propoſito alienum, ſi propter affinitatem, quam habet cum prædicto uulnere, pauca nunc obiter de eo dicamus. Itaque incidit interdùm hoc uitium, cum ſola contuſione, citra carnis muſculoſæ, in profundo hærentis corpore, ruptionẽ, quod Græci rhegma appellãt: ut ex uiolento ictu, uel graui caſu. Aliquandò uerò cũ ſola ruptione, abſq; etiã cõtuſione carnis (quod Græcis ſarcothlaſma et thlaſma dicitur) cõſiſtit: ut cũ motu quopiam ualẽte, & cõfertĩ facto, citra graue aliquod extrĩſecùs incidẽs, caro diſrũpitur. Nonnunquàm etiam cum utroque, ut cum grauì, ac duro quopiam corpore, quod extrinſecùs ſuperinciderit, uel caſu ab alto, non modò carnoſæ muſculorum partes, ſine cutis diuortio contunduntur, ſed etiam ex diſtentione uiolenta, & confertim facta, abrumpuntur. Tunc enim uenis exiguis, in ea ſic contuſa ac rupta carne, diuortium expertis, ſanguis exilit, undè ipſum ecchymoma ſub cute collectum naſcitur. Cuius apparentes notæ ſunt, tumor mollis, & tactui cedens, liuidus, & magna ex parte indolens. Fit autem etiam aliquandò ecchymoſis, & ex oris uaſorum apertione, quam anaſtomoſim uocant, & ex ea, quæ à nõnullis diapedeſis dicitur: id eſt, tranſcolatio, exilitio, uel tranſmiſſio, aut ſubſultus. Porrò accidit anaſtomoſis propter tum uaſis imbecillitatẽ, tum ſanguinis, qui ad os eius impetu ruat, copiam. Adhæc, ob acrem quampiam, quæ illi extrinſecùs incidat, qualitatem. Diapedeſis ex tunica quidem ipſa rarefacta, ſanguine uerò tenuato oritur. Accidere præterea interim poteſt, & ex gracilium uaſorum ore adaperto. Verũ de ea tantũ ecchymoſi nunc agitur, quæ contuſionẽ, uel ruptionẽ conſequitur. Hanc igitur ecchymoſim propter ſolutam unitatem affatim factam dolores, & ob ſanguinis in profundo concurſum, abſceſſus nonnũquam inſequuntur, qui magna ex parte per halitum digeruntur. Species autẽ ecchymomatis ſunt hypopia, quæ Romani ſuggillata uocãt, & liuores ex ictu prouenientes, Græcis hypoſphagmata nuncupata, quæ & interpreti Auicennæ ueſtigia percuſſionis, Latinis uerò propriè uibices,

Ecchymoſis quid.

Ecchymomata à quib. occaſionibus excitentur. 1.

2.

3.

Ecchymoſis notæ.

4.

Anaſtomoſis unde excitetur. Lib. 5. the.

Diapedeſis unde oriatur.

Species ecchymomatis.

bices dicuntur.

IVDICIA *de ecchymœmate.*

Ecchymœma quod cum magna, ac uiolenta contuſione incidit, periculo non uacat. Solet enim frequenter (ſi negligatur) non modò afflictæ particulæ, ſed & corporis totius corruptionem adferre. At ſi forſan in contuſione, quæ cum ecchymoſi conſiſtit, cutis à carne ſeiuncta, maneat pendula, rarò uel nunquàm agglutinatur. Proindè ſatiùs eſt, eã præſcindere, & exiccantia medicamenta admouere, uel abſque deligatura, locum ſic excoriatum relinquere. Aër nanque ambiens cutis ipſius inſtaurationem non mediocriter adiuuat.

Curatio ecchymœmatis, quod vel contuſio, vel ruptio excitauit.

Li. 4. *met.*

CAeterùm, quoniam ecchymoſis ſeu ecchymœma, plurimùm (ut Galenus ait) unà cum contuſione, ruptionéque incidit, idcircò in ipſo
» curando, plures erunt indicationes obſeruandæ. Semper enim pro af-
» fectuum numero, etiam medendi indicationes reſpondent.

1. *indicatio ĩ curãda ecchymoſi, obſeruandã.*

Prima indicatio eſt, fluentem ad locum affectum materiam uacuare, & auertere. Quod optimè quidem fit, authore Auicenna, uenæ ſectione, quam omnes etiam artis periti, in hoc affectu imperant, quamuis corpus mundum, hoc eſt, purum ab excrementis, fuerit.

2. *intentio.*

Secunda intentio eſt, dolorem ſedare, & parti læſæ, ne fluxionem excipiat, robur adferre, rebus frigidis, & ſtypticis eam perfundendo, atque illinendo. Vnde Razes, & Lanfrancus partem eo uitio laborãtem, inungebant roſaceo, & poſt unctionem, puluere myrtillorũ reſpergebant, ac mediocri deligatura ſtringebant. Verùm enimuerò in communi uſu obſeruatum eſt, ut per initia oui candidum roſaceo permixtũ, loco dolenti, ac ſic affecto, admoueatur.

3. *intentio.*

Tertiò, curationis conſilium eò dirigere debemus, ut ſanguinem ipſum totum, qui ſubter cutem effuſus eſt, diſſipemus, ac reſoluamus, îdque confeſtim, priuſquàm nigruerit, & in grumos iam coierit. Quod factu quidem haud difficile erit, ſi & ſanguis effuſus tenuis, & prope ſummam cutem: non autem in profundo ſitus, fuerit. Quòd ſi diſcuti nõ poſſit, tum infrà ſcriptis digerentibus medicamentis, tum ſcarificationibus educẽdus erit, & ſi nihil hæ pmouerint, affectus eiuſmodi more abſceſſuum curandus erit. Itaque ſanguinis ſic per contuſionem ruptionémque, ſubtercutem diſperſi, diſſipatio, & uacuatio, ecchymœmatis, quà ecchymœma eſt, propria eſt curatio, ut libro quarto methodi medẽdi ijs uerbis Gale. teſtatus eſt: Sanè (inquit) ecchymoſis omnis uacuatio-

propria ecchymœm. curatio.

ationem pro remedio curationis indicat. Quare calfacientibus huic, & modicè ſiccantibus medicamentis eſt opus [quale eſt ex nigris populis acopon]. Quippe quæ uehementer ſiccant, digerunt illa quidem in principio euidentiùs, quàm quæ ſunt imbecillia: cæterùm nonnihil ipſius uitij ſcirrhoſum, difficiléque curatu relinquunt. Curandum uerò eſt, ut ruptis, quæ in profundo hærent corpore, hæc tum uires habeant magis intentas, tum ipſa magis acria, magiſque diſſipantia ſint: tum (ut ſemel dicam) tantò efficaciora, quantò magis à cute ad profunda ecchymoſis receſſit. In talibus ſanè nec cucurbitæ uſus ſit inutilis: id enim inſtrumentum, ad uiolentum attractum, à medicis eſt excogitatum. Verùm enimuerò, quoniam tunicæ uenularum, ex quibus ſanguis exiliit, cõtuſæ ſunt, per initia ſanè (ut Galeno, & Paulo uiſum eſt) nonnihil ex adſtringentibus, ijs quæ digerunt, admiſcere oportet. Contuſæ enim illæ uenularum tunicæ, aliquam denſationem requirunt, ut ad naturalem ſuum ſtatum reducantur, & ne noua materia ob dolorem attracta, ad locum contuſum delabatur. Quandoquidem ſi ſolam digerentem uim haberet medicamentum in principio applicatum, non modò id quod effuſum eſt digereret, ſed & per contuſionem aliquid ſanguinis, qui contuſis uenulis continetur, extraheret, ut teſtis eſt Galenus libro quinto de compoſitis medicamentis ſecundum locos. Quandò autem in naturalem ſtatum uenulæ redierint, citra adſtrictionem ad ſola digerentia medicamenta uenire tempeſtiuum eſt. Porrò in quibus ſic modicè adſtringentium quiddam, nec non per halitum digerentium miſcere conuenit, perſpicuum eſt, imbecilliora primùm debere aſſumi: ualidiora autem inueteratis, & ijs quæ nigreſcunt, admoueri. Ad inueterata igitur ecchymomata, Paulo etiam autore, radicula illitu pdeſt: quippe diſcutit ea, ubi erodere inceperit: uel ipſius radiculæ ſuccus, cum micis panis inductus. Cæterùm ex moderatè digerentibus, quæ uulgò reſolutiua domeſtica uocant, hæc ſequentia ſex auxilia in communem uſum ueniunt.

Omnem ecchymoſin, uacuationẽ indicare.

Cucurbitulæ uſus, in quib⁹ ecchymomatis utilis.

Ecchymomatis p̃ initia, nõnihil adſtringẽtiũ diſcutientib⁹ ad miſcendũ.

Ad inueterata ecchymomata. Lib. 4.

Primum conſtat uino, melle, & ſale. 1.

Secundum ex farina hordei, calaminthe, & uino conficitur. 2.

Tertium recipit ceram, & cuminum. 3.

Quartum fit ex floribus chamæmeli, meliloto, ſtœchade, & cumino, omnibus in uino decoctis. 4.

Quintum ex maluis, furfure, abſinthio, cumino, aut anetho, aqua, uel uino incoctis. 5.

Sextum fit, ex farina hordei, & fœnigræci, croco, & momento auripigmenti, omnibus quidem aqua calaminthæ incoctis. 6.

Solent

Potiones q̃ in ecchymoſi à recentioribus propinãtur

Solent & potiones quædam inſtitui, quæ ſi aſſumantur, ſanguinem concretum, & extra uaſa effuſum (uulgò mortuum uocant) diſſipare, ac reſoluere creduntur: cuius generis eſt ea, quæ conſtat bdellio, coſto, centaurio, & ſyropo acetoſo, atque huic aliæ quædam conſimiles, quæ in caſu ab alto, offenſione, & uiolento membrorum tractu, ac diſtentione, offerri conſueuerunt.

Si totum ecchymoma per halitum digeſtum ſit.

Cùm autem totum ecchymoma, digeſtum per halitum eſt, ſiccare iam uehementius ruptum ipſum permittitur, ac deligatura cõiungere, omniáq; in ſumma facere, q̃ ut ulcus coaleſcat, efficiãt. Ergo ſi euocatum celeriter totum ecchymoma ſit, facilè coaleſcet rupta ipſa caro. Sin longiore ſpacio, ſordes multa ſubnaſcens, medium inter ulceris labra ſpacium occupabit, ita, ut iam coïre ruptio non poſſit.

Cur quæ rupta fuere, ſubinde dolorem renouent.

Atque inde adeò fit, ut qualibet leui de cauſa, nos hæc ſui admoneant: nam ſiue quis obriguit, ſiue parùm concoxit, ſiue febri laborauit, ſiue ſe uehementiùs fatigauit, eiuſmodi illicò particulis dolet. Non enim (ut modò dictum eſt) in idem coïêre ruptionis labra, ſed tantùm propè ſunt admota. Quò fit, ut leui momento ea facilè ſeparentur, & medius inter ipſa locus ſuperuacuo humore repleatur. Et quid quæſo aliud, quàm aſſiduè nouum ecchymoma creatur, & primò illi (cùm uidelicet primùm caro eſt rupta) perſimile? niſi quòd ex tenui magis ſanie nunc conſtat: cùm in principio è ſanguine ecchymoma eſſet. Ideóque facilius etiam nunc, quàm priùs, ſeu per initia, digeritur. Cæterùm quomodò curari debeant, ſuggillata, liuores, aliáque id genus accidentia, quæ contuſiones, graues caſus, & offenſiones conſequuntur, aliquandò forſan alibi dicetur. Hactenùs de uulneribus, quæ in carne maximè per tela inferuntur. Sequitur, ut de his dicamus, quæ morſu fiunt.

De vulnere ex morſu, vel ictu animalium, tum venenatorum, tum aliorum non ita noxiorum illato, & præſertim de morſu canis rabioſi. Cap. XI.

DE uulneribus, quæ ex morſu punctúue animalis inferuntur, & præſertim canis rabioſi, aut alicuius uenenatæ feræ, uel beſtiæ, quidam memoriæ pauca tradiderunt. Quippe quæ non adeò frequenter accidant, & ſi aliquandò inciderint, ſoleant ruſtici, ac plebei homines neglectis chirurgis, ac medicis, medicamentum præſens ad hæc ipſa conficere, ex allijs, cæpis, & oleo, quod cataplaſmatis modo uulneri imponunt. Adde, quòd exquiſitè de ijs tractare, magis ad medicum (quem phyſicum appellant) quàm chirurgicũ, niſi

niſi quòd ad uulnus ſpectat, pertinet. Itaque qui abſolutam eorum cognitionem habere deſiderat, ex Arabicæ familiæ ſcriptoribus, Auicennam, Razem, & Rabi Moiſem: & ex recentioribus Barbaris, Henricum legat, oportet, qui de omnibus ferè uenenis, fuſiſsimè tractauerunt. Sed multò his doctiùs, atque accuratiùs de eiuſmodi morſibus, & ictibus uenenatorum animalium ſcripſerunt, Aëtius Antiochenus, Paulus Aegineta, Cornelius Celſus, Actuarius, Oribaſius, & ante hos omnes adhuc Dioſcorides. Quos omnes, ſi uelis, hac in re poteris conſulere, aut unum ſaltem ex illis, quem placebit, deligere. Tantùm enim hoc loco uniuerſalem, uulnerum ex morſu punctiúue illatorum, curationem referemus, atque eam duntaxat adhuc: quam maximè chirurgia molitur.

Qui præſertim autores, tum recentes, tum ueteres, de uenenatis uulneribus ſcripſerunt.

Itaque morſus animalium punctiúſue, duplici conſtat differentia: alij enim ſunt uenenati, alij uerò minimè: uenenati dicuntur, qui à uirulentis beſtijs inferuntur: cuiuſmodi ſunt, rabioſus canis, ſerpentes, peregrinæ angues, ſcorpio, baſiliſcus, draco, uipera, coluber, mus araneus, phalangium, aſpis, & id genus aliæ uirus eiaculantes feræ. Contrà uerò non uenenati morſus dicuntur, qui ab animantibus non ita uirulentis imprimuntur, infiguntúrue: cuiuſmodi ſunt, canes domeſtici, ſimia, homo, equus, ſues tam domeſticæ, quàm ſylueſtres, felis in domibus oberrans (quem nominant elurum) & ſimilia. Ictu quoque hominum corpora lædunt, ueſpæ, apes, muſcæ, culices, pulices, & cimices. Sed qui à ueſpis, & apibus punctus infigũtur, plus noxæ, ac doloris inferunt, interdumque chirurgi operam deſiderant. Omnis autem ferè morſus (ſi Cornelio Celſo credimus) habet quoddam uirus. Paulus non addubitat ipſius etiam hominis morſus, cum uirulentis beſtijs conſcribere. Siquidem (inquit) maligniores multò, cæteris alijs ulceribus apparent, præſertim ſi qui morſum intulit, ieiunus fuerit, anteáque legumina, pro cibo ſumpſerit, atque imprimis lenticulam. Eapropter, quæcunque communiter in alijs uirulentis morſibus, uel ictibus commemorantur, ac proſunt, eadem quoque in his morſibus extrinſecùs per initia adhibere conueniet, exceptis nimiùm acribus, & cauſticis, id eſt, adurentibus. Cæterùm morſus ipſi, ac punctus, tam uenenatorum, & lethalium, quàm non uirulentorũ, in quibuſdam, quod ad rationem curandi attinet, conſpirant, & in quibuſdam euariant. Conueniunt quidem in eo, quod neque deſiccantia, neque repellentia, neque cicatricem inducentia (quorum natura adſtrictoria eſt, & deſiccatoria) deſiderant, quin potiùs attrahentia, dilatantia, relaxantia, atque emollientia ſtatim ab initio expoſtulant. Tam hi etiam, quàm illi, ſedulò repurgari appetunt: ac demùm poſtquàm ulcera

Morſus, ac punctus aĩalium duplices.

Virulenti.

Morſus nõ uenenati.

Morſus oĩs quoddã uirus habet.

In q̃bus cõſpirẽt, & ĩ uicem diſſideãt uirulenti morſus, & non uenenati.

probè fuerint repurgata, cicatrice obduci. In hoc autem differunt, quòd morſui non uenenato abundè ſatiſſaciunt, domeſtica (ut uocant) attrahẽtia, & maturantia. Cuius generis ſunt, cæpæ, & allia, tam agreſtia, q̃ ſatiua, cocta, trita, & cum fermento, oleo, & ſale mixta. Si uerò uulnus morſu, aut ictu uirulentum aliquod animans homini intulit, quæ uehementer etiam trahunt, ne uirus interna ſubeat, & ad cor ſerpat (cuius deſtructionem ex ſuapte natura ſemper appetit) ſtatim erunt admouẽda, ut cucurbitula, loco priùs ſcalpello inciſo, & emplaſtra quædam ualidè uirus extrahentia, quæ ſtatim ſubiungemus. Deindè candenti ferro (ſi patitur locus) uulnus adurendum eſt, aut cauſtico ſaltem aliquo medicamento, ac uehementer exedente utendum. Eiuſmodi enim uulnera omnia lethalia ſunt, & præſentem ſæpe perniciem (ſi protinùs non ſuccurritur) adferunt. Proindè & extrema illis (iuxta Hippocratis conſilium) adhibenda ſunt remedia. Adeóque ut membrũ, quod ſic à lethali, ac uirulenta fera, uel morſum, uel ictum eſt, interdùm præcidere, ſeu amputare conueniat. Quemadmodùm Galenus memoriæ prodidit, uinitorem quendam à uipera morſum, ubi feram agnoſceret, confeſtim læſum digitum falce abſcidiſſe, atque in totum ſic periculo liberatum.

Venenũ ſẽ per corpe tit.

Vinitor mor ſꝰ à uipera ſibi digitũ ãputauit.

Porrò uenenatos morſus, aut ictus, punctúſue ijs ſequentibus notis deprehendes. Vulnus infixum ualidè dolet, punctionis, & mordicationis ſenſus uehemens, in afflicta parte perſentitur: Vulneris, atque affecti loci color perit, ac mutatur: aut enim rubet, atque inflammatur, aut liuet, uel nigricat. Laborans grauibus angitur moleſtijs, ac totus ardet: corpus totum eius ipſius, qui uel demorſus, uel ictus eſt, ita nonnunquàm obſtupeſcit, ac talem (ut ſic dicam) obdormitionem ſentit, ut tangentem non ſentiat. Verùm nihil ferè in ijs perpetuum eſt. Neque enim dolor ſemp adeſt uehemens, aut atrociter moleſtans in omnibus eiuſmodi ferarum, ac beſtiarum uenenoſarum ictibus, aut morſibus: ſed in quibuſdam ſatis remiſſus eſt, ut in morſu canis rabioſi. Nec enim protinùs infeſtum quicquàm, ubi momorderit (ut inquit Dioſcorides) infligit, niſi ut uulnus dolorem, hoc eſt, ſtatim quidem, ubi morſu excandeſcens rabie canis, in partem aliquam uulnus intulit, nihilo plus doloris, aut moleſtiæ ab initio adferre uidetur, quàm non rabioſus. Sed & qui à ſcorpionis ictu dolor accidit, modò decreſcit, modò intenditur: ac nunc feruor, nunc frigus, tum percuſſum locum, tum corpus totum uiciſsim inuadit, ut Paulus annotauit: & ut breuiter dicam, ſua cuiuſque animantis morſibus, & ictibus propria, ac peculiaria ſigna ſunt, ut uidere eſt apud Dioſcoridem, Paulum, Aëtium, Cornelium Celſum, & alios, qui de uenenatis hiſce beſtijs

Morſus cãnis rabioſi ꝑ ſe nihil moleſtiæ ad fert, præterquã ex uulnere dolorem.

Morſuũ, ac punctuũ uenenatorum notæ.

Scorpionis ictus, quæ ſymptõma ta iuchat.

ſtijs fuſiùs, atque accuratiùs ſcripſerunt. Cæterùm alijs uenenatis beſtiis (quòd apud nos rariſſimè ſint) prætermiſsis, operæprecium non abs re duximus, ſi unius rabioſi canis, particulatim meminerimus. Siquidem hoc animal & fœcundum prouentu, id eſt, frequens, & contubernale homini, ac domeſticum eſſe conſueuit. Adde, quòd & rabie ſæpiùs corripitur, ac perit, ab eóque difficile caueri poſsit. Inde periculum ineuitabile hominem manet, niſi multis, & conuenientibus uſùs fuerit præſidiis. Plærunque autem flagrantiſsimis æſtibus canis in rabiem efferatur. Interdùm etiam per frigora maxima, ut Lycus memoriæ mandauit.

Canis ſæpiùs rabie corripitur.

Iam uerò rabioſus, potum, & eſcam auerſatur, ſiti premitur, neque tamen bibit: anhelat prætereà non parùm, idque exerta lingua, aures inclinat, largam, ſpumantémque pituitam naribus, & ore proijcit: mutus in totum eſt, & ueluti inſanus, ut ne domeſticos quidem agnoſcat: toruè, & ſolito triſtiùs intuetur, in omnes paſsim ſine latratu irruit, & nullo diſcrimine beluas, & homines, notos iuxta ignotóſque morſu adoritur. Vbi autem momorderit, ſtatim quidem nihil moleſtiæ (ut priùs diximus) adfert, præterquàm ex uulnere dolorem. Exinde autem (nempe temporis progreſſu) morbus ille, qui ab aquæ metu, hydrophobia Græca eſt uoce appellatus, exoritur. Miſerrimum ſanè (inquit Celſus) genus morbi, in quo ſimul æger, & ſiti, & aquæ metu cruciatur: quo oppreſſis in anguſto ſpes eſt. Porrò magna ex parte circa quadrageſimum ferè à morſu diem, ſolet hic morbus hydrophobicus ingruere: quibuſdam & poſt ſex menſes: alijs proditum etiam eſt, poſt ſeptem obueniſſe. Sunt & qui poſt annum unum, uel etiam duos interdùm, à morſu impreſſo, morbum hunc contrahi teſtentur. Narrant, & aliquos poſt ſeptenniũ hoc aquæ metu fuiſſe tentatos: Quò ſit, ut qui à cane rabido morſi ſunt, non ualde tuti mihi eſſe uideantur. Non enim ſtato, definitóque tempore poſt morſum, aquæ pauor exoritur. Itaque quoniam non confeſtim à morſu, huiuſmodi aquæ metus, homines inuadit, quidam decepti, canem, qui momorderat, non fuiſſe rabie percitum, arbitrati ſunt, & proindè uulneri cicatricem inducere, properarunt. Atque hoc pacto ipſimet huius mali autores, ſibi perniciem attulerunt, dum ſcilicet huic affectioni cauſam dederunt. Hac autem uſus probatione atque experientia, facilè deprehendes, rabioſus ſit canis, nec ne, qui momordit: Iuglandibus nucibus conciſis, & accuratè tritis, uulnus diligenter obſtruitur, & poſteà circumligatur, ſequenti die ablatæ, gallinaceo, aut gallinæ in cibo apponentur, ac primùm ſanè non attingent: fame autem urgente, ſi eas uorauerint, rem attentiùs conſiderato. Nam canis qui momordit, ſi

Canes quia b⁹notis, ſuã rabiem teſtentur, & prodant.

Hydrophobia.

Horrorem aut metum aquæ, nullũ præſcriptũ cõſtitutũq; tempus habere.

„ Rabioſi canis morſus probatio, ex „ Oribaſio.

„ mordit, ſi non fuerit rabioſus, ſoſpites, ac ſuperſtites aues, quæ nuces
„ illas comederint, permanebunt: ſin contrà rabie correptus fuerit, poſte-
„ ra die peribunt: atque tunc ad uulneris dilatationem properandum erit.
„ Iterúmque poſt paucos dies eadem experientia utendum: Et ſi non pe-
„ rierint gallinacei, tunc uulnus ad cicatricem perduces, nullum iam ue-
„ ritus periculum. Huiuſmodi indicationis, ſeu experimenti, autor quŏdă
Hydropho bia unde. fuiſſe putatur Oribaſius, ut refert Paulus. Cæterùm hydrophobiam,
id eſt, aquæ metum, Græcorum aliqui, ex immodica fieri ſiccitate, di-
xerunt: quaſi in contrariũ habitũ, mutata penitùs humida eorũ ſubſtan-
tia, ueruntamen Ruffus antiquæ medicinæ grauis author, inſaniæ ex a-
tra bile ſpeciem, eam eſſe teſtatus eſt, magna ſcilicet ueneni eius cum
humore illo ſimilitudine. Itaque non ſecùs quàm reliquos melancholicos,
& atra bile inſanientes, ſcimus alios alia timere: idque etiam ſentire ui-
dentur, qui dicunt: canis ipſius qui momorderit imaginem, in aquis opi-
Pauci ex ijs q aquæ me tu laborãt, ſeruantur. nari eos ſe uidere, eóque metu territos aquam fugere, & auerſari. At
ex ijs qui hoc uitio ſunt occupati, nullum (inquit Paulus) præterquàm
unum, aut alterum ſeruatum fuiſſe ex hiſtoria didicimus. Eósque non
à rabioſo cane morſos, ſed ab homine quodam morſo rabientéque, &
Dioſcor. aquam iam timente, uitium adeptos. Siquidem Eudemus (ut refert Dio-
Themiſõ ab hydro „ ſcorides) ſuperaſſe, ac ſuperuixiſſe quendam affirmat. Et Themiſonem
phobia „ (inquit) aliqui demorſum in idem uitium incidiſſe, & euaſiſſe faten-
liberat. „ tur. Moleſtiſsimum itaque, & dum iam occupauit, inſanabile eſt hoc
morbi genus. Ante tamen huius occupationem, multi etiam quos canis
Hydropho biæ notæ. momordit, ſeruati ſunt. Euenit autem hic morbus hydrophobicus, cum
neruorum diſtentione, uel conuulſione, totiúſque corporis rubore, præ-
ſertim faciei, cum ſudore, & languore quodam, ſuíque faſtidio, & do-
meſticorum ignorantia. Aliqui auræ ſplendorem, & aquam fugiunt,
& dum uident, & dum admouentur. Nonnulli etiam omnem humorem
auerſantur, & horrent: alij ſine ulla doloris intercapedine uexantur.
Sunt etiam, qui canum more latratus edant, & obuium quemque denti-
bus impetunt, morſúque ſuo alios ſimili uitio labefactant. Miſerrimum
Cor. Cel. re mediũ cõ tra aquæ metum. ſanè (ut iam diximus) & moleſtiſsimum morbi genus. Cæterùm unicum
eo oppreſsis remedium eſſe ſcribit Cornelius Celſus libro quinto ſuæ
„ medicinæ: nempe non opinantem in piſcinam non antè ei prouiſam pro-
„ ijcere. Et ſi natandi ſcientiam non habet, modò merſum bibere pati, mo-
„ dò attollere. Si habet, interdùm deprimere, ut inuitus quoque aqua ſa-
„ tietur. Sic enim (inquit) ſimul & ſitis, & aquæ metus tollitur. Sed ali-
ud periculum excipit, ne infirmum corpus in aqua frigida uexatum, ner

uorum

uorum distentio absumat. Id ne incidat, à piscina protinùs in oleum calidum dimittendus est. Sed iam tempestiuum est, communem uirulentorum omnium uulnerum (ut sumus polliciti) curationem aggrediamur.

Communis, aduersus omnes morsus, & ictus virulentos, curatio.

VIrulentorum omnium animantium morsus, aut ictus, non nimiùm distantem curationem desiderant, quamuis in ea multùm antiqui uariarunt, ut in singula genera bestiarum, siue animantium, singula medendi genera præciperent, atque alijs alia. Sed in omnibus eadem ualdè multa, maximè proficiunt. Itaque quæ ad hanc communem medendi rationem attinent, primùm exponemus: deinde cursim perstringemus, quæ ad peculiarem, priuatámque eorum curationem pertinent, quos rabiosi canes (quòd frequentiores apud nos sint, quàm aliæ uirulentæ bestiæ) momorderint.

Igitur in omni morsu, uel ictu animalis, quod uenenum uibrat, gemina „ *Geminā est curandi rationē in omni morsu aut ictu uenenato.*
est Galeno libro decimotertio methodi medendi, curādi indicatio: nempe „
uirulenti ipsius liquoris uacuatio, & eius, quod dolorem creat, alteratio. „
Sanè (inquit) uirus eiaculatum uacuant, tum excalfactoria medicamenta „
omnia, tum quæ citra calefactionem uehementer trahunt: ueluti & „ 1. Vir° i cor
cucurbitulæ, & cornua quædam, quibus nonnulli cucurbitularum uice „ p° morsu,
utuntur. Sunt autem & qui ore suo uirus extrahunt; ægræ uidelicet „ uel ictu eiaculatum, q
particulæ admoti, ipsúmque uulnus labijs complexi. Huc sanè pertinet „ bus auxilijs
& cauterium, & medicamenta, quæ cauterijs similiter escharam efficiunt. „ uacuetur.
Atque hæc omnia totam eius quod infestat, substantiam exinaniunt. „
Alterum auxiliorum genus est eorum, quæ qualitatem per contrariam qualitatem alterant. Scilicet exhibentibus nobis, si uehementem calorem æger uel in ipso demorso loco, uel in toto corpore sentiat, „ 2. Alteratio eius, quod dolorē creat.
auxilia refrigerantia. Sin frigus sentiat, calfacientia. Hactenùs Galenus. Eius autem compendiosam dictionem, & uniuersalem methodum sic interpretamur. Inter ea, quæ uirus è profundo euocant, primò medicamenta enumerat, quæ calfaciendi facultate prædita sunt: deindè cucurbitulas, & cornua: posteà uerò oris suctionem: & postremò ustionem, quæ uel ferro, uel medicamentis fiat. Itaque de his singulatim nobis dicendum est, quò res peruia magis cuique euadat, ac modus usus eorum neminem lateat.

Id unum autē imprimis omnes scire uolo, ea, quæ modò ex Gal. retulimus auxilia, & id genus alia, quæ mox subiungemus, si primis diebus Aduerte.

prætermiſſa fuerint, fruſtrà poſtmodùm adhiberi. Non enim uirulentam illam materiam, quæ iam ad intima, neglecta curatione, pertranſiit, ſatis euocare poſſent. Quare nulla utique adiectionis eorum foret utilitas, ſed incaſsùm corpora doloribus ſternerentur. Inter ergo principia morſus, aut ictus illati, hæc, & ſimilia adferenda erunt. Sed & priuſquàm hæc, quæ ſic uenenum extrahunt, atque eliciunt, admoueantur, ſupra uulnus membrum id, quod uel demorſum, uel ictum eſt, deligandum erit, non tamen nimiùm uehementer, ne torpeat, Hac enim deligatura impedies, ne tam ſubitò uirus interna ſubeat.

Membrum demorſum ſupra uulnus deligãdum.

Oris ſuctio.

Itaque ſi leuior morſus, aut ictus eſt, oris ſuctio apprimè conuenit. Homo igitur aliquis ſtatim adhibendus eſt, qui uulnus exugat. Sugentẽ uerò oportet ieiunum non eſſe, ſed & cibum ſumpſiſſe, & uino os colluiſſe, poſteà exiguum olei in ore continens, ictum exugat, & expuat uenenum. Cauere etiam oportet, ne qui uulnus ſic exucturus eſt, internam aliquam oris partem exulceratam habeat. Siquidem uenena (ut ſuprà ex Celſo retulimus) non guſtu, ſed in uulnere nocent. Sed & locus ipſe priuſquàm exugatur, ſpongiâ in poſcam calidam immerſâ, fouendus, ac proluendus erit. Aly uulnus abluendum aquâ cenſent, in qua decoctum ſit chamæmelum, & ſylueſtris lapathi radix. Sunt, qui gallinarum, aut aliarum quarundam auium podicem uulneri admouent, ad uirus exugendum. Quòd ſi quæ applicatæ fuerint uolucres, moriantur, uenenũ extractum eſſe ſuſpicantur: poſt hæc uerò cinis aceto ſubactus, pro cataplaſmate imponatur. Maximè autem ad hanc rem conducit, cinis ſarmentaceus, id eſt, ex lignis uitis: uel ficulneus, aut laurinus. Quod ſi nõ adſit, eo, qui haberi poteſt, utẽdũ eſt, diligẽtia (ĩquit Aëtius) ad hoc potiſsimùm adhibita, ut inflãmatio in loco excitetur, et materiæ ad morſum prouocentur. Sal quoque his uulneribus, præcipuéque ei (ſi Celſo credimus) quod canis fecit, medicamentum eſt, ſi manus uulneri imponitur, ſupérque id duobus digitis uerberatur. Exſaniat enim, ac ſalſamentum quoque rectè ſuper id uulnus deligatur. Porrò in omni morſu tam uenenato, quàm non uenenato, Dinus hoc unguento utebatur. ℞. ceræ, picis nigræ, axungiæ ueruecinæ, olei antiqui ana quart. unũ, galbani u. iciam unam: fiat unguentum.

Venena nõ guſtu, ſed i uulnere nocent.

Sal morſui canis rabidi optimũ medicamentũ.

Vnguentũ Dini.

Morſibus uerò, aut ictibus uenenatis magnis, ac uehementioribus cõmodè illinuntur, cæpæ cum ſale, & ruta, ſinapi quoq;, & ſtercora. Itẽ iuglãdes nuces cum allio, ſale, & melle. Emplaſtra quoq;, & cataplaſmata ex Dictãno, & aliis medicamentis calfactorijs, quæ uehementem trahendi uim habent, apparata. Plurima enim ex ijs non modò uirus ipſum

Auxilia ad uerſus magnos, & uehementes morſus, & ictus uenenatos.

potenter eliciunt, ſed & uulneris oras (præſertim in rabidi canis morſu) latas, ac hiantes ſeruant. Neque enim permittendum, ut hæ citò coëant, aut committantur. Præter opinionem autem facit Aëtio, ex uiperis theriace Andromachi, emplaſtri modo impoſita, & compoſitũ hoc ſequens medicamentum: quod recipit ſpumæ argenti, ceruſæ, reſinæ pinus, ſingulorum libram unam, olei ueteris libras tres, ceræ uncias ſeptem, ammoniaci thymiamatis trientem, id eſt, uncias quatuor, galbani etiam trientem: ceruſam, argenti ſpumam, & oleum coquito, donec non inquinent manus, deindè liquefacta adjcito, unito, & utitor repoſito ad omnem morſum, & ad abſceſſus, & tubercula mammillarum, panos, ſinus, fiſtulas, parotidas: ad miraculum enim (inquit) diſcutit ipſas. Vtitor & ad carbunculos. Arcet uehementer inflammationem, & rarò citra magnam commoditatem, & efficaciam adhibetur. Porrò in magnis quoque, ac uehementioribus, tum ictibus, tum morſibus potens eſt hoc ſubſequens emplaſtrum, quod acrioris eſt potentiæ. ℞. galbani, ſagapeni, opopanacis, aſſæ fœtidæ, myrrhæ, piperis, ſulphuris, ſingulorum ſemunciam, ſtercoris columbini, & anatis ana uncias duas, calaminthæ, mentaſtri ana unciam unam: diſſoluantur gũmi ex uino, & in unũ miſceãtur omnia cum melle, & oleo antiquo, & fiat emplaſtrũ. Plæraque alia tum ex ueteribus, tum ex recentioribus adduci poſſent, quæ uel cõmorſam, uel ictam partem uehementer calfacere, & uellicare poſſunt: proindè & uenenum euocare. Verùm quoniam iterùm de hac re dicemus libro ſexto, hæc abundè ad præſens ſufficere putamus. Interim tamen monemus cũ Eraſiſtrato, ut incognita, peregrina, & inuſitata uitentur. Cuiuſmodi ſunt fel elephanti, oua crocodili, & conſimilia, quæ difficile, niſi regia facultate perueſtigari poſſunt. Adde, ꝙ neque frequenti obſeruatione (ut Dioſcorides ait) hæc ſufficiens experimentum præſtiterunt, quo noſtra fides ijs obſtringatur. Iam uerò tẽ peſtiuũ eſt, ut de cucurbitulis, & cauterijs dicamus: utriſq; enim etiã uirus è profundo euocamus.

Aëtius.

Guid. empl. acrioris potentiæ.

Ergo ſi uehementior morſus eſt, cucurbitulam cũ largiori flamma ad uulnus adfigito. Sed antè circunſtantia loca altioribus ulcuſculis (ſi id mẽbrum patitur) ſcarificato, quò plus uitiati iam ſanguinis extrahatur, & ut ſanguinis illius corrupti uacuatio obſiſtat, ne uenenũ membratim inſinuetur. Attrahetur enim pluribus quaſi canalibus, & foràs euocabitur, unà cum ſanguine, & ſpiritu, ipſius uirulentæ beſtiæ uenenum. Si cucurbitula non eſt, quod tamen uix incidere poteſt, tum quodlibet ſimile uas, quod idem poſſit, ut caliculus, uel pultarius (ut inquit

Cucurbitula.

Celſus) oris compreſſioris. Optimè autem auxiliantur, ſi ſtatim in principio poſt amotas cucurbitulas, ſuper uulnus imponantur, & conuoluãtur animalia parua diſcerpta, hoc eſt, per medium diuiſa, intùs adhuc calentia, ueluti ſunt gallinaceus pullus, ſed mas præſertim, hœdus, agnus, & porcellus. Sic uerò calida eorum caro ſtatim percuſſo loco imponenda eſt, ut pars interior corpori iungatur: uenenum enim exugunt, & dolores leniunt. Ferè autem inter cætera animantia magis placent, gallinarum pulli: quippe qui calidiore natura præditi ſint, argumento, quod deuoratum inſigne uirus eliquent, & aridiſſima quæque ſemina conſumant. Itẽ nonnunquàm harenas, lapillóſque, quos faucibus inſinuarint, diſſoluunt. itaque animantis calore, ſpiritus ictæ partis impetũ capeſſens, uenenum exigit. Porrò à maioribus canis rabioſi morſibus, abſcedentes carnes, binc aufferre, & labia acie ſcalpelli circunſcribere, ac prehenſam hamo carnem amputare oportet: ſi modò tamen locus neque neruoſus, neque muſculoſus eſt. Hæc itaque carnis circinatio, ſeu circunſcriptio, & ſectio, ſcarificatione longè potentiùs opitulantur. Quòd ſi locus carnis circũſcriptionem, & ſectionem non admittat, cucurbitulæ (uti diximus) cum largiori flamma adfigendæ ſunt. Nec uerò maiora hæc uulnera in demorſis à rabioſo animante, ita uereri oportet, uti minora, & ulcuſculis cutis ſimilia: maiori nanque uulnere copioſus ſanguis emanans, poteſt nonnihil uirulenti liquoris exhaurire: quod in minoribus non accidit.

A ſi alia parua diſcerpta, & uirulẽto morſui admota.

Gallinarum pulli.

Abſcedẽtes carnes amputandæ.

Maiora uulnera i demorſis à rabioſo cane, minùs uerẽda, quàm minora.

At uerò & uſtio, contra ipſos uirulentos morſus, aut ictus, cùm locus neruoſus non eſt, & tutò inuri poteſt, expeditiſſimum cenſetur auxilium, utpotè cùm ignis cætera uiribus præſtet: ſimul quòd uirus domet, ipſiúſque uires hebetet, & penitus ferri, hoc eſt, ad intima illabi, non patiatur: ſimul quòd pars ignem experta, deinceps non uilem, nec indecoram loci inſtaurationem efficiat, manente diutiùs exulceratione. Si uerò uri non poteſt, Cornelio Celſo autore, ſanguinem homini mitti, non alienum eſt: tum uſto quidem uulneri ſuperimponenda, quæ cæteris uſtis ſunt. Ei uerò, quod expertum ignem non eſt, ea medicamenta, q̃ uehementer exedunt, & ſi laborans patitur, quæ adurunt, & cruſtas ulceribus inducunt. Cæterùm animaduertendum, ex eo tempore, cùm cruſtæ (ſeu igne, ſeu adurentibus medicamentis inductæ fuerint) decident, ne ulceris oræ coaleſcant, & cicatrice obducantur. Sed ſi fieri poteſt, ad longum præfinitum tempus ulcerationes, & ſordidas adhuc, & inflammationem minantes, prorogari conuenit, quò uiroſa materies ſemper effluat: non autem intùs contineatur, & ad intima ſe inſinuet.

Vſtio expeditiſſimum eſt auxiliũ.

Sanguinis miſſio.

Vlcerationes ex morſu uirulẽto in longũ tẽpus prorogãdas eſſe.

Id

Id autem optimè præſtabit, inditum ijs (ulcerationibus inquam) ſalſamẽtum, & ſylueſtre allium detritum: item cæpæ, & id genus alia. Si uerò (quod perſæpe accidit) ante dies præfinitos, cicatrices coïrent, committerentúrque, manum poſtulabunt. Namque eas diducere, carnémque ſcalpello circinare, aut iterùm inurere expediet. Vbi uerò propoſitum tempus præterijt, ulcus ad cicatricem perducendum erit. Quandoque etiam (ut ſuprà diximus) haud importunum fuerit, partem ictam, ſi commodè ſectionem non reſpuat, ut ſunt extrema, amputare: præſertim ſi fera quæ momordit, aut ictu uulnus impreſſit, lethalis ſit, & ineuitabile periculum adferat, cuiuſmodi ſunt ſerpentes omnes, ut aſpis, ceraſtes, uipera, & conſimiles.

Mẽbri dea morſi, aut icti, amputatio.

De vulnere, cum profuſione ſanguinis, ex venis, & arteriis. Cap. XII.

POſteà quàm de uulneribus, quæ carnoſis partibus incidunt, abundè ſatis determinatum eſt, nunc tempeſtiuum uidetur Galeni doctrinam, atque inſtitutum ſequentes, de ijs uulneribus dicamus, quæ in arterijs, & uenis fiunt. Ergo ſi cui arteria uenáue magna uulnerata eſt, & copioſum ſanguinis profluuium continuò ſuperuenit, & glutinari id uulnus, difficile quidem etiam in uena eſt, in arteria uerò non ſolùm difficile, ſed etiam, quod fieri (ſicut nonnullis medicorum eſt uiſum) omninò fortaſſe non poſſit. Dicendum ergo de utriſque eſt, uulnere inquam, in arteria aut uena accepto, & hæmorrhagia, ac priùs quidem de ſanguinis profluuio, quippe quod magis urgeat: ſecundo uerò loco de ipſius uulneris agglutinatione, ac curatione. Sanè profluit ex uena, uel arteria, ſanguis, aut tunica earum diuiſa, aut reſerato earum ore (Græci ἀναστόμωσιν uocant) aut (ut ſic quis dicat) tranſcolatus, ſiue tranſmiſſus, ut in diapedeſi. Verùm quoniã in duabus poſterioribus cauſis ſolent magis medici, quos phyſicos appellant, accerſiri: hîc duntaxat agemus de ſanguinis effuſione, quæ ex prima cauſa ortum habet, & uulnera conſequitur, hæc nanque ad chirurgum magis uidetur pertinere. Cæterùm ſanguis profunditur interdùm ex arteria, interdùm ex uena, atque ex earum quidem aliquandò una duntaxat: nonnunquàm uerò ex pluribus, ijſdémque, uel maioribus, uel minoribus. Sed & ſanguinis eruptio, accidit ex eo interdùm uulnere, quod cum amiſsione fit ſubſtantiæ: aliquandò uerò ex eo, in quo nihil ſubſtantiæ deperditum eſt. Interdùm etiam cum eroſione: interdùm

„ *Gal. li. 5. methodi „ med.*

Profuſionis ex uena, uel arteria cauſæ.

Differẽtiæ

Diabroſis. terdùm uerò citra eroſionem, quæ Græcis διάβρωσις dicitur. Item quãdoque iam profluit ſanguis, & quandoque poſteà fluxurus eſt. Interdùm quoq; cauſa huius profluuij ſanguinis apparens eſt, quæ in uena, aut arteria diuortium facit, cuiuſmodi eſt ſagitta, telúmue aliquod, aut eroſio præſens, & non ex uulnere excitata. Hæ itaq; ſunt differentiæ præcipuæ, profuſionis ſanguinis in uulneribus, à quibus curandi indicationes deſumuntur.

CAVSAE. Porrò cauſæ fluoris ſanguinis, ex diuiſione tunicæ uenarum, aut arteriarum, ſunt, uulneratio, contuſio, ruptio, eroſio. Quæ autem uulnerant, ea ſunt acuta, atque ad ſecandum habilia: cuiuſmodi ſunt ſagittæ, & gladij. Quæ contundendo ſoluunt, ea grauia, duráque ſunt, ut ſunt lapides, aut quæpiam grauis moles. Quæ rumpunt omnia, id tenſionis interuentu faciunt. Tenſionẽ aũt efficiunt, intentior actionis uehementia, ſucci abũdãtia, nõ utiq; uiriũ reſpectu, ſed quæ cũ à uaſe ſuo nõ continetur: etiam caſus ab alto, & graue quippiam, durúmque incidẽs.

Eroſionis cauſæ internæ. Eroſio autem uenis, & arterijs intrinſecus ſaltem accidit, ex ſucco aliquo, cui mordens natura inſit, ut eſt bilis flaua, uel atra ſuperaſſata. Ex ijs itaque manifeſtum euadit, quòd uenæ, uel arteriæ uulnerari non poſſunt, quin cutis, & caro uulnerentur. Proindè ſuppreſſo iam ſanguine, glutinandi, ſeu (ut dicunt) incarnandi indicationes, ab ipſis (carne inquam & cute) ſumendæ ſunt, ut in ſequentibus dicetur.

Diſcretio, quãdò ſanguis ab arteria, & quãdò à uenareijcitur. Signum uenæ, atque arteriæ inciſæ, eſt ſanguinis profuſio. Quòd ſi ſanguis cum impetu, ac ſaliendo profluat, & tenuis, ac flauus feruénſq; appareat, arteriam diuiſam eſſe ſignificatur. Si uerò craſſior, & nigrior conſpiciatur, ac quietè, ſine pulſu, & citra ſaltum effundatur, iudicium eſt ipſum à uena effluere.

Prognoſtica. Hæmorrhagia, id eſt ſanguinis profluuium, omnium calculo, ac iudicio periculoſa eſt. Niſi enim conſtiterit ac ſupprimatur, mortem adfert ineuitabilem. Quippe quòd ſanguis (ut dici ſolet) naturæ ſit theſaurus. Ad hoc ſyncope, conuulſio, delirium, ſingultus, in hæmorrhagijs malum portendunt, ut Auicennas poſt Hippocratem annotauit.

Aphor. 3. lib. 5. Porrò ſubit admirari, quod Arnaldus ſcriptis prodidit: Nempe quòd arteria per tranſuerſum diſſecta, promptiùs coaleſcit, & agglutinatur, quàm ſi ſecundum longitudinem eſſet diuiſa.

Curatio profuſionis ſanguinis ex vulnere.

CApita methodi, qua ſanguinis profluuia, quæ ad manum ſunt, curantur, duo traduntur à Galeno, quibus Auicennas tertium addidit. Vt igitur omnium fiat mentio, hæmorrhagia trifariàm ſiſtitur.

Primò

Primò ijs, quæ fluxionem auertunt, tum deriuando, tum reuellendo: ſecundò infrenantibus, atque intercipientibus fluxionem: & tertiò, topicis, id eſt, localibus auxilijs. Modi tres ſiſtendæ hæmorrhagiæ

Porrò ex ijs, quæ ſanguinis profluuium auertunt, tam à uenis, q̃ arterijs ſanguinem fundentibus (huic enim hæmorrhagiæ propriæ debentur auertentia eiuſmodi auxilia) quædam id efficiũt citra ullam extra corpus uacuationem: alia uerò cum euacuatione. Citra uacuationem, fluentem è uaſis ſanguinem auertunt, & aliò trahunt, cucurbitulæ ſiccæ, ſeu læues, & cum flamma admotæ, frictiones, & ligaturæ, primùm in propinquioribus partibus factæ: deindè in remotioribus. Auertitur autem ſanguis cum euacuatione, atque ad alia membra conuertitur, tum ad proxima deriuatus, tum ad contraria reuulſus, uenâ in ea parte inciſa, quæ profuſioni è directo reſpondet, quæque ipſis membris ſanguinem fundentibus coniuncta eſt. Itaque hæc (inquit Galenus) Hippocratis inuenta ſunt. Omnis ſcilicet immodicæ uacuationis, communia remedia. Deriuatio ad latus, & ad uicina fit, reuulſio ad contraria, non tamen ſemper ad remotiſſima, ut falſò quidam putauerunt. Illam parocheteuſin, hanc antiſpaſin Græci uocant. Antiſpaſis igitur, id eſt, reuulſio, in ijs, quæ ſuprà ſunt, omnibus, deorſum ſemper agitur: ſurſum, in ijs, quæ ſunt infrà. Prætereà à dextris ad ſiniſtra, ſicut ab ijs rurſus ad illa: ſimiliter ab ijs, quæ intùs habentur, ad ea, quæ foris ſunt: contráque ab his, ad illa. Itaque ſi reſolutus adhuc æger non ſit, uena (uti diximus) in eo loco ſecanda erit, quæ profuſioni ſanguinis è directo reſpondet, & uulneratæ parti coniuncta eſt, ſiue deriuare, ſiue reuellere ſtudueris. Vbi autem paululùm detraxeris, mox unam horam intermittens, rurſus modicum quid detrahes: pòſt iterùm, atque iterùm, pro laborantis uiribus, ut Galenus conſulit libro quinto Therapeutices methodi. Sed de hac ſanguinis in uulneribus detractione, latiùs alibi ſuperiùs diximus. Auertẽtia. 1. „ Li. 5. me. med. „ parocheteuſis. Antiſpaſis.

Cauſæ ſanguinem infrenantes, atque eius fluxum intercipientes, q̃dam ſunt incraſſantes, ac inſpiſſantes, ut lentes, oriza, iuiubæ, cotonea mala, quæ Græci κυδώνια uocant, & in uniuerſum fructus omnes ſyptici, hoc eſt, auſteri, in hunc uſum offerri ſolent in omnibus ſanguinis profuſionibus. Aliæ uerò ſunt ſtupefacientes, ueluti aqua frigida, tum epota, tum circa locum, ex quo profluit ſanguis proiecta. Non autem ſupra uulnus ipſum: ulceribus enim frigidum mordax. Item res omnes, quæ inſigniter refrigerant, ſicuti & ſyncope, ſeu animi deliquium, in quo propter ſanguinis ad interiora reuocationem, totus corporis habi- 2. Quæ ſanguinẽ ſiſtãt incraſſando. Quæ ſuprimãt ſanguinẽ ſtupefaciendo. Quæ refrigerando ſãguinẽ fluere ĩhibeãt.

tus

tus refrigeratur, & ſanguis ſiſtitur, ut loco nuper citato Galenus an-
„ notauit, ad hunc modum ſcribens: Porrò confluere prohibetur [ſan-
„ guis] & propter animi deliquium, & cùm ad contraria reuellitur, &
„ cùm ad uicina deriuatur: & per refrigerationem, tum corporis toti-
„ us, tum uerò præcipuè ipſius partis afflictæ. Hac enim ratione, etiam
„ frigida pota, ſæpe hæmorrhagias ſuppreſſit: idem facit & frigida fo-
„ ris infuſa. Sed & quinto Aphoriſmorum in ijs frigido utendum eſſe præ-
cipit Hippocrates, unde fluit ſanguis, aut fluxurus eſt, non ad ipſa (in-
quit) ſed circa ipſa, unde influit.

3. Topica auxilia. Quïque auxiliorũ generalocalia quibus hæmorrhagiæ ſupprimuntur, in uulneribus.

Topica, hoc eſt, localia, remedia, quibus ſanguis cohibetur, tametſi numero octo ponantur ab Auicenna, ea tamen nunc ad quinque reduximus. Primum genus auxilij fit per ſuturam: ſecundum, per linamenta, quos μύτους Græcè uocant, uel per penicillum ſiue turundã, quod aiunt: tertium remedium eſt, totius uaſis ſanguinem fundentis præciſio: quartum deligatura, & uinculum: quintum eſt aduſtio per candentia ferramenta, uel per cauſtica medicamenta.

1. Sutura ſanguinẽ coërcens.

Primus modus coërcendi ſanguinem, qui per ſuturam fit, his maximè uulneribus competit, in quibus nulla facta eſt ſubſtantiæ deperditio. Tunc autem commodè fit ſutura, cùm uulnus ipſum à ſanguine concreto, qui thrombos Græcè dicitur, integrè eſt repurgatum. Itaque hoc peracto, ipſius uulneris labra in idem adducenda ſunt, noſtrarum manuum operá: ubi ſic ad manum uulnus ſe exhibet, poſteà conſuantur, ſutura quidem communi, uel ea quam pelliones facere ſolent, præſertim ſi magno impetu ſanguis prorumpat. Dum autem ita ſuitur uulnus, ſatis altè acus in carnem demittenda eſt. Poſt hæc, puluis aſtrictorius ſuperponendus erit. Deindè ſtupæ oui candido liquore, & puluere illo aſtringente, cuius in ſequentibus fiet mentio, imbutæ, ſuperimponendæ erunt. His ritè peractis, membrum affectum deligandum erit, & ſitu apoſito collocandum. Appoſitus enim uulneratæ partis ſitus, inter hæmorrhagias remedia Galeno cẽſetur. Quòd autem modus is ſupprimendi ſanguinem, utilis ſit, ex eo manifeſtum euadit, quòd labra uulneris priùs hiantia, & adinuicem diſtantia, in unum adducuntur, & inter ſe committuntur, locus affectus refrigeratur, & adſtringitur. Quæ omnia in hoc affectu Galenus deſiderat, libro quinto ſuæ methodi medẽdi. Sed & multoties adſerit Auicennas in quarto, neceſſarium eſſe, ut carnis uulnera conſuantur. In quo etiam Theodoricus, & Henricus cõſentiunt. Dicunt tamen plurimi Galenum non præcipere uenarum, arteriarum, & inteſtinorum uulnera, ſuenda eſſe, quippe quòd dura ni-

Situ partis ad hæmorrhagiã plurimùm cõducere.

mis, &

mis, & exanguia ſint, atque ideò agglutinari, & in priſtinam unionem coïre non poſſint. Verùm pace illorum (inquit Guido) dixerim, non inhibuit Galenus, ſuenda eſſe uenarum, & arteriarum uulnera: quòd ſi id tacuit, certè adfirmaſſe uidetur. Quinimò & litera ipſius Galeni, quod dicimus planè innuere uidetur, quæ ſic habet: Neque enim ſuere fas eſt, arteriæ, uenæue uulnus: ueluti dixerint, qui nullam à uulneratæ partis ſubſtantia, naturáque ſumi indicationem aiunt. Sed tu (ſubaudi) per regulam oppoſitorum, nos qui ſumimus indicationem à ſubſtantia, & natura partis uulneratæ, ſuemus eas. Quòd ſi non ſeorſum, ac ſeparatim, coniunctim ſaltem cum carne, ad modũ peritonæi, id eſt, ut peritonæum, ſuere conſueuimus. Atque ita ſi non iuxta primam intentionem coëant, atque adglutinentur, ſaltem iuxta ſecundam (uti ſuperiùs in ſermone cõmuni diximus) coïbunt.

An uenarũ & arteriarum uulnera ſuenda.

Lib. 5. meth. me.

Secundus modus ſupprimendi ſanguinem, qui fit per linamenta, & uulneribus, in quibus aliqua eſt ſubſtantiæ deperditio, potiſſimùm accommodatur, ita perficitur. Imprimis uulnus ipſum puluere aliquo, qui adſtringendi facultatem habeat, reſpergito: deinde linamentis, uel ſtupis biantem plagam oppleto: ſiccis quidem primũ: deinde ſi hæc parùm proficiunt, aceto, uel ijs medicamentis, quæ ſanguinis ſupprimendi facultatem habent, madefactis: ſupráque ſpongiam ex aqua frigida expreſſam imponito, ac manu ſuperpoſita, eam comprimito, uel alligato: & poſt hæc membrum appoſitè (ut ſuperiùs dictum eſt) collocato. Qui ſanè modus ſiſtendi ſanguinem apprimè utilis eſt, ut loco paulò antè citato teſtatur Galenus, ſic inquiens: Obſtruetur uaſis [ſanguinem fundentis] oſculum, & ſanguine ipſo concreto, qui thrombos Græcè dicitur, & ijs, quæ foris illi imponuntur: cuiuſmodi ſunt linamenta, quos μότους Græcè uocant, & medicamenta ea, quæ idcircò, quòd ex lenta, craſſáque ſubſtantia conſiſtant, meatus obſtruunt, Græci emplaſtica uocant. Horum autem optima ſunt eidem, quæ ex frixa reſina, & farinæ triticeæ tenuiſſimo polline, & gypſo, aliiſque id genus, ſunt confecta, oui cãdido macerata, & cum leporinis pilis impoſita.

2. *Secũdus modus ſupprimendi ſanguinem.*

Quomodo obſtruatur os uaſis.

Tertius modus ſiſtendi ſanguinem, qui fit, totum uas ſanguinem fundens, per tranſuerſum præcidendo, competit maximè uenis, & arteriis, quæ in profundo ſitæ ſunt, ut idem Galenus eſt autor. Cogimur (inquit) non modò arterias, ſed etiam interdùm uenas totas præcidere, utique tranſuerſas. Incidet autem huius neceſſitas in ijs, quæ ex profundo loco rectè aſſurgunt, præſertîmque per anguſtas, uel principes particulas. Quippe ita retrahitur ex utraque parte, pars utraque, celatúr-

3. *Tertius modus ſiſtẽdi ſanguinem.*

Li. 5. the.

que: ac integitur, ſuperiacentibus corporibus uulnus. Poſt hæc, puluis aliquis ſanguinem cohibens, ſuper uulnus imponendus, & ſtupæ, uel ſpongia medicamentis facultatem ſupprimendi ſanguinem habentibus, imbuta, ſuperalliganda erit, & figura particulæ uulneratæ accommoda, adhibenda.

4. Quartus modus ſupprimendæ hæmorrhagiæ.

Quartus modus ſupprimendæ profuſionis ſanguinis, qui fit funiculo uaſi ſanguinem fundenti circumpoſito, competit præſertim arterijs, quæ in penitioribus deliteſcunt. Itaque ſi alia auxilia profluuio uincuntur, arteriæ nudandæ ſunt, ut Auicenna præcepit, & hamo apprehenſæ, mox uinculo aliquo gracili, ut filo ſerico, excipiendæ, ac fortiter ſtrigendæ ſunt. Poſt hæc medicamentum adglutinans, ſiue incarnatiuum, uulneri apponendum erit, & membrum faſcijs ut oportet, deligandum, ſitúque appoſito collocandum. Porrò uinculum ipſum radici uaſis erit inijciendum, ut libro quinto methodi Galenus nos admonuit. Tutius autem eſt iuxta eiuſdem Galeni ſententiam, utrunque facere, funem quidẽ radici uaſis circundare, & quod deinceps habetur, id eſt, inde procedit, præcidere. Radicem uaſis uocat hic Galenus, priorem eius partem, quæ uel iocinori propior eſt, uel etiam cordi. Hæc (inquit) in collo, ab inferiore eſt parte: in brachijs, & cruribus, à ſuperiore. In ſingulíſque reliquarum partium, prout ex diſſectione intelligere licet. His ſic peractis, implendum carne uulnus quamprimùm eſt, priuſquàm funiculus à uaſe decidat. Niſi enim producta caro priùs locum, qui circa præciſam arteriam eſt, impleuerit, ſi locus aliquis uacuus ſuperfuerit, utiq; quod Græci aneuryſma dicunt, ſequitur.

Radix uaſis, quæ.

5. Quintus modus ſiſtẽdi ſanguinem. Li. 5. the:

Quintus modus, excretionis ſanguinis ſiſtendæ, qui per aduſtionẽ fit, qua cruſta (quã Græci eſcharam uocãt) inducitur, maximè cõpetit uenis, ſuæ unionis diuortium ab eroſione perpeſſis, Galeno ipſo autore ſic ad uerbum inquiente: Maximam autem neceſsitatem, uel cruſtificis, id eſt, cruſtam inducentibus medicamentis, uel ignitis ferramentis utendi animaduerti, ubi ex eroſione putreſcentis alicuius profluuium ſanguinis concitatur. Hic itaque modus ſiſtendi ſanguinem perficitur, tum candẽtibus ferramentis, tum medicaminibus cruſtam inducentibus, quibus cum calore adſtringendi facultas ſit coniuncta. Cuius generis ſunt, chalcantos, id eſt, atramentũ ſutorium, miſy, & chalcitis, ſeu quod uitreolum uulgò appellatur, iiſque tam uſtis, quàm non uſtis. Quæ autem ex calce uiua, id eſt, non extincta conficiuntur, ualentiora quidem his ſunt: cæterùm quia adſtringendi uim non habent, cruſtæ, quæ ab ipſis fiunt, citiùs excidunt. Hærent autem diutiùs, quæ ab adſtringentibus: quod uti-

utique longè eſt utilius. Quippe ita priùs in baſi, ſeu in imo earum, caro ſupernaſcitur, efficitúrque uaſis profluentibus ueluti operculum, donec uenæ agglutinatio facta ſit. Vnde nec noſmet (inquit Galenus) præcipites eſſe, ueluti nonnulli ſunt, ad cruſtas detrahendas oportet, ubi hæmorrhagias periculum imminet. Si enim properes illas reſoluere, ac deijcere, tantum inde accidit interdum ſanguinis profluuium, ut uix cohiberi poſsit. Quocircà præcipiebat Auicennas, aduſtionem faciendam eſſe, ferramentis uehementer ignitis, & ualenter in profundum adactis, quò craſſæ, ac profundæ eſcharæ fiant, quæ nec facilè ſeparentur, atque excidant. Hinc Theodoricus cruſtificis, ſeu cauſticis omnibus medicamentis præferebat arſenicum, quod uocant ſublimatum: nec ſanè immeritò. Nam & protinùs omnem ſanguinis profuſionem ſiſtit, & altam, ac diutiùs hærentem cruſtam inducit. Horum autem medicamentorum cruſtã inducẽtium, materia, ſuo loco (nempe lib. ſexto) explicabitur. Porrò ipſa ferramenta igne flagrantia, ex aceto, aut uino (ut rectè quidam conſulunt) reſtinguere oportet. Cæterùm alius quidam ab ijs modus eſt peculiaris reprimendi ſanguinem, qui tametſi nondum adhuc profluat, mox tamen fluxurus eſt: ut cum ſagitta, telúmue aliquod cori infixum, extrahendum eſt. Itaque cum hæc occaſio nobis occurrit, puluilli tres, aut quatuor apparandi ſunt: rotundi quidem, & circa medium (ut ſic dicatur) feneſtrati perforatiue, medicamine aliquo ſanguinem coërcente delibuti. His ergo ritè ſic apparatis, ipſius teli infixi ſtipitem, ſeu haſtile, per foramen immittito, ipſóſque puluillos circa haſtile ſtringendo, miniſter aliquis, ſupra uulnus comprimat. Medicus uerò ipſe uulnerarius ſagittam, uel aliud quoduis telum infixum extrahat. Exempto telo puluilli ſunt adæquandi, ita ut nullum ampliùs foramen in illis pateat, & ſupra uulnus comprimendi: dein alij non pertuſi ſupra illos ſunt apponendi.

Arſenicum ſublimatum optimũ ad hæmorrhagias præſidium.

Modus aliquis ſuppriméndi ſanguinẽ, qui ſtatim fluxurus eſt.

Hi igitur ſunt modi, quibus ſanguis à uenis, & arterijs uulneratis profluens cohibetur, qui ut arte, & ratione fiant, ſequentia præcepta obſeruanda ſunt.

Præcepta q̃dã, de ſupprimẽdo ſãguine obſeruãda. I.

Primum eſt Galeni libro quinto Therapeutices methodi, qui in omni fluore ſanguinis ex uulnere, iubet ut is, qui uulnerato aſtiterit, illicò digitum ſuper os uulneris uaſis imponat, blandè innitens, ac ſine dolore conprimens. Quippe ſimul (inquit) tum ſanguinem ſiſtet, tum eum concreſcere in uulnere faciet. Thrombos enim, id eſt, ſanguis concretus, ex ijs eſt auxilijs, quæ hæmorrhagiam ſiſtunt, ſicuti & linamenta, quos τωτοὺς Græci appellant, & medicamenta ea, quæ ijſdem emu ij plaſti-

„Digitus compriméns.

plaſtica dicuntur. Ideò autem thrombus ſanguinem ſupprimit, quia uaſis ſanguinem fundentis oſculum obſtruit, ut paulò antè diximus.

2. Pululli. *Secundum documentum eſt, quòd in omni ſanguinis ex uulnere profuſione, poſt admotionem pulueris adſtrictorij tres aut plures, ut uidebitur, panni linei, aut ex ſtupis pululli, oxycrato primùm madefacti, & poſteà expreſsi, medicamento ſanguinẽ ſupprimente imbuantur, uulneri agglutinentur, & ſupra ipſum adalligentur.*

3. Deligatura *Tertius canon eſt eiuſdem Galeni, qui per deligaturam docet ſupprimere ſanguinem, ſic inquiens: Alligandum autem id forinſecus faſcia eſt, ex tenui linteo, cuius faſciæ primi quatuor, quinqué ue amplexus ipſi profluenti uaſi inijcientur. Ab hinc uaſis radicem uerſus, ducentur, in quibus uidelicet partibus radicem uerſus ducere licet. Licet autem ferè in omnibus, præterquàm cerebri membranis. Hac quidem deligatura (ut inquit Auicennas) quod confluit, reprimitur, & uena ſanguinẽ fundens, conſtringitur.*

4. Appoſitus uulneratæ partis ſit⁹. *Quartus canon in ſupprimendo ſanguine obſeruandus eſt, ut membrum à quo ſanguis profluit, ſitu appoſito collocetur. Vnde Galenus libro quinto methodi medendi ad hunc modum ait, Præter omnia iam dicta, inter hæmorrhagias, id eſt, profuſionis ſanguinis, remedia, cenſeatur, & appoſitus uulneratæ partis ſitus. Porrò appoſitus fuerit eidẽ Galeno, uulneratæ particulæ ſitus, ſi ad geminum hunc finem ſit directa. Nempe, ut & dolore pars careat, & ſurſum ſpectet, cuſtodito tamen in hac ſitus figura modo, ne dolor incidat. Si uerò uel prona ſpectet, uel doleat, non ſolum profluuium non ſiſtetur, ſed etiam ſi non ſit, prouocabitur, & inflammatio augebitur, præſertim ſi pars dolore infeſtetur: cũ nihil quidem æquè ſanguinis profluuium excitet, inflammationéſque augeat, ac dolor.*

5. Deligatura ante diẽ tertium minimè ſoluenda. *Quintum documentum ab eodem Galeno præſcriptum eſt, quo cauetur, ne ante diem tertium deligatura ſoluatur: ubi autem illam tertio ſolueris die, ſi tuto adhuc medicamentum emplaſticum, & ſiſtens ſanguinem, ulceri adhæreat: aliud rurſus ſuper ipſum accommodabis, ac ueluti linamentum id, quod ex pilis factum inhæſit madefaciens, deligabis: ita, ut initio deligaſti. Sin priùs ſua ſponte reiecerit linamentum, radicem uaſis, digito blandè comprimens, ne uidelicet quippiam confluat, hoc quidem ſuſpenſa manu, ac ſenſim adimes: atque alterum impones. Quod etiam eodem, quo & primum (ſi neceſsitas exigat) imbues medicamento, uel oui candido liquore cum roſaceo ſubacto, uel uino craſſiore, & ſtyptico. Ad hunc modum, quoàd carne obducetur, ac munietur*

nietur uas, curare debebis: utiq; à principio ad finem uſque (ut ſuprà dictum eſt) particulam ſupinam ſeruans.

Sextum præceptum in larga ſanguinis profuſione obſeruandum, eſt, ut laborans oculos clauſos contineat, aut loco obſcuriore reponatur, ne uel proprium ſanguinem, uel rubrum quidpiam uidere poſſit. Atque illi aſſeueratione affirmetur, quod ſanguinis profluuium conſtitit: & ſi adhuc ſanguis fluat, magno ipſius commodo id fieri: atque ita contraria imaginatione, uirtus naturalis ipſius roboratur. 6. Laborans oculos claudat, aut loco obſcuriore contineatur.

Hinc dicebat Auicennas, quòd grauiſſimum accidentium animalium, mouentium imaginationem, eſt motus ſanguinis, & conſecutio eius, qui paratus eſt ad eum, cùm multùm intentus fuerit, ad conſiderandum res rubras. „ Auic.

Cæterùm tempeſtiuum eſt ſubijciamus medicamenta, quæ ſiſtendi ſanguinem uim habent: ſtatutum enim erat nobis poſtremo loco de ijs dicere. Itaque primum, atque omnium optimum eſt, quod à Galeno deſcribitur libro quinto methodi medendi. Quo etiam ad cerebri membranarum hæmorrhagias uti, ſecuriſſimum eſt. Item ad colli uulnera, ipſarúmque uenarum iugularium, quas ſphagitidas uocant: etenim & harum ſanguinem citra uinculum prohibet. Verba autem Galeni hæc ſunt: Medicamēta ſanguinē ſupprimentia.

Thuris pars una, aloës partis unius ſemiſsi, miſcetur. Mox cùm utendi tempus inſtat, tantum huius pulueris cum oui candido ſubigitur, quantum mellis reddat craſsitudinem. Hoc dehinc leporis molliſsimo pilo excipitur, deinde tum uaſi ipſi, tum ulceri toti liberaliter imponitur. Alligandum autem id forinſecùs faſcia, ex tenui linteo, modo, quo in tertio canone ſuprà dictum eſt. Hoc autem medicamento (inquit paulò pòſt Galenus) multifariàm utor, aliàs (ut dictum eſt) duplum thuris aloë admiſcens: aliàs pari modo ambobus utens: aliàs paulò ſuperante aloën thure, aut etiam pluſculo, ſed nondum duplo: etiam mannam pro thure aliquandò injiciens. Porrò conſtat in duris corporibus, plus aloës eſſe immiſcendum, in mollibus plus thuris. 1. „ Gal. medicamētum ſanguinē ſupprimens.

Secundum medicamentum ſumitur ex dictis Auicennæ, quod & ab omnibus chirurgis approbatur: habet autem ad hunc modum, ℞. boli Armeniæ, ſanguinis draconis, thuris, aloës ſuccotrini, pares portiones, terantur in puluerem, qui apponatur, ut dictum eſt. 2. Auicennæ puluis.

Tertium medicamenti genus eſt Bruni, qui ipſum deſumpſit ex lib. diuiſionum Razis, & ex Albucaſe. Recipit autem calcis uiuæ (quæ ſola, ut ſuprà diximus, ſanguinem cohibet, & ſiſtit) ſanguinis draconis, gypſi, aloës, thuris, uitreoli, ſingulorum æquas portiones, rediguntur in 3. Bruni medicamentū.

puluerem, & cum oui candido liquore, & tela araneorum miſcentur, donec in corpus unum coëant, & ſuperponuntur. Eſt qui plurimùm cõmendat gallam combuſtam, maceratam in uino, & aceto, tritámque, & ſuper arteriam admotam. Alij in huiuſmodi pulueribus ſymphyton addunt, quod poſteriores conſolidam uocant.

Galla combuſta.

Symphytõ.

Curatio vulneris in vena.

SVppreſſo ſanguine, qui ex uulnere profluebat, ad propriam ipſius uulneris curationem mox accedẽdum eſt, ut ſuperiùs eſt annotatum.

Lib. 5. meth. „ *Porrò tametſi (ut Galenus ait) ſanatu difficilior ſit arteria, quàm uena,*
„ *non tamen eſt medicamentorum admodùm diuerſus in utraque uſus: imò*
„ *ſpecie planè idem, maioris minoriſque ratione euarians. Quippe tan-*
„ *to ſiccioribus medicamentis eget arteria, quàm uena, quanto ipſa eſt ſu-*
„ *apte natura ſiccioris temperamenti, quàm uena. Ergo quod uenæ in-*

Curatio ulceris i uena. *ſedit uulnus, ubi ad manum eſt, & citra ſubſtantiæ deperditionem, eandem deſyderat curationem ijs, quæ in carne accidunt. Nam ſiue ex recenti ictu factum eſt, id agendum eſt, ut medicamentis ijs, quæ enhæma uocant, coëat: ſiue ex eroſione, quæcunque dicta de rebellium ulcerum curatione ſunt, ea priùs ratione diſcernenda, mox ut opere perficiantur, tentanda. Quinetiam ubi uinculo uas ſis complexus, aut medicamentis ſanguinem ſupprimentibus, aut ferramentis ignitis uſus, ita, ut facta fuerit ſubſtantiæ deperditio: illúdque tibi curationis propoſitum reſtet, ut quæ circa uulneris, ulceríſue labra ſunt, carne impleas: ijſdem omninò medicamentis utendum erit, quæ in methodo ſinuoſorum ac cauorum ulcerum ſunt deſcripta.*

De vulneribus neruorum, tendonum, & ſyndeſmorum, id eſt, ligamentorum. Cap. XIII.

Differẽtiæ uulnerum, partiũ neruoſarum.

VVlnera neruoſarum partium Auicennæ libro quarto ſuæ medicinæ, & Galeno libro ſexto methodi medendi, quãdoq; punctim, quandoq; cæſim fiunt. Eadem interdùm ſine contuſione, interdùm uerò cum contuſione accepta ſunt. Ex puncturis autem, quædam hiant, atque apertæ ſunt, quædam cæcæ, atque occluſæ manẽt, adeò ut earũ ora ſic cõniueant, ac inter ſe coëãt, ut cõſpectũ effugiãt. Porrò ex diſſectionibus, hoc eſt, ijs, quæ in neruoſis partibus cæſim fiunt, uulneribus, aliæ per tranſuerſum, aliæ per lõgitudinem infli-

inflictæ ſunt. Atque ex harum utriſq;, quædam fiunt ſine amiſsione ſubſtantiæ carnoſæ, quædam uerò cum deperditione ipſius ſubſtantiæ carneæ, cute etiam, quæ interueniebat, diuiſa, adeò ut neruus nudus appareat. Adhæc nerui tranſuerſim uulnerati, quandoque non ex toto, ſed duntaxat ex parte diſſecti, quandoque uerò toti præciſi ſunt. Atq; in omnibus ijs uulnerationibus, quandoque dolor ingens, & inflammatio, & conuulſio accidunt, quandoque uerò non. Itaque ab ijs nuper cõmemoratis uulnerum differentijs, curationis indicationes ſumuntur.

CAVSAE.

Omnium eiuſmodi uulnerationum cauſæ ſunt ea, quæ incîdunt, pungunt, ac penetrant, & contundunt, ut in ſuperioribus (ubi ſcilicet de cauſis uulnerum in uniuerſum diſſeruimus) oſtenſum eſt.

SIGNA & iudicia

Cæterùm ex præcedentibus conſpicuum euadit, quòd neruus uulnerari non poteſt, quin cutis, & caro ſolutionem continui, & uulnerationem etiam patiantur.

Neruum conuulneratum eſſe teſtantur, dolor ingens, læſio ſenſus, & motus, & ſi in loco neruoſo uulnus acceptum eſt. Sed ab hoc poſtremo, coniecturalis ſolùm nota deſumitur.

Quæ ſymptomata, quibus affectus, ex neruorũ uulnere oboriantur.

Neruis uulneratis, aut punctis, ex ſentiendi, quod obtinent, acumine, inflammatio, & dolor immodicus accidit. Quare & febres, & conuulſiones his oboriuntur, quibuſdam & delirium, ob neruorum cum cerebro commertium. Interim uerò, in alijs quoque particulæ affectæ locis, inflammationes, & abſceſſus ſuper ipſum neruum conuulneratum, quòd cohæreat, ſolent accidere. Ita quidem iudicatur Galeno libro tertio artis medicinalis, ut in ſuperioribus annotauimus.

Tumor in neruorum uulnere.

Si in uulneribus neruorum tumor apparuerit, & poſteà diſparuerit, conuulſionis, ac delirij periculum imminet. Hinc de tumoribus, qui uulneribus ſuperueniunt, loquens Hippocrates libro quinto Aphoriſmorum, in uniuerſum omnes illos tumores damnat, qui de repente detumeſcunt. Sed & ingens malum portendi ibidem adſerit, cum uulneribus prauis (qualia ſunt, quæ in capitibus, aut finibus muſculorum, & maximè neruoſorum fiunt) tumores omninò non adueniunt. Si in uulneribus (inquit) fortibus, & prauis tumor non appareat, ingens malum. Sequenti quoque aphoriſmo, qui pars eſt antecedentis, docet Hippocrates, tumores omnes, prauis maximè uulneribus, cuiuſmodi ſunt ea, quæ neruoſis partibus illata ſunt, ſuperuenientes, quicunque molles ſunt, optimos eſſe, contrarios uerò prauos. Molles (inquit) boni, crudi uerò mali. Vbi crudum tumorem uocat, durum, atque renitentem, qui opponitur molli. Adhæc, neruo per tranſuerſum uulnerato, ſed non om-

„ „Crud⁹ tumor, q dicatur Hippo.

Gal. lib. 6. Therap.

ninò diſſecto, maior conuulſionis metus impendet, quàm ſi totus præciſus eſſet: phlegmone ſcilicet à deſectis fibris, ad non ſectas, communicata: cæterùm conuulſione, ab ipſis non ſectis excitata. At ſi totus quidem neruus præciſus ſit, metus prætereà nullus inſtat, nec periculum ullum inde ſequetur: debilis tamen particula manebit, ut priùs dictum eſt, cùm de ſpaſmo ageremus.

Meminiſſe prætereà oportet, quòd frigidum, partium neruoſarum uulneribus, magis eſt mordax, quàm ijs, quæ carnes occupant.

Ligamenta uulnerata, ualẽtißima tolerãt remedia.

Neruea ligamenta, ſiue copulæ, quos ſyndeſmos uocãt, cùm ſimillimã habeant tendonibus ſpeciem, ualentiſſimorum remediorum Gale. ſexto Therapeu. uim tolerant: quippe quòd nec ad cerebrum pertingant, & ſenſu careant. Nam nerui omnes, alij quidem ex ipſo planè cerebro ortum habent, alij ſpinali interueniente medulla. Tendones quoque, quoniam compoſitam ex neruo ligamentóque ſubſtantiam habent, quatenùs nerui participes ſunt, eatenùs ex cerebro oriũtur. Cæterùm minùs ſaltem, quàm ipſi nerui conuulſionem accerſunt.

Syndeſmus uerò uulneratus, ſi is eſt, qui ab oſſe ad os permeat, ac duorum oſſium coniunctio eſt, & maximè ſine periculo eſt, et ipſum quibuſlibet ſiccans medicamentis, nihil hominem offendes. Sin is qui in muſculum ſe inſerit, quanto eſt neruo & tendone minus periculo oportunus, tanto utique, niſi ritè, hoc eſt cautè, & diligenter curetur, reliquis ſyndeſmis, magis terrere debet.

Curatio vulnerum, partium neruoſarum.

CVratio uulnerum eiuſmodi partium neruoſarum, communis eſt, cũ ea, quæ & uulneribus partium carnoſarum accommodatur: hoc uno tamen excepto, quòd ſymptoma illis ſuperueniens, nempe dolor, primo medici ſollicitudinem (cùm nimis contriſtat) ad ſe conuertit. Ita tamen, ut uniuerſales, ac communes illæ intẽtiones ſuprà memoratæ, haud prorſus interim negligantur. Hæ autem numero erant quatuor. Prima quidem, extranea, quæ uulneris labris intercidunt, remouere. Secunda, uulneris labra diſſidentia committere. Tertia, commiſſa, atque in unum coniuncta, ſeruare. Quarta, particulæ læſæ ſubſtantiam conſeruare. Cæterùm quomodò has intentiones aſſequamur, ex differentijs iam ſuprà enumeratis planè cognoſcemus. Ergo à ſimpliciori exordium ſumẽtes, de nerui punctura primùm dicemus.

Ingenti dolori primò ſuccurrẽdũ

Pũcti nerui curatio.

In nerui puncti curatione, neque unitionem moliri ſtatim oportet, neque

que coacta, ſeu in unum coniuncta conſeruare: Quin potiùs cutis quidē uulnus apertum, inglutinatúmque cuſtodire. Itaque infixa duntaxat (ſi quæ neruis inhæſerint) extrahenda, & particulæ oblæſæ ſubſtantia ſeruanda. Porrò, qua ratione defixa euellenda ſint, abundè in præcedentibus oſtendimus. Reliquum eſt igitur, ut quomodò læſæ particulæ ſubſtantia ſeruanda ſit, & ab ingruentibus iniurijs uindicanda, aperiamus. Cæterùm partis ipſius laborantis, hoc eſt, puncti nerui ſubſtantiam optimè ſeruabis, ſi, & dolori (qui ob exactum, atque excellentem partis affectæ ſenſum uehementiſſimus excitari ſolet) ſedulò, ac maturè occurreris: & phlegmonem fieri prohibueris. Quæ duo ex neceſſitate (niſi obſtiteris) nerui punctura conſequuntur, & conuulſionem ſubindè accerſunt, ut in præcedentibus iam annotauimus. Vt autem geminum hunc ſcopum aſſequaris, hoc eſt, dolorem, ac inflammationem prohibere poſſis, quatuor intentiones rurſus tibi erunt diligenter obſeruandæ. Prima, erit recta uitæ inſtitutio. Secunda, materiæ antecedentis ſubſtractio: ne ſcilicet ratione doloris, confertim ad locum affectum cõfluat. Tertia, corpus à conuulſionis noxa uindicare. Quarta, dolorem ſedare, & æruginoſam ſaniem educere. Et hæc quidem punctura nerui propria eſt, & maximè peculiaris. Aliæ uerò tres, omnibus neruorum uulneribus ſunt communes.

In nerui pũctura uulnus diu apertum ſeruandũ eſt.

Symptõmata nerui pũcturam comitantia.

Quatuor intẽtiones in curãda nerui pũctura, obſeruãdæ.

Quod ad primam intentionem attinet, præcipit Auicennas, ut cui neruus punctus eſt, uictum in extremo tenuiſſimum ſeruet, iuxta eam formam, quam ſuperiùs expreſſimus, dum in uniuerſum de uulneribus tractaremus. Locus in quo cubabit æger, tepidus eſſe debebit, ut Celſus nos admonuit. Lectulus uerò mollis, ut Galeno, & Auicennæ placuit. Sed & collocari quoque membrum, quod ictum eſt, ratione certa debet. Optimum etiam medicamentum laboranti quies eſt: moueri enim, & ambulare, niſi ſanis alienum eſt. In quiete igitur, ac lectulo molli hominem continere oportet.

1. *Victus tenuatio.*

Vt autem ſecundam intentionem aſſequi poſſis, ſequendum omninò tibi eſt Galeni conſilium, qui libro ſexto methodi medendi, iubet in nerui punctura, corpus totum ſanguinis miſſione inaniendum eſſe, utique ſi uirtus robuſta fuerit, & nihil aliud obſtiterit: etſi nulla etiam adſit in corpore laborante ſanguinis redundantia. Morbi enim magnitudo, ac doloris uehementia, corpore etiam plethorico non exiſtente, hoc genus auxilij (ut anteà diximus) plærunque deſiderat. Cæterùm in hac per ſanguinis miſſionem, uacuatione, ſeruanda ſemper erit locorum affinitas, ut frequenter admonuimus. Si uerò uitioſis ſuccis repletum corpus ſit,

2. *Materiæ antecedentis ſubſtractio. Sanguinis miſſio.*

Purgatio.

Frictio.

ſit, protinùs congruo medicamento illud purgabis. Leuis quoque frictio rectè adhibetur, ſed his partibus, quæ longiùs abſunt à uulnere.

3. Cõuulſiõis præcautio.

De tertia indicatione abundè ſatis dictum eſt in præcedentibus, ubi de conuulſione uulneribus ſuperueniente tractauimus. Itaque ſi puncto neruo, uel quouis modo unlnerato, aut etiam contuſo, ſpaſmus acciderit, aut eius metus ingruat, protinùs caput, collum, atque uniuerſam dorſi ſpinam, oleo liliorum, uel communi, calente fouebis. Porrò ſi in partibus ſuperioribus, ut manu, uel brachio, id genus uulneris neruus acceperit, præter iam commemoratas partes, axillas quoque ubertim oleo calenti delinies. Si uerò punctus, aut quouis modo uulneratus neruus ex ijs ſit, qui in crure habentur, bubones, ſiue inguina, pubes, & loca uicina, largo oleo ſtatim erunt imbuenda. Tum per totam ſpinam, ad collum, & caput uſque aſcendendum. Sed & tendones, & ligamenta, ac loca ipſa uulneri ubiuis illato propinqua eodem modo fouenda ſunt, ut ſexto libro methodi medendi Galenus facere nos edocuit.

Si nerui uulnerati phlegmone occupentur, aut putreſcant.

Cæterùm, neruorum uulneribus, ſed maximè punctim inflictis, perperàm à principio curatis, maxima omninò inflammatio, & putredo ſuperuenit. Ergò cùm nerui uulnerati ſic iam inflammatione tentãtur, et putreſiunt, farinam bordeaceam, aut fabaceam, aut potiùs eruinam, in aqua lixiua aut oxymelite, uel ſyropo acetoſo decoctam, loco phlegmone occupato, & putreſcenti ſtatim illinere oportet. Non autem triticeam farinam, aut eius generis cataplaſmata, quæ particulam putrem efficiunt: imo uerò neque aquam calidam adhibebis. Hæc enim tametſi reliquis inflammationibus, quas phlegmonas appellamus, ſit accommodatiſſima (ut quæ eas ualde mitiget) uulneratis tamen neruis eſt infeſtiſſima. Ab humectantibus nanque, & calefacientibus medicinis, putredo huiuſmodi affectibus comparatur. Quòd ſi uehemens inflammatio cum maximo dolore infeſtauerit, eruinam farinam, aut fabaceam, cum optima ſapa, addito pauciſſimo aceto, decoctam, illinito: priùs tamen parte affecta, oleo calido affatim perfuſa. Tanta uerò interdùm ex eiuſmodi puncturis, & neruorum uulneribus oboritur putrefactio, ut ferro candenti, uel cauſtico aliquo medicamento (cuiuſmodi eſt Aegyptiacum) eam adurere cogamur.

Aqua calẽs uulneratis neruis eſt ĩ feſtiſſima.

Halyab. & Auicenna ad eiuſmodi phlegmonas, & gangrænas, ſeu putredines, emplaſtro ex metallicis, & aceto præparato utebantur, cuius compoſitio libro tertio de compoſitione medicamentorum κατὰ γένη, à Galeno ſub hac uerborum ſerie deſcripta eſt. Ceræ pondo unc. ſex, olei unc. nouem, myſios pondo unc. ſex, chalcitidis denarij pondo unius, ſquam-

Empla. ex metallicis ad gãgrænas, & putredines.

ſquammæ æris pondo unc. duas, & ſemis, thuris pondo, unc. ſemis, galbani pondo uncia. Quæ liquari poſſunt, hoc eſt, cera, & galbanum: liquefacta, metallicis in aceto acri priùs accuratè tritis, ſuperfunduntur. Hoc pharmacum ignorauit Galenus, quis compoſuerit, neque apud ullũ hoc modo citatum unquam (ut ipſe teſtatur) comperit. Eadem tamen præſtare, quæ & alia quædam odorata ſimul, & ſumptuoſa, quæ paulò antè recenſet, adfirmat. Recentiores autem eo medicamento uti non conſueuerunt, ſed illo potiùs, quod conſtat farina hordei, fabarum, & orobi, in lixiuio ſtillaticio (ut priùs diximus) decoctis. Quippe quod à Galeno, & Auicenna maximè ſit celebratum, & frequenti experientia, optimum ad hanc rem à multis comprobatum. Addit autem in decoctione Auicennas, mel, & acetum.

4. Doloris ſedatio, & ſaniei eductio.

Quod uerò ad quartam intentionẽ conſequendam attinet, quæ neruorum quidem punctura magis propria eſt, Galenus libro ſexto methodi medendi, ualde multa pharmaca recenſet, ab ipſo excogitata, & deorum quadam prouidentia (ut alibi teſtatur) inuenta. Quæ uulneri impoſita, ad utrunque mirè ſunt comparata, tum ut dolorem mitigent, tum ut exitum ſaniei patefaciant. Tutius uerò fuerit in neruis acu, aut paxillo, aut quopiam tali compunctis, præſertim ſi in altum receſſum uulnus, hoc eſt, punctura deſcenderit, & conſpectum effugiat, cutim etiam in uulneris orificio aperire, ac latiùs incidere, quò meliùs ſanies effluat, & cõmodiùs ad profunditatem loci, medicamentorum uires perueniant. Porrò alijs cultro raſorio, alijs uerò cauterio cutẽ ipſam aperiendã eſſe magis placet. Galenus in id genus puncturis, orificium duabus in cutẽ ſectionibus rectis diuidere iubet libro tertio de compoſit. medicamentorũ ſecundũ genera. Itaque niſi oræ anguſtiorum eiuſmodi punctuum aperiantur, conuulſionis periculum magis imminet. Quippe quòd obcæcato ita cutis uulnere, nihil à profundo extrorſum expiret. Facta autem cutis apertione, exiccandum mox uulnus eſt, ſubſtantia aliqua tenui, quæ uſq; ad ima nerui offenſi poſſit penetrare, ut libro artis medicinalis Galenus nos admonuit. Cuius generis eſt oleum Sabinum, præſertim uetus, quod tanquàm utiliſſimum ad præſentem curationem, libro ſexto methodi medendi, & tertio de compo. med. κατὰ γένη, idem autor deligit. Vitandum autem (conſilio eiuſdem) omninò eſt, oleum crudum, quod ὠμότριβες, uel ὀμφάκινον duplici nomine Græcè dicitur: & quod denique uim habet adſtringendi, cuiuſmodi eſt oleum myrtinum, tribus ſaltem primis diebus. Hoc enim per halitum non digerit, ſed obſtruit, & perſpiratum prohibet. Præſtat igitur neruos punctim ictos oleo tenui,

Punctura dilatatio.

Oleum Sabinum.

Olea adſtringentia uitanda.

nui, adſtrictione prorſus carẽte, perfundere, quale dulciſſimum eſt, quod longè melius erit, ſi duos aut tres annos tranſegerit. Sed neque Sabinum etiam ipſum oleum, quamuis ſit tenuiſſimum, aut aliud quoduis ſimile, ut eſt Iaſminum (quod uocant) frigidum admouendum eſt, ſed calens: frigidum nanque præterquàm quòd neruis aduerſatur (ut quinto Aphor. expreſsit Hippocr.) tenues quoque meatus obſtruit, & ipſos anguſtiores efficit: calidum uerò digerit, ac dilatat, doloréſque magis demulcet. Si uehemens dolor laborantem diſcruciat, oleum ex uitellis ouorum cõmodè adminiſtratur. Ad eandem quoque intentionem in neruis punctim uulneratis, Galenus ſæpe uſus eſt terebinthina reſina, medicamento ſanè apprimè idoneo: per ſe quidem in pueris, & mulieribus, & generaliter ijs, qui molli eſſent carne: cum euphorbio uerò emollita, in duris corporibus. Non ſecùs autem & propoli, non per ſe modò, uerùm etiam cum euphorbio molliens, uſus eſt: & ſi nonnunquàm duriora contigerint, cum oleo quodam tenuiore. Quin (ſubiungit) & ſagapeno in duris corporibus ſum uſus, utique cum oleo, & terebinthina id miſcens. Sed & opopanace ad eundem modum, quo & ſagapeno. Mihi uerò & lachryma Cyrenaica non inutilis fore uidetur, ſi quis emplaſtrum ex ea faciat: cuiuſmodi eſt, quod nos ex euphorbio compoſuimus. Verùm (inquit) nondùm id experientia, quemadmodùm reliqua omnia: comprobauimus. Quippe præcedere oportet eam, quæ à uera methodo proficiſcitur, remediorum inuentionem: huic uerò experientiam ad certiorẽ etiam fidem, ſubſcribere. Siquidem ex tali methodo etiam ſulphur, quod neque ignem expertum, neque lapidoſum ſit, ſed omninò tenuium partium, ei cui neruus uulneratus eſſet, conducturum ſperauimus. Tantum eius [ſulphuris inquam] tenui oleo miſcentes: dum quod ex utriſq; mixtum erat, ſordium haberet craſſitudinem. In ualentioribus uerò duriorib́ſque corporibus etiam ſi ad mellis craſſitudinem redigas, ſic quoque iuueris. Nam id quoque comprobatum experientiâ eſt. Hactenùs Galenus. Cuius ſententiam approbat Auenzoar, huiuſque rei periculum ſe aliquandò feciſſe teſtatur. Quæ autem de lota calce ſubdit Galenus, neruis denudatis magis conuenire uidẽtur: Quare in ſequentia, ea reſeruamus.

Cæterùm paucis quibuſdam interiectis refert Galenus, ſe compoſuiſſe emplaſtrum ex cera, reſina terebinthina, pice, & euphorbio, ad hanc intentionem longè optimum, quo & plurimi ſua ætate, felici ſucceſſu uterentur. Recipiebat autem ex cera partem unam, ex terebinthina, & pice, utriuſque partis unius dimidium (ſic ut quod ex utriſque

Frigidũ pũctis neruis aduerſatur.

Si dolor uehemens adeſt.

Medicamẽta qb⁹ uſus eſt. Gal. in neruis punctim uulneratis.

Lib. 6. meth. med.

Remediorum per methodũ ſuctionẽ præcedere debere deidebãc experiẽtiâ cõfirmare.

Auẽzoar.

Emplaſt. Galeni.

que conflaretur, ceræ par esset) ex euphorbio uerò, ceræ partem duo-
decimam, etiam plus aliquandò, ubi scilicet ualentius efficere est in ani-
mo. Licet quoque interim & plus sit, quod ex terebinthina, & pice con-
fit, quàm cera. Licet rursus & alterum eorum tantùm ceræ admisce-
re. Quin etiam in penuria terebinthinæ resinæ (quæ uix apud nos re-
peritur) abietinam, Galeno etiam autore, commodè admiscebis. Empla-
stro uerò a iquo ex priùs memoratis apposito, lanam mollem oleo calẽte
madefactam suprà decenter alligabis. Igitur ut summatim, atq; uniuer-
sim dicamus, quæ in puncti nerui curatione obseruanda sunt, Galenum
ita sexto libro Therapeutices scribentem audiamus. Vulnerati ner- „ Gal. li. 6. methodi „ med.
ui curatio, medicamenta postulat, quæ & tepidum calorem excitent, &
ualenter [sine molestia tamen] desiccent. Tum quæ ex substantiæ suæ na-
tura, & trahendi uim habeant, et tenuium sint partium. Et rursus ibidẽ.
In pharmacis autem huc omne consilium direxi, ut esset eorum facultas,
tum tenuis, tum modicè excalfaciens, & quæ admodùm siccare citra do-
lorem posset. Cùm sola hæc trahere ex profundo saniem, neque contra-
cta, neque demorsa particula, possit. Porrò cũ permagna humanorum „ Li. 3. ἡ γύν.
corporum (ut alibi Galenus ait) sit differentia, tum in temperamentis, tũ
ætatum mutationibus, insuper uitæ studijs, nulla ratione quódque medi-
camentum, omnibus conuenire potest. Quãobrem duo in promptu ha-
beto, alterum ualentius ex similibus genere confectum, alterum mitius:
quæ inuicem mista dum usus postulat, permulta inter hæc iuxta misturæ „ Videre reliqua apud Galen.
quantitatem constitues.

De neruis cæsim vulneratis.

SI autem neruus non punctim, sed planè cæsim nulneratus fuerit, dili-
genter considerandum est, quo pacto facta uulneratio sit, utrúm ne p
transuersum neruum, an secundum lõgitudinem eius. Tum uerò quãtum
interuenientis, seu præiacentis cutis diuisum sit. Adhæc spectandum eti-
am est, num totus neruus dissectus sit, an non ex toto præcisus. Eiusmodi
nanque uulnerum differentiæ, curandi rationem non parùm euariant, ut
ex sequentibus euadet manifestum. Itaq; si cutis, quæ interueniebat, sec-
tio, non satis pateat, ampliori diuisione aperienda est, ut iam in præ-
cedentibus admonuimus. Proponatur igitur primùm satis esse cutis ad- Hypothesis
apertum, non ita tamen hiare uulnus, ut neruus ipse incisus, sensui nudus
adhuc appareat. Sanè huiusmodi nerui scissura, siue per directum, siue
per transuersum facta diuisio sit, ultra communes tres iam intentiones
dictas in punctura obseruandas, tres adhuc alios scopos, siue intẽtiones 3. ītentiões particul. 1.
habet. Prima est, ut in loco uulneris magis decliui, turunda aliqua mol-

lis,& ſuauis blandè imponatur. Secunda,ut aliquod medicamentum anodynum,ſeu mitigatorium, & ut uocãt incarnatiuum,neruis dicatum,uul-
neri ſuperponatur. Tertia,ut lana mollis ſuccida, uel oleo calente delibuta,deſuper blandè alligetur. Ergo non ita exactè uulneris oræ committendæ ſunt,& glutinandæ,quin emiſſarium aliquod relinquatur, quo collecta ſanies effluere poßit. Hæc enim ſi in profundo retineatur,neruis putrefactionem ac corruptionem inducet,atque ita cõuulſionem etiã inuehet. Eam ob rem profuerit(primis ſaltem diebus) turundam aliquam mollem,digeſtiuo ex terebinthina,oui luteo,& croci momento illitam,loco uulneris,ut dictum eſt,decliuiori molliter immitere,donec nullum ampliùs phlegmones,aut conuulſionis periculum timeatur. Medicamentum aũt his neruorũ,ac etiam tendinũ uulneribus, cæſim,nõ punctĩ acceptis, expeditiſsimũ,appriméq; idoneũ eſſe creditur,quod unguẽtũ ex uermibus uulgò nũcupatur. Recipit aũt cẽtaureæ minoris,linguæ canis,lãceolatæ, q̃ plãtago eſt minor,piloſellæ,cõſolidæ maioris & minoris,ana. M. unum, uermium terreſtriũ, quos lũbricos appellamus,lib.ſemis,olei coĩs, lib.unam,uini lib.unam,& ſemis:ſubigantur ſimul, & ita ſeptem diebus nutriantur,ſeu(ut loquũtur) fermentẽtur. Deindè illis addantur ſepi arietis à pelliculis emundati,lib.una,picis nigræ,reſinæ,ana quart.unum, gummi ammoniaci,galbani,opopanacis in aceto diſſolutorum ana drach. quinq;:ſimul omnia moderato igne decoquantur uſque ad uini & aceti conſumptionem, & colentur. Vbi uerò hæc penè refrixerint,adde terebinthinæ quart. ſemis, thuris,maſtiches,ſarcocollæ ana drach.tres, croci drach.duas:ſpathulâ agitentur in mortario,& fiat unguentum. Porrò longè alia multa medicamenta, paratu etiam faciliora, biſce neruorum diuiſionibus, ualde accommoda referuntur à Galeno libro tertio de cõpoſitione medicamentorum ſecundum genera,& ſexto methodi medendi. Cuiuſmodi eſt,quod ex oxymelite,& fabarum farina, uel eruorum, uel lilij,uel ciceris,uel lupinorum amarorum,uel hordeacea farina,cataplaſma conficitur. Item pix liquida fermento temperata,atq; uulneri impoſita. Eruorum quoq;,aut alia ex prædictis farina,fermẽto permixta. Imò & interim fermentum ipſum ſolum. Q uinetiam oxelæum ſolũ quod caleat,modò acetum abundè acre,& uetuſtum ſit. Propolis quoque recẽs,liquida,& pinguis,uulneri impoſita,ſæpe præſidio fuit: interim quidem per ſe,interim fermento commixta. His itaq; præſidijs ad neruorũ uulnera,tam in agris,quàm in urbibus,felici admodum ſucceſſu,Galenus ſæpe uſus eſt,non ſolùm in his,quos iam phlegmone prehenderat: ſed etiam,ut refert,protinùs ab initio. In ſumma oportet medicamẽta omnia,

2. 3. Turunda. Vnguẽtum ex uermib⁹ Cataplaſma. Pix liqda. Oxelæum. Propolis.

quæ

quæ neruorum uulneribus tam cæſim, quàm punctim inflictis, ex uſu futura ſunt, ea pollere facultate, quæ & modicè calfacere (id eſt, tepidum calorem, & ueluti ex ſole ſuauem, excitare) & ualenter, citra dolorem tamen, ſiccare poſſit. Tum ea quoque eſſe ſubſtantiæ natura, quæ ex alto ſaniem, atque humores educere, ac digerere ualeant. Atque ex ijs minus moleſta eſſe conſueuerunt, quæ liquida ſunt, ut Galenus etiam annotauit, lib. 3. de compo. medic. ſecundum genera. Super eiuſmodi uerò medicamenta, lana mollis ſuccida, uel oleo calente reſperſa, apponenda eſt, & leniter obſtringenda. Cæterùm quoniam frigus cum omnibus, tũ uerò maximè neruorum uulneribus infeſtiſsimum eſt, plurimùm conferet lanam ipſam ſuperpoſitam permanere calidam, ſiue oleo tantum, ſiue oxelæo quoque imbuta fuerit, fiet hoc, ſi aliæ lanæ ſiccæ uellera, aut panni calidi ſubinde mutati, extrinſecùs circũponantur, et æger intra tectũ, ſi modò hyems fuerit, ad quintum uſque, uel ſeptimum morbi diem ſeſe contineat. Nam ſi eò uſque phlegmone non tentetur, uacétque prorſus dolore, & nullam ſentiat tenſionem: in poſterum (inquit Galenus) tutus erit. Atq; hæc de neruo cæſim uulnerato in uniuerſum, ac generaliter dicta ſunt, ſiue per tranſuerſum, ſiue per directum, ſeu longitudinem neruus diuiſus ſit. Quæ uerò ſequuntur, peculiariter de neruo per tranſuerſum uulnerato dicuntur.

Qualia in uniuerſum medicamẽta eſſe debeant, neruorũ uulnerib⁹ accommoda.

Lana mollis ſuccida.

Lib. 3. γέν.

De neruo per tranſuerſum cęſo.

AT ſi neruus per tranſuerſum uulneratus ſit, nõ tamen ex toto præciſus, maior conuulſionis metus impendet, inflãmatione ſcilicet (ut ſuprà diximus) à diſſectis fibris, ad integras, & non ſectas ſuccedente. cæterùm conuulſione ab ipſis non ſectis excitata: Huic itaque memoratis priùs auxilijs, quàm citiſsimè occurrendum eſt. Ergo in quiete omninò, & ſtrato molliſsimo continendus æger eſt, plurimòq; oleo affatim, & aſsiduè, inguina, ſpina, axillæ, collum, & caput perfundẽdum. Cæterùm in hoc uulnere largiùs ſanguis mittendus eſt, & uictus tenuior adhibendus, quàm in neruo per directum inciſo. Quòd ſi conuulſio iam ſuperuenerit, & nulla conuenientium medicamentorum ui remittatur, reliquæ fibræ quæ integræ remanſerant, præcidi debent. Si enim totus neruus præciſus ſit, nullum quidem præterea (ut Galenus inquit) cõuulſionis periculum ſequetur, debilis tamen particula manebit. Verùm læſio, quàm mors potiùs optanda. Hoc pacto quibuſdam in priore infernáq; femoris parte, per tranſuerſum percuſsis, reliquum tendinis amputauit Gale. ut tuta illi eſſet curatio. Porrò ſi tranſuerſa hæc diuiſio, tam inſigniter alta in muſculo facta ſit, ut deligatura nihil prodeſſe poſsit, non dubita-

„ 6. metho.
„
„ Ther. 12.

Lib. 3. γέν.

bis muſculi diſtantes inuicem partes (præſertim ſi uulnus recens fuerit) futuris altioribus contrahere, curâ tamen ſemper adhibitâ, ne ab acu neruus, uel tendo cõpungatur. Carnoſa nanq; ipſa muſculorum pars, dum acu ſuitur, periculo uacat. Nerui uerò, aut tendines, non mediocri periculo conſuuntur. Horum quidem omnium Galenus nobis autor fuit lib. tertio de compo. medi. ſecundum genera, ad hunc modum ſcribens:

Hiſtoria de gladiatore ī ſemore uulnerato.

„ Contemplatus (inquit) gladiatorem quendam ex his, quos equites nominant, tranſuerſam diuiſionem in priore, ac inferiore femoris parte habẽ
„ tem, eámque ſatis altam: tum uulneris labrum intuitus, ſurſum alterum
„ reuulſum, infrà alterũ, quaſi ad patellã detractũ, non dubitaui diſtantes
„ inuicẽ muſculorũ partes, futuris contrahere, curatione illa, q̃ Græcè à la
„ titudine κατὰ πλάτος dicitur, neglecta. Itaq; ueritus tendines ipſis cõ-
„ ſuere, denudatis priùs illis, ſic altioribus futuris uſus ſum, haud ignarus
„ carnoſam ipſam muſculorum partem periculo uacare: tendines uerò nõ
„ item, quanquàm hoc nullum ex præceptoribus facientem uiderim.

Cur futuræ altæ eſſe debent.

Has autem futuras in eiuſmodi uulnere, ideò non ſuperficie tenus, ſed altius moliri cõuenit, ne quæ in imo ſunt, incõglutinata debiſcãt. Reliqua uerò, quæ ad uulneris curationem attinent, hic quoq; ſunt eadem, etiam ſi totus neruus præciſus ſit. In ſolo itaq; per tranſuerſum accepto uulnere, eodémq; inſigniter alto, cum deligatura nihil prodeſſe poteſt, ex ſola futura curatio abſoluitur. Etenim in uulneribus, iuxta membri longitudinem factis, deligatura uulnerati muſculi partibus inuicem contrahendis ſufficit Galeno. Cæterùm futura decenter facta, biduo conſutum uulnus fouendum erit roſaceo, in quo lumbrici terreſtres priùs decocti fuerint, ac ſuprà puluis aliquis qui ſuturam contineat, aſpergendus erit, cui parem ipſorum lumbricorum deſiccatorum, & contritorum portionem, ſi lubet, adijcies. Quidam enim memoriæ prodiderunt, eiuſmodi terræ inteſtina contrita, neruiſque diuiſis impoſita, protinùs mirum in modum prodeſſe, ut libro ſimplicium undecimo Galenus refert. Sunt qui & centaurium arefactum, & contritum etiam inſpergunt. Medicamẽ enim eſt admodùm deſiccatorium, mordacitatis expers, quódque, ſi glutinatorijs, & deſiccatorijs miſcetur, ulcera maligna, & cacoẽthe ſanare creditur. Quin & ipſius herbæ recentis illitu, magna ulcera glutinantur: uetuſta quoque, & quæ ad cicatricem ægrè perducuntur, eodem modo utentibus, cicatrice obducuntur Galeno libro ſeptimo de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Refert Dioſcorides, & quodam in loco Auicennas, quòd carnes minutim inciſæ coaleſcunt, ſi cum centaurio maiori decoquantur. Eidem quoque centaurij minoris radix recens, aut a-

Lumbrici ī roſaceo decocti.

Cẽtauriũ.

Radix cẽtaurij minoris.

rida

rida antè madefacta, uulnera conglutinat, & coniungit. Sed iam tempeſtiuum eſt, ut de nudato neruo dicamus.

Nerui cæſim vulnerati, & nudati curatio.

NVdato neruo, omnis curationis conſilium huc tibi dirigendum eſt, ut minima cum roſione ſicces. Proinde ſi neruus non punctim, ſed planè cæſim uulneratus fuerit, cute etiam quæ interueniebat, diuiſa, adeò ut nudus appareat, nullum iam ſuprà cõmemoratorum medicamentorũ, quæ ex euphorbio, ac ſimiliter acribus, emplaſtri ſpecie fiunt, applicabis. Nudatus nanque uehementem ipſorũ uim ferre nequit, ita ut, cùm interpoſita cutis erat, tulit. Optimè igitur eo caſu feceris, ſi & calcem, & pompholygem, ac metallica omnia, reſinas quoq;, olea, mel, & cerã, quæ eiuſmodi medicamẽtis, nudato neruo, ac diuiſo, apprimè idoneis, miſcenda ſunt, elueris: quò ſcilicet citra roſionem ullam ſint ſiccatura. Quippe medicamentis omnibus (ut Galenus inquit) quæ laueris, acris, mordénſque humor eluendo detrahitur. Tunc igitur præſtantiſſimum erit, calcem æſtatis tempore in diebus canicularibus ſub ſole, aqua ſalubri, & dulciſſima ſæpiùs elotam, & exiceatam, plurimo optimóque roſaceo admixtam apponere. Congruit & hoc caſu medicamentum, quod è pompholyge (ut dictum eſt) elota fit: largiore itidem, ac probatiſſimo roſaceo ſalis omninò experte, ſolutum, liquatúmue. Salubre quoque medicamentum eſt, & quod ex melle optimo ſub emplaſtri ſpecie componitur. Solui uerò & id roſaceo oportet, quod tum reliquis conditionibus ſit optimum, tum ſalis omninò expers, ut ſcilicet minima cum roſione ſicces. Nihil enim acre (ut diximus) nudato neruo (quæ pars eſt ſuapte natura ſenſu uegetiſſima) unquàm admouendum eſt. Si uerò robuſtius ſit, qui uulnus accepit, & cui corpus ſit à ſuperuacuis humoribus mundum, in hoc fas eſt, etiam ualentioribus remedijs nonnullis uti, ut paſtillis, ſeu trochiſcis ex Polyida autore, ſapa calida ſolutis, & in linamentũ illitis.

Id autẽm uel imprimis (inquit Galenus) ſemper habendum curæ eſt, ne quid ex ijs, quæ uulnus contingent, frigidum ſit. Quandoquidem ipſa laborans particula, & ſenſilis maximè eſt, & principum corporis partium primari [nempe cerebro] continua, & temperamento ſuo frigida. Quorum omnium occaſione, & ex facili à frigido offenditur, & ſuam offenſam cerebro impertit. Ad iam dicti uerò paſtilli uſum, propè etiam accedit & medicamẽti uſus, quod ἐκ χαλκίτεως Galeno nominatur, uulgò autem diapalma. Hoc ergo medicamine, ſi trochiſcos Polyidæ ad

Nudatus neruus uehementẽ medicamentorũ uim ferre non potest.

Lib. 6. met. & 9. ſimp.

Calx elota cum roſaceo

Medicamẽtum ex pompholyge.

Emplaſtrũ ex melle.

Neruo denudato nihil acre admouendum.

Lib. 6. met. Nihil frigidũ nudato neruo admouendum.

Diapalma

Paſtilli.

manum non habemus,uti tutò poterimus.Paſtilli autem Polyidæ ex quinto libro de compoſitorum pharmacorũ miſcella, ſunt requirendi, quorũ ſi copia nõ eſt,Andronis,uel Paſionis,uel etiã Galeni paſtillus erit ſumẽdus,quorum compoſitiones libro ſuperiore cap.de carbunculo deſcripſimus.

Oleũ nudato neruo,et uulnerato, nõ eſſe admouẽdum.

Cæterùm uulnus eiuſmodi oleo perfundendum non eſt, præſertim cùm nunc memoratis paſtillis curatio ſuſcipitur. Nam oleum illorũ uiribus aduerſatur,& ſordidum ulcus reddit. Neque enim parum intereſt(inquit Galenus) nudó ne neruo oleum,an per interpoſitam cutem admoueas.

Sanies quib⁹ abluẽda.

Abluenda igitur à uulnere ſanies eſt,molli lana ſpecillo circumuoluta, in ſapa tepida intincta,& mox expreſſa.Quod ſi omnia benè atquẽ ex animi ſententia ſuccedant,etiam uino dulci,non acri,& mordaci,uulnus commodè poteris madefacere. Eo autem iam penè ad cicatricem ducto,etiam utile fuerit album,tenue, & quod Græci oligophoron uocant.Aquæ uerò uſum, ob cauſam ſuperiùs adductam, ſicuti &

Aqua nudato neruo aduerſatur.

relaxans cataplaſma ſemper in neruo nudato deuitabis. Blandè etiam,

Deterſoriũ medicamẽtum.

ac ſuauiter uulnus (ſi neceſſitas urget) detergebis, unguento ex uermibus facto, uel aliquo alio deterſorio medicamento, quod recipiat mel probatiſſimum,terebinthinam,& farinam hordei,aut fabarum: uel alio ex ijs,quæ in antidotario habentur. Nonnulli pro comperto habent, ꝙ

Candens ferrum.

ſi diſſecti nerui capita, ſeu extremitates candenti ferro, carne uitata, leuiter attingantur,optimè poſteà conglutinari. Poſtquàm autem neruũ denudatum contexeris, linamenta extrinſecùs circumducere oportet, ex medicamento(inquit Paulus)quod anguſtis uulneribus faciat: nempe eo,quod ex euphorbio præparatur,aut ſimo columbarum,ſed ita, ut etiam ſanas partes ampliter comprehendat.

De neruorum contuſione.

Neruorum cõtuſio,pmiſcuã habet cũ ecchymoſi,tũ generatiõis tũ curatiõis rationem.

NEruorum contuſionem promiſcuam cum ecchymoſi, ſeu carnium contuſione habere generationem,facilè nobis inſinuat ſimilis utriuſque affectus curatio. Itaque illic & digerentibus, & adſtringentibus medicamentis utebamur,hîc uerò etiam ſiccantibus, & adſtringentibus nobis utendum eſt,præſertim dùm cutis unà cum neruo contuſa exulceratáque eſt. Si uerò abſque cutis ſimili affectu neruus quidem contuſus eſt, huic auxilia, quibus euocandi,ac digerendi facultas inſit, adferenda ſunt.

Si cũ neruo cutis cõtuſa ſit.

Contuſo igitur neruo, ſi cutis ſimul contundatur, & ulceretur, fabarum lomentum oxymelite dilutum, aut ſi magis ſiccare uoles eruinam farinam cum ſapa, & modico aceto illines. Quòd ſi ampliùs adhuc ſiccare deſideras, irim quoque illyricam, uel eam quam uulgò florentinam

rentinam uocant, immittes. Recentiores in hoc affectu per initia rosaceũ cum oui candido liquore admouent, & mitigato dolore laborante particulam fouent uino tepefacto, quod crassæ sit substantiæ, & astrictionis particeps. At si unà cum contusione dolor infestet, picem liquidam cataplasmati è farina fabarum adijcies, & ubi simul bene decoxeris, calens medicamentum applicabis. Vniuersi autem corporis curatio, eadem est cum ea, quam paulò antè docuimus. Si dolor una cũ contusione infestet.

Verum si neruus quidem contusus sit, cutis uero nihil quod sensui appareat, à natura recesserit, oleo calente discussorio, quale anethinum est, & rutaceum, irinum quoque & amaracinum, cõtinuè locum irrigabis, perfundés ue, & lana oleo madefacta fouebis, ac totius corporis curam prædictis similem adhibebis. Si neruus cõtusus est, cutis uerò nequaquã.

Porrò si neruus totus sit præcisus, metus prætereà nullus (ut paulò antè diximus) instat, nullum enim inde periculum sequi potest. Membrum tamen ea parte debile efficietur, præsertim si dissectus neruus insignis magnitudinis fuerit. Curatio uero eius communis est, cum ea quæ aliorum est ulcerum. Si neruus totus sit præcisus.

De vulneribus ossium. Cap. XIIII.

RAdita uulnerum carnosæ substantiæ, uenarũ, arteriarum, & neruosarum partium curandi ratione, nunc de uulneribus ossium nobis agendum superest. Cæterùm tametsi omnis continuitatis seu unitionis solutio in osse Galeno sexto methodi medendi & passim alibi, Græcè proprio nomine catagma, (quod Latinis est fractura) dicatur, recentiores tamen tum medici tum chirurgi, fracturam uocare consueuerunt, solam eam ossis diuisionem, quæ sine incisione, à uiolentia quadam, ut ruptura extrinsecùs accidente, fit, de qua in sequentibus latiùs dicetur. Fractura quid.

Vulnus uerò ossis appellare solent, præcisionem ense, aut quopiam alio simili incidente, uel in profundum penetrante factam, de qua in præsentiarum dicere statuimus. Huiusmodi autem præcisio quandoque (ut nunc loquumtur) est totalis, quandoque partialis. Cæterùm cùm os ipsum uulnerari non possit, quin caro & uenæ, & aliæ superiacentes particulæ etiam uulnerentur, sæpenumero ex ossium uulnere, pessima quædã symptomata excitantur. Nempe profusio sanguinis, dolor uehemens, conuulsio, & syncope: à quibus & agendorum etiam indicationes sumendæ sunt. Porrò cùm notæ uulnerum ossium, sensu sint satis cõspicuæ, his prætermissis iudicia seu præsagia subijciemus, quæ tam ab ipsis ueteribus quàm recentioribus, scri- Vulnus ossis. Ex ossium uulnere prauæ obortiuntur symptomata.

ptis mandata ſunt.

IVDICIA 1. Itaque iudicat Galenus libro artis medicinalis, & rurſum tertio & ſexto methodi medendi, quòd oſſis ſoluta ſemel partium cõtinuitas nunquàm poſteà adamuſſim & per ſe inſtaurari poteſt: præſertim uerò in iuuenibus, & adoleſcentibus, & uiris, multóque minus adhuc in ſenibus. Poteſt nanque os illud tantùm unitionem per ſe & ſine alterius ope recipere, atque in idem adamuſſim coaleſcere, quod abundè molle eſt, cuiuſmodi conſpicitur in puerulis. Alterius tamen ope, ut ſubſtantiæ cuiuſdam interuentu, ceu glutino quodam, oſſa ipſa quantumuis etiam dura ſiccáque ſint, concreſcunt glutinantúrue. Vocant autem glutinum hoc, ſeu ſubſtantiam illam interuenientẽ, cuius beneficio ſeparatæ oſſis particulæ ſecum agglutinantur colligantúrque, Græco uocabulo pωron ſarcoidem, id eſt, callum carnoſum. Huius prognoſtici ratio ſuperiùs adducta eſt, ubi de iudicijs uulnerum in uniuerſum agebatur,

Puerorum oſſa diuiſa, per ſe coaleſcunt.

2. Hippocratis oraculum eſt libro ſeptimo Aphoriſmorum, caſum praeuum eſſe, oſſe nudato, carnem circunſtantem uideri ab Eryſipelate apprehenſam. In oſſis (inquit) exutione, hoc eſt, nudatione, eryſipelas, malum. Sed hic caſus (ut Galenus ait in cõmentario) oſſibus ita patientibus rarò ſuperuenit.

Eryſipelas in oſſis nudatione malum.

3. Adhæc, frigidum nudatis oſſibus, eiuſdem Hippocratis teſtimonio, eſt infeſtiſſimum: partes enim ſunt exangues, ac natura ſua frigidiores. Quæcunque autem tales in animalibus partes ſunt, citiùs, ac magis à frigido offenduntur, ut libro quinto Aphoriſmorum Galenus annotauit, commentario decimooctauo.

Nudata oſſa, à frigido magnoperè offendantur.

4. Si magna oſſa, ueluti eſt os, quod propriè brachium, & humerus dicitur, uulgò autem os adiutorij, & utrunq; focile, ſiue os tibiæ, maius inquam, & minus (illud cneme, hoc perone Græcis dicitur) tota præciſa ſunt, adeò ut medulla egrediatur, uulnus tale periculoſum admodùm eſt, & magna ex parte membrum, quod ita præciſum eſt, emoritur. In tam inſigni nanque inciſione, nerui, uenæ, & arteriæ maiores, quæ uitam, ſenſum, atque alimentum particulæ iam ſic affectæ priùs miniſtrabant, omninò præcinduntur. Quanquàm non defuerint aliqui, qui Auicennam perperàm intelligentes, auſi ſint oppoſitum planè aſſerere. Inquit autem

Magnorũ oſſiũ præciſio, cum exitu medullæ, periculoſa admodũ eſt.

Lib. 4. » ad hunc modum Auicennas, Et quod dicitur de inciſione medullæ, quòd
» interficit, eſt intentio, in qua nulla eſt utilitas. Habet enim medulla leni-
» tatem, & uiſcoſitatem, & non inciditur. Quod dictum ſic accipiendũ eſt: quod nullus unquàm interiit ob præciſionem medullæ oſſium, quanquàm membrum ſic percuſſum tandem contabeſcat, & emoriatur: ob

eam

eam ſcilicet, quam nuper adduximus cauſam. Cùm uerò dicit, medullam non incidi, hoc intelligendum, cùm os frangitur, nõ autem cùm totum excinditur. Quis enim addubitat, cùm os totum præcinditur, & medullam quoque ſimul excindi poſſe?

Cæterùm ſummoperè cauendum eſt, ne aliquid oſſis uulnerati ſubitò, ac magna ui extrahatur. Nam ſi ita fit, uix à fiſtula, conuulſione, delirio, & febre, laborans tutus erit, ut Auicennas nos commonuit libro quarto ſuæ medicinæ. Proindè ſatiùs eſt, extrahenda ad tempus relinquere, & medicamento aliquo attractoriam facultatem habente, naturam adiuuare, quàm ſic ea ſubitò, & magna uiolentia eximere, ut ſuprà etiam monuimus, cùm de telis è corpore extrahendis ageremus.

5. Oſſis uulnerati fruſtula, nec ſubitò, nec magna ui euellenda.

Curatio vulneratorum oſsium.

IN curandis oſſium uulneribus, ſicuti & in fracturis, atque aliarum partium ſoluta continuitate, finis, ſeu ſcopus ſaltem primus, ac generalis, unus eſt: nempe unitio. Quòd ſi is per affectarum partium ſiccitatem (ut paulò antè diximus) perfici non poſſit, reſtat alter, ut alterius ſcilicet cuiuſdam interuentu diſſidentes oſſis uulnerati partes glutinentur. Vt autem finem hunc ſecundum poſſis aſſequi, quatuor alij ſcopi tibi proponuntur obſeruandi, ſuo ordine exequendi.

Quatuor ſcopi in curatione uulneris oſſium obſeruãdi.

Primus eſt, ut ijs, quæ infixa ſunt, & oſſium fruſtulis (ſi quæ ſint) exemptis, partes inuicem diſtantes, in unum adducantur, & ut commiſſæ iam ſeu coniunctæ maneant, uulnus in carne acceptum, futuris altioribus, ac ualidioribus contrahendum eſt. 1.

Secundus eſt, ut præſidia, quibus huic affectui ritè mederi poſſis, prudenter deligas. 2.

Tertius, ut deligaturæ modus decens adhibeatur. Nempe talis, ut cõmodè uulnus tractari, ac curari poſſit, citra omnimodam eius ipſius deligaturæ remiſſionem, & ademptionem. 3.

Quartus, ut poſtquàm à phlegmone iam tuta eſſe uidebitur laborãs particula, uictus paro gignendo aptiſſimus, inſtituatur. 4.

Primus ſcopus.

Cæterùm, quomodò primus ſcopus attingi poſſit, iã in ſermone uniuerſali de uulneribus ſuperiùs dictum eſt. Quòd autem eiuſmodi futuræ in carnoſis partibus factæ, in propoſito affectu ſint ex uſu, hinc manifeſtum euadit, quoniam diſiunctas uulneris partes, in unum adducunt, adductas uerò, coniunctáſque haud ampliùs diſſidere patiuntur, ac præterhæc, partis ſubſtantiam tuentur. Vices enim deligaturæ, & ferularum tenent, prohibéntque ne circumfluus aër plagam temerè ſubintret, & os

ipſum

ipſum alteret, ipſique noxam inferat, quod magnoperè uitandum eſt. Atque hæc omnia in propoſito caſu ſunt utiliſſima. Permittendum igitur, ut uulnus mox carne impleatur, atque caro ipſa medicamentis exiccatoria facultate præditis, ita obduranda eſt, ut tandem calloſa fiat, & pœrus gignatur. Itaque ſi aliquid ex ipſius oſſis ſubſtantia deperierit, eiuſmodi cauitas ad unguem impleri non poteſt, ſed inſanabilis remanebit, ut libro tertio methodi medendi Galenus nobis eſt autor.

Secundus ſcopus.

Secundum autem ſcopum hoc modo aſſequeris. Sutura decenter facta, turundã in locum uulneris decliuiorẽ imponito, ut per hoc emiſſariũ oſſis fruſtula (ſi adſint) uel ſanies, aut puruleta colluuies, educi & expurgari poſſint. Sed & puluerem ſuturarũ (ut uocant) cõſeruatiuum, ſuperponito, quem primis diebus cum oui candido liquore remiſcebis. Poſtea uerò agglutinatorium commune ex puluere illo, quo omnes paſſim utuntur, terebinthinæ permixtum ita ut in unum corpus coëant, ſuperaccommodato, uel aliquod aliud ſimile, ex ijs quæ incarnatiua uocant, prout res expoſtulabit. Ergo turundulam melle roſaceo, quod puluerem glutinatorium ex myrrha exceperit, illitam, indito, Myrrha enim Auicennæ, carne nudata oſſa ueſtit, & operit. Itaque ſi os exutum nudatúmue appareat, prædicto puluere, & linamentis ex optimis pannorum laciniis confectis, ipſum operito, munitóue. Deinde emplaſtrum, uel ſtupas, aut pannos lineos uino çalente delibutos, ſuper applicato.

Myrrha.

Tertius ſcopus.

Cæterùm, tertius ſcopus in curando oſſium uulnere propoſitus, ita abſoluetur. Cum os totum præciſum eſt, facta imprimis (ut dictum eſt) ſutura, totũ membrum, ut Razes præcepit, excepto uulnere, duplici pãno, obuoluito. Pannos autem eiuſmodi, primis quidem diebus oui albore, ſequentibus uerò, uino calido, tum auſtero, tum nigro, imbuito. Et faſcia longa ac lata iuxta membri magnitudinẽ & figuram deligato. Ea enim longitudine & latitudine faſcia ipſa eſſe debet, quam uulneratæ partis conformatio deſiderat. Vt autem conueniens ſit eiuſmodi deligatura, eius principium iuxta finem laborantis particulæ incipiat. Ab hinc facta ad ſuperiorem partem circunuolutione, ubi prope uulnus uentum erit, faſciam ex aduerſo plagæ circunducito, atque eam uerſus corpus nõ comprehenſo uulnere, quouſque ſatis erit, diſpenſato. Mox faſciã uertendo, eam ſupernè deorſum ducito. Atque ubi iam ad locũ uulneris eam deduxeris, in partem uulneri oppoſitam, ſupra priorem aliam circumuolutionem, circunductus mijcito, eóſque ita diſpenſato, ut ibi unde initium accepit deligatura terminetur, & uulnus minime coopertum remaneat. Porrò faſciæ ſic reuolutæ extrema acu ibidem erunt aſſuenda.

Deligaturæ modꝰ i uulnerato oſſe.

Deindè

Deindè ferulæ duæ uel tres (ſi uulnus in artubus acceptum eſt) læues ac politæ, membri læſi figuræ, ac magnitudini accommodæ inijcientur, quæ læſam partem ita fulcient, ut uulnus minimè contegant. Has autem faſcia deligabis, nec priùs ſolues, quàm uulnus percuratum fuerit: niſi tamen dolor, uel eo loci excitatus pruritus, aut inflammatio nos ad id compellat. Quibus quidem ſymptomatis modo, quo in ſermone uniuerſali diximus, ſuccurrendum erit. Vulnus uerò extrinſecùs ſtupis contegendum eſt, & faſcia deligandum, quæ ſingulis curationibus ſolui debebunt, quũ aliæ ſupradictæ faſciæ maneant: deinde uulnus detergeri, exiccari, & more aliorum ulcerum curari debebit. Quod autem (inquit Galenus) neotericis inuentũ eſt gloſſocomion, quo maximè tempore gignendi calli utimur, laudandum id quidem, quantum aliud quiduis eiuſmodi machinarum, ducimus.

Porrò quod ad quartam intentionem attinet, quo tempore callus gignitur, nutriendum corpus eſt, cibis boni ſucci, & qui multùm nutriant, ex quibus prouenire ſuccus ſoleat, non ſolùm bonus, ſed etiam tenax, ex quali fieri callum maximè expedit: de quo plura in ſermone de fracturis. De duritie autem, quæ diuortium continui ſequitur in fractura, quã Græci catagma uocant, fuſiùs etiam alibi dicetur. Lib. 6.

Quartus ſcopus.

FINIS LIBRI SECVNDI INSTITVTIONUM Chirurgicarum, de plagis, ſeu cruentis uulneribus, Io. Tagaultio Doctore Medico autore.

Generalis diuiſio vlce-

RVM, IN LIBRVM TERTIVM

Chirurgicarũ inſtitutionum Io. *Tagaultij Medici.*

VLcus.

1. *Simplex*, {Id eſt, cui nec vllus affectus alius, nec ſymptωma vllum cõiungitur.

2. *Compoſitum*,—Seu cum alio affectu, aut ſymptωmate complexum.

1. Vlceris ſimplicis, ac ſolùm conſiſtentis differentiæ.

Veræ, ac propriæ,—Hoc eſt, à natura vlceris acceptæ.

Extrinſecùs accedentes,—Et non à ſubſtantia rei deſumptæ.

Vlceris differentiæ veræ, ac maximè propriæ, atque à ſubſtantia rei acceptæ, ſumuntur.

A *figura ipſius ulceris.*

Ab *ipſis dimenſionibus*, {Hoc eſt, à diuiſionis magnitudine, ſpacio, ſeu quantitate, &c.

Vlceris differentiæ à figura.

Vlcus rectum.

Vlcus obliquum.

Vlcus pampini modo retortum.

Vlcus hami ritu uncum.

Vlceris differentiæ à magnitudine, & ſpacio ipſius diuiſionis.

Vlcus magnum, } Longitudo, & latitudo.
Vlcus paruum. }

Vlcus in ſummo reſidens. } Altitudo.
Vlcus profundum. }

Vlcus æquale. } Differentiæ ſunt etiam in alto.
Vlcus inæquale. }

Vlcus magnum, & profundum.—Longitudo, & altitudo.

Sub magno comprehenditur longum, & latum: ſub paruo, breue, & anguſtum. Quæ differentiæ ſunt à dimenſionibus ſumptæ.

Vlceris ſimplicis differentiæ extrinſecùs accedentes, & non à ſubſtantia rei, hoc eſt, à natura ipſius vlceris, acceptæ, ſumuntur.

Quæ à generationis modo, & ratione ſumũtur differẽtiæ, magis ad uulnus pertinẽt, q̃ ad ulcus.

A *tempore.*
A *parte affecta.*
A *ſitu, ſeu loco in parte affecta.*

Vlceris differentiæ à tempore.
Vlcus recens.
Vlcus inueteratum.

Vlceris differentiæ à parte affecta.
Similari.
Organica.

Vlceris differentiæ à parte ſimilari affecta.
Vlcus in cute.
Vlcus in carne.
Vlcus in arteria.
Vlcus in uena, &c.

Vlceris differentiæ à parte organica affecta.
Vlcus auris.
Vlcus narium.
Vlcus oculorum.
Vlcus oris.
Vlcus faucium.
Vlcus pulmonum &c.

Vlceris differentiæ à ſitu in parte affecta.
Vlcus in conſpectu.
Vlcus ſub cute conditum, & non apparens.
Vlcus in principio, in fine, uel medio muſculi.
Vlcus in ſupernis partibus.
Vlcus in infernis partibus.
Vlcus ſecundum longitudinem.
Vlcus ſecundum latitudinem.
Vlcus ſecundum tranſuerſum.

2. Vlceris compoſiti differentiæ ſumuntur à complexu ipſius.

Nõ ſunt propriæ differentiæ, ſed uerius cõplicati affectus.

Cum ſymptomate.
Cum morbo.
Cum ſua cauſa.
Cum ſua cauſa, & morbo.
Cum ſua cauſa, morbo, & parte affecta.

Vlceris differentiæ à complexu cum ſymptomate.

Vlcus

Vlcus crucians.
Vlcus dolore uacans.
Vlcus purum.
Vlcus ſordidum.
Vlcus ſanioſum.
Vlcus cruentum.

Vlceris differentiæ à complexu cum morbo

Vlcus dyſcratum, id eſt, cum intemperie.
Vlcus phlegmonoſum
Vlcus eryſipelatoſum.
Vlcus gangrænoſum.
Vlcus canceroſum.
Vlcus putridum.
Vlcus cauum.
Vlcus ſupercreſcens.
Vlcus phagedænicum.

Vlceris complexus cum ſua cauſa.

Vlcus ſpontaneum.
Vlcus ab animali uenenoſo.
Vlcus à ſimiæ morſu.
Vlcus ab hominis morſu, &c.

Vlceris complexus cum ſua cauſa, & morbo.

Vlcus cacochymum, id eſt, uitioſo ſucco obſeſſum.
Vlcus cacoëthes, id eſt malignum.
Vlcus rheumaticum, id eſt, fluxione uexatum.
Vlcus arroſum.
Vlcus ſinuoſum.
Vlcus ab atra bile.

Vlceris differentiæ à complexu cum ſua cauſa, morbo, & parte affecta.

Eroſio.
Caries.
Eſthiomenus.
Sphacelus.
Dyſenteria.

INSTITVTIONVM Chirurgicarum Ioannis Ta

GAVLTII, DOCTORIS MEDICI,
liber tertius, de ulceribus in uniuerſum.

Quid ſit vlcus vulgò apud chirurgos, & eius diffinitionis interpretatio. Cap. I.

DIximus libro ſuperiore, de cruentis uulneribus, ſeu de ea continui ſolutione, quæ in carnoſa parte ex uulnerando recens facta eſt, ac relicta. Nunc tranſeundum ad id unionis etiammum in carnoſa ac molli ſubſtantia factum diuortium, quod nec recens eſt, nec cruentum: ſed iam inueteratum, & in quo una, uel plures conſiſtunt diſpoſitiones, quæ unionem, uel conſolidationem remorantur, atq; impediunt: ex quibus ſanioſa, & purulenta quædam colluuies, putredóque excitatur. Vocant autem uulgares medici, & chirurgi tale unionis diuortiũ, ſeu continui ſolutionem, communiter ulcus. Quanquàm uulnus, & ulcus ferè paſſim apud probatos autores pro re eadem ſumãtur: nempe pro diſſolutione unionis in parte carnoſa. Quæ ſiue recens ſit, ſiue antiqua (quatenùs ſaltem ſolutio tantùm unitatis eſt) eandem ſanationem (ut Galenus ait) ſemper deſiderat. Cuius utique propoſitus finis unus eſt, nempe unitio, uel agglutinatio, uel coïtio, uel continuatio, quæ eadem ſunt. Itaque diſcrimen quod à tempore ſumitur, nihil planè proprium indicat Galeno. Nam recens (inquit) uetús ue ulcus nihil indicat. Quanquàm indicare uidetur nonnullis, ſed hi ſeipſos fallunt. Non abs re tamen factum putauimus, ſi recentium, ac uulgarium medicæ, ac chirurgicæ familiæ ſcriptorum morem iam ab omnibus receptum ſequuti, diſcrimen inter uulnus (quam & plagam uocant) & ulcus poſuerimus. Vlcus quidem cum ipſis appellantes cõtinui ſolutionem in ſubſtantia carnoſa & molli, in qua una uel plures conſiſtunt diſpoſitiones, unitionem, ſeu agglutinationem fieri impedientes, ex quibus ſanies, & purulenta quædam colluuies, ac putrilago excitatur. Apud interpretẽ autem Auicennæ, ulcus ita breuiter definitur: Solutio continuitatis in carne, quandò

Vlc⁹ quid uocetur chirurgis uulgaribus.

Vulneris, ſeu ulceris finis.

Vlceris definitio.

Vlcus ad Auicẽnæ.

Definitionis ulceris examinatio

dò iam continet ſaniem & pus, nominatur ulcus. Cæterùm in hac ulceris definitione, ſolutio continuitatis, locum generis obtinet, cuius ſpecies libro ſuperiore de uulneribus abundè recenſuimus. Reliquæ uerò definitionis particulæ pro differentia appoſitæ ſunt. In ſubſtantia quidem carnoſa, ſiue in carnoſis, & mollibus particulis, ad diſcrimen corruptionis oſſium, quæ propriè ulcus non eſt, ſed caries, & corruptela, quæ teredon Græcè dicitur. Quæ autem ſubnectuntur, ad differentiam uulnerum addita ſunt. Vulnus enim recens, & cruentum, quatenùs ſaltẽ uulnus eſt, & quantum nominis ratio indicat, ſolutio eſt continui, ſimplex, ac per ſe conſiſtens, hoc eſt, nulli alteri affectui, aut præcedẽti, aut ſequenti coniuncta, qui eius curationem, nempe agglutinationem (quam ſolùm deſiderat) remoretur, & impediat. Vlceris uerò nomine, communiter in chirurgia eam unionis, ſeu continui diſſolutionem ſtatim inaudimus, quæ nõ ſimplex ſit, ut uulnus: ſed quæ aliis diſpoſitionibus, eius curationem impedientibus, ſeorſúmque, ac per ſe nonnunquàm conſiſtere uolentibus, complexa ſemper atque annexa reperiatur, ut in differẽtiarum enumeratione clariùs innoteſcet. Quò fit, ut uulnus generaliter, ſi ad ulcus conferatur, ſimplicis, ac minimè compoſiti affectus rationẽ obtineat: ulcus uerò (quo de hîc agimus) compoſitus ſemper affectus intelligatur. Non imus tamen inficias, quin & uulnera propriis quibuſdã diſpoſitionibus, quæ neceſſariò illis accidunt, complicari poſſint: ut uerbi gratia, magnitudini & paruitati, rectitudini & obliquitati, æqualitati & inæqualitati, profunditati & reſidentiæ in ſummo, & ita de aliis, quæ uulnerum diſcrimina, ſiue differentias conſtituunt: generalem tamẽ uulnerum, quatenùs uulnera ſunt, curationem parùm aut nihil euariant, ut ſuprà in tractatu de uulneribus diximus. Itaque uulnus magnum & paruum, rectum & obliquum, æquale & inæquale, in ſummo reſidens & in profundo penetrans, longum item & breue, recens & inueteratum, ueræ ac propriæ ſunt ſimplicis ſoliúſque uulneris, & cui nullus alius adiunctus ſit affectus, differentiæ: ſicuti etiam & ulceris, quod ſolùm conſiſtit, ut in ſequenti capite dicemus. Porrò in diffinitione ulceris ex Auicenna ſuperiùs adducta, per ſaniem, & putredinem, ſordities, ſquammæ, & cruſtæ (quas Græci eſcharas uocant) etiam inaudiuntur, q̃ in ipſis ulceribus contingere poſſunt. Itaque Auicennas, & qui eum ſequuti ſunt, uulnus & plagam uocant, ubi nondum eſt pus: ulcus uerò, ubi iam pus adeſt. In qua ſententia fuiſſe quoque uidetur Cor. Celſus, Latinus ferè Hippocrates, libro quinto ſuæ medicinæ, ubi recentem, & cruentam adhuc plagam, uulnus appellat: ulcus uerò, cùm iam uetuſtas occu-

Vlæris nomine quid intelligatur in chirurgia.

Vlcus quo à uulnere differat.

Vulneris atque ulceris propriæ differentiæ.

occupauit, ſiue extrinſecùs quidem per uulnera inciderit, ſiue intrinſecùs corrupta aliqua corporum parte naſcatur. Quid autem ſit ſanies, quid pus, quid ſordes, poſteà dicetur.

De differentiis vlcerum, & à quibus ſumantur. Cap. II.

Vlcerum differentiæ ſumuntur quibuſdam à tribus potiſſimùm: nempe à cauſis ea excitantibus, membris, & accidentibus, ſeu diſpoſitionibus cum eis complicatis. Alij uerò breuitati ſtudentes, eas à duobus duntaxat deſumunt, utpotè à cauſis, & ſymptomatis, atque etiam affectibus ipſis, quibus cõplicãtur: ea quidem, quæ à membris ſiue laborantibus particulis ſumuntur diſcrimina, omninò prætereuntes: quippe quæ ad particularem, non autem ad uniuerſalem de ulceribus tractationem pertineant. Adde, quòd & in tractatu de fiſtula, id eſt, ſinu, qui occalluit, de ijs obiter agetur. Dicemus tamen hîc & de ijs nonnihil. Differentiæ, quæ à cauſis ſumuntur, ſaltem communiores, & magis propriæ, hæ communiter ſolent à chirurgis aſſignari: ulcus uirulentum, & corroſiuum, ſiue comedens: ulcus ſordidum, rhyparon Græci uocant: & putridum, ſiue putrefactũ, quod Græci ſerpedona appellant: ulcus cauernoſũ, & profundũ, ulcus fiſtuloſum, ulcus canceroſum. Differentiæ autem, *quæ ab accidentibus, ſiue ſymptomatis, & affectibus, quibus ipſa ulcera complicantur, ferè communes, atque æquiuocæ ſunt, & ipſis uulneribus. Primò tamen, & magis propriè (ut recentibus placet chirurgis) de ulceribus, quàm de uulneribus dicuntur. Hæ autem ſunt: ulcus cum intemperie, quod Græcè diſcratum uocant: ulcus cruciãs, ſiue doloroſum: ulcus cum tumore aliquo præter naturam, quod apoſtematoſum nominant: ulcus contuſum, ulcus ſupercreſcens, cum carne molli, & ſuperflua, ὑπερσαρκῶν Græci appellant, Auicennæ interpres carnem additam ſuper uulnera: ulcus durum ſimul & tenebroſum: ulcus canceroſum, & gangrænoſum, ulcus cauum, ulcus carioſum, id eſt, cum oſſe corrupto: ulcus cum uaricibus, ulcus cacoëthes, id eſt, malignum, & ægrè ſanabile, atque id genus alia. Cæterùm multæ ex ſuprà commemoratis differentijs, ueræ ulcerum differentiæ non cenſentur Galeno, ſed aliorum affectuum cum ulcere complexiones, cuiuſmodi ſunt ulcus canceroſum, gangrænoſum, ſupercreſcens, putrefactum, cauum, & cum tumore aliquo, ut ulcus phlegmonôdes, eryſipelatôdes. Putredo nan jue, gangræna, phlegmone, eryſipelas, cancer, & reliqua id genus, ex morborum ſunt genere: nempe affectus præter naturam, acti-*

Vlcerũ differentiæ unde ſumãtur.

Vlcerum differentiæ à cauſis.

Differẽtiæ ulcerum ab affectibus quibus complicantur.

Affectus cum ulcere complicati.

onem uitiantes, qui ſeorſum ac per ſe conſiſtere poſſunt. Quod enim cõſiſtere ſeorſum, & per ſe poteſt, id nullius unquàm (inquit Galenus) alterius fuerit differentia. Eſto igitur hoc tibi ueluti præceptio, ac regula, qua diſcernere liceat, differentiá ne alicuius affectus aliquid ſit, an alterius affectus complexum. Sed & alio rurſus modo ulcus crucians ſiue doloroſum, & ulcus ſordidum, ceu quædam ulceris differentiæ dicuntur, cum tamen ueræ aut propriæ differentiæ non ſint, ſed complexus potiùs ſymptomatis cum ulcere. Dolor nanque & ſordes ex ſymptomatũ ſunt genere. Pari modo & cùm dicitur cacochymon ulcus, id eſt, uitioſo ſucco obſeſſum, aut fluxione uexatum, quod rheumaticum Græcè Galeno dicitur, aut arroſum, id eſt, quod exeditur, cauſa cum affectu copulatur. Talia igitur multa pro differentijs ulcerum chirurgis & medicis uulgarijs uſurpantur, quæ reuerà differentiæ nõ ſunt, ſaltèm apud Galenum, ſed alterius diſpoſitionis complicationes ſeu affectus compoſiti. Simplicis igitur ſoliúſque ulceris differentiæ ueræ ac propriæ, ab ipſa ulceris natura ſumuntur. Vlcus autem ſimplex hîc cum Galeno appellamus, quod ſolum conſiſtit, id eſt, cui nec ullus affectus alius, nec ſymptoma ullum coniungitur. Simplex igitur non erit, ſi quæ exulcerata eſt particula, uel fluxione uexetur, uel malo ſucco uitioſa ſit, uel omninò extra naturalem temperiem fuerit, uel ulla cauitas adſit, uel ſi aliqua cutis amiſsio contigerit. Itaque differentiæ, quæ ab ipſa ulceris natura ſumuntur, uel maximè propriæ ſunt, & à ſubſtantia rei acceptæ, uel extrinſecùs accedentes. A ſubſtantia rei capiuntur, quæ à figura, & à diuiſionis magnitudine ſeu quantitate, ac dimenſione, ſiue ſpacio ducuntur. A figura, ut ulcus rectum, ulcus obliquum, ulcus circulare ſiue rotundum, ulcus retortum, ulcus uncum. A diuiſionis magnitudine, ſiue quantitate, ut ulcus magnum, ulcus paruum. Ex dimenſionibus ſiue ſpacijs, ut ulcus longum, ulcus breue, ulcus latum, ulcus anguſtum, ulcus ſublime, ſiue ſuperficiale, id eſt, in ſummo reſidens: ulcus profundum, ulcus æquale, ulcus inæquale. Extrinſecùs uerò accedentes ulcerum differentiæ ſumuntur à tempore, & à generationis ratione: item ex eo quod totum ulcus, párſue ulceris conſpectum fugit, uel conſpiciendum ſe præbet, hoc eſt, à ſitu in parte affecta. A tempore quidem, ut ulcus recens, ulcus inueteratum. Ex generationis ratione, ut ulcus inciſum, ulcus diruptum, ulcus partim inciſum, partim diruptum. A ſitu in parte affecta, ut ulcus in conſpectu ſiue euidenter apparens, ulcus intùs conditum, ſiue non apparens, idque in toto, uel in parte: item ulcus in principio muſculi, ulcus in fine muſculi, ulcus in medio muſculi.

Vlæris cõplexus cum ſymptomate

Vlæris cõplexus cum ſua cauſa, & morbo.

Veræ ac propriæ ulcerũ differẽtiæ, unde ſumuntur.

Vlcerũ differẽtiæ maximè propriæ.

Figura.

Quãtitas.

Dimenſio.

Vlcerũ differẽtiæ extrinſecùs accedẽtes.

Tempus.

Mod⁹ & ratio generationis.

Situs.

Cæterùm

Cæterùm quæ ex loco affecto ſumuntur ulcerum differentiæ (ſi tamen differentiæ cenſendæ ſunt) non utique, ut Galenus inquit, à propria ipſorum natura, ut præcedentes, deſumuntur. Loci autem in quibus conſiſtunt ulcera, ſunt partes ſimilares, & organicæ. Igitur ſi à locis, in quibus eſt ulcus, differentias cenſeas, hoc modo fiet diuiſio ulceris à loco affecto: ulcus in parte ſimilari, ulcus in parte organica, ſiue inſtrumentaria. Rurſus ulceris differentias à parte ſimilari affecta, hoc pacto diuides: ulcus in uena, ulcus in arteria, ulcus in cute, ulcus in muſculo. Cenſetur enim muſculus, & pars ſimilaris, ſaltem ad ſenſum. Differentiæ uerò à parte organica affecta eiuſmodi ſunt, ulcus auris, ulcus in faucibus, ulcus in aſpera arteria, ulcus pulmonis, ulcus pectoris, ulcus in pene, ulcus in ſede, & ſic diſcurrendo per ſingulas corporis partes, quas inſtrumentarias uocamus. Atque hæc completa, & abſoluta eſt ſimplicis ſoliúſque ulceris, & cui nullus alius adiunctus ſit affectus, in ſuas differẽtias diuiſio, quæ à propria ipſius natura ſumitur. Quòd ſi affectus aliquis, ſeu diſpoſitio, quæ ſeorſum (ut diximus) & per ſe cõſiſtere poſſit, ut phlegmone, gangræna, putredo, ulceri adiungatur, ab eo (ut ſuprà diximus) ſumi non poſſunt ulceris differentiæ, ſaltem uerè & propriè dictæ. Verumenimuerò quoniam ab ipſo etiam Galeno locis ſexcentis dictum eſt, non oportere de nominibus contendere, ſi quis putreſcens ulcus, & quod exeditur, & quod gangrenâ, & quod eryſipelate affligitur, & canceroſum, & ſinuoſum, & cariоſum, & cacoëthes, & dolens & indolens, atque id genus alia, ulcerum differentias nominauerit, non erit cum eo contendendum, modò rectam illis curationem adhibeat. Vocabuntúrque ulcerum differentiæ, ſumptæ ab eo cum quo complicantur. Nempè differentiæ à complexu cum morbo, differentiæ à cõplexu cum ſymptomate, differentiæ à complexu cum ſua cauſa, & ſi quæ ſint aliæ.

Locus affectus.

Non eſſe de nõibus cõtendũ.

De cauſis vlcerum. Cap. III.

VLcerum cauſas in uniuerſum geminas tantum chirurgorum poſteritas ſtatuit, nempè antecedentes ſeu præcedentes, quæ Græcis προηγούμεναι dicuntur: & continentes ſiue coniunctas, quæ συνεκτικαὶ græcè appellantur. Procatarcticas nanque, hoc eſt prægreſſas & euidentes ſeu primitiuas illis minimè tribuunt. Quippè quæ dum carnem incîdunt, diſrumpunt, aut laniant, aut quouis alio modo continui ſolutionem in ea efficiunt, nequaquam primo ſtatim occurſu ſaniem aut pus, aut ſorditiem (quæ neceſſariò ulcera comitari

mitari arbitrantur) creare, aut excitare possunt. Quanquàm consequio quodam id præstare ualeant, nempe corporeas, atque antecedentes causas commouendo. Itaque ulcerum antecedentes causæ sunt, cacochymia, id est, succorum uitium, cùm scilicet sola qualitate peccant humores, non etiam quantitate, atque eorundem prauorum succorum, siue humorum in corpore existentium nimis exuperans copia, qui corporis ipsius particulas arrodere, & tandem corrumpere possint. Porrò eiusmodi succorum prauitas, aut ex deprauata victus ratione generatur, aut totius corporis, uel alicuius notæ membri, ut hepatis, aut lienis, uitio contingit, uti plærisque locis Galenus nobis testatum reliquit. Causæ uerò continentes, siue coniunctæ ulcerum dicuntur intemperies illæ, quas malitias complexionum uocant, in uulneratas particulas ex causis προκαταρκτικαῖς siue antecedentibus modò dictis, uel etiam ex ipsis uulneribus, aut abscessibus, aliisue præter naturam tumoribus (sed malignis præsertim) ruptis & apertis, excitatæ. Quemadmodum enim ex herpete, tum miliari, qui Græcis cenchrias dicitur: tum etiam esthiomeno, id est, exedente, qui ex bile fit crassiore, & acriore, ulcus corrosiuum, siue erodens, generatur: ita ex anthrace, seu carbunculo præsertim uenenoso (quod ulcus est escharòsum) rhyparum, id est, sordidum, & ex abscessibus profundum, & concauum, siue cauernosum procreatur. Itaque tres bi ægrè sanabilium, rebelliúmque ulcerum modi uidentur.

Vlcerũ causæ antecedentes.

CAVSAE ulcerum cõtinentes.

3. modi ægrè sanabiliũ ulcerũ.

1. 2. 3. Primus, qui ex intemperie subiectæ carnis prouenit. Secundus, qui ex uitio confluentis fit sanguinis. Et tertius, qui ex mensura, seu copia, uel quantitate confluentis nascitur, ut libro quarto methodi medẽdi Galen. annotauit. Qui & aliter ibidem diuisionem posse fieri tradit: nempe ægrè sanabilium, rebelliúmque ulcerum, alia propter ulceratæ carnis intemperiem, alia ob confluentem humorem, talia fieri. Tum intemperiem rursus ipsam bifariàm diduci, cùm aliàs in qualitate sola naturæ modum egressa, subdita caro sit, aliàs etiam cum accessorio quopiã tumore. Iã ipsum cõfluxũ bipartitò etiã scindi: nẽpe in cõfluentis succi, tũ qualitatẽ, tũ quantitatem. Quatuor igitur erunt in uniuersum contumacium, & ægrè sanabilium ulcerum modi: nempe sola subiectæ carnis intemperies, quam & dyscrasiã uocant: intemperies cum accessorio tumore, humor influens, aut uitiosus, aut multus. Humor nanque qui copiosior in partem ulcere laborantem influit (tametsi uitiosus non sit) sanationem ulceris (quòd in eo excrementa creet) moratur, atque in longũ tempus protrahit. Cæterùm quintum modum adiecisse uidetur Galen. in commentario huius aphorismi Hippocratis: Vlcera quæcunque annua

Hippocr.

sunt

ſunt,&c. nempe paſsionem oſsis corrupti in loco ulcerato. Vbi enim caro, quæ oſsi ſuperiacet patienti,adhibitis (ut oportebat) idoneis medicamentis exiccata,contraxerit cicatricem, ſtatim quidem integra ſanitas reſtituta uidetur. Rurſus uerò paulatim aliqua influente ſanie ex oſſe corrupto, in parte penitiore iterùm aduenit inflammatio, & puris generatio conſequitur, à quo cicatrix eroditur, caro uerò exulceratur. Subdit autem Galenus loco nuper ex quarto libro Therapeutices metho di citato,interim dictorum affectuum ſiue diſpoſitionum, aut aliquos, aut etiam pariter omnes miſceri, atque ita multas, ac diuerſas ulcerum differentias iam ſuprà commemoratas enaſci. Porrò tradenda eſt medendi methodus,non omnium ſimul,ſed cuiuſque ſeorſum,quod in ſequẽtibus faciemus, à ſimplicioribus quidẽ exordium ſumẽtes,ut eorũ curatione tradita,compoſitorum ſanationis methodus faciliùs, ac meliùs intelligatur. Cæterùm quoniam paſsim cùm de ulceribus tractamus, uoces hæ,ſanies,pus,uirus, ſordes,& id genus alia, nobis occurrunt, non abs re factũ putabimus,ſi hoc loco quid apud chirurgos, & medicos ſignificent, quóque inter ſe conueniant, & diſsideant, paucis aperiamus. Sanies ppriè Latinis is tenuis humor eſt, qui Græcis ἰχὼρ dicitur,qualis exit ex uulnere nec recẽti, nec iam ſaneſcente,ſed inter utrunque tẽpus. Quibuſdam ichor ſanguinis ſanies interpretatur. Saniei duæ ſunt ſpecies apud Celſum, Græcis diſtinctæ nominibus, quarum una ἰχὼρ, altera μελικηρίς nominatur. Ichor tenuis,ſubalbidus ex malo ulcere exit, maximéque ubi neruo læſo inflammatio ſecuta eſt. Meliceria craſſior,& glutinoſior,ſubalbida, mellíque albo ſubſimilis fertur. Hæc quoque ex malis ulceribus, ubi nerui circa articulos læſi ſunt, & inter hæc loca maximè ex genibus profluit. Apud recentiores autem,& plebeios iſtos medicos,ac chirurgos (quibus nuſquàm ferè ullius uocis proprietas,& quæ rei naturæ conueniens ſit,ſeruatur) ſanies communiter pro eo quod Latini appoſitè pus uocant,uſurpatur. Genus tamen interdùm ſaniem etiam faciunt, ad ſordem, uirus,ſeu uirulentiam, & purulentam colluuiem, quam Græci πύον, Romani pus uocant. Nomine enim ſaniei, latiùs ſumpto uocabulo, omnem humiditatem præter naturam alteratam intelligunt. Itaque ſi tenuis ſit humor, qui exit ab ulcere, uirus, ſeu uirulentia: ſi craſſior,ſordes: ſi uerò mediocris, generis appellatione, il is ſanies nuncupatur. Et hæc quidem in ulceribus (ut aiunt) copioſa, in cauis uulneribus pauca, reperitur. Eſt igitur ſanies propriè uulgaribus medicis, & chirurgis,idem,quod pus Latinis,& πύον Græcis: Celſo uerò genus eſt,duas ſub ſe (ut modò diximus) ſpecies continens,

Sanies q̃d.

Saniei ſpẽs duæ Celſo. in aliquib⁹ exẽplarib⁹ nõ ἰχὼρ, ſed γίτur,ſed ὕδρωψ. Meliceria.

Sanies uul gò, p pure male uſurpatur.

Virus.

Sordes.

Sanies.

nens, Græcis distinctas nominibus, quarum una ἰχὼρ, altera μελικηρὶς dicitur. At Latinis Galeni interpretibus, ubi passim Græcè ἰχὼρ scribitur, sanies uertitur. Cæterùm, quod πύον Græcis, & Latinis pus, prius nominatur, ex sanguine, uel carne contusa ortum habet. In eius autem generatione, semimala quædam, ut quisquam dixerit, fit transmutatio, siue alteratio. Etenim cùm tres in animalium corpore fiant alterationes, ut libro quinto simplicium Galenus docuit, unà planè secundum naturam est, cùm uidelicet cibus in uentre coquitur, aut in uisceribus, & uasis, qui inibi generatur succus, unde rursum pars unaquæque nutriatur. Altera contrà planè præter naturam, nempe in putrescentibus omnibus. Atque hæ quodammodò inuicem sibi contrariæ sunt. Tertia ex utraq; mista, & media est, partim secundum naturam existens, partim præter naturam.

ἰχὼρ.

Puris generatio.

Itaque transmutatio, seu alteratio, quæ pus generat, medium inter optimam (quæ nutritio est partium animalis) & simpliciter malam (quæ cum putrefactione fit olida) locum obtinet. Neque enim à solo calore præter naturam, neque à solo calore ingenito, & secundum naturam, planè uincente, fit suppuratio, seu puris generatio: sed mixtus quodammodò ex utriusque est calor inflammationis, quæ dum ad suppurationem connectitur, dolores, extenta simul, ac calefacta præter naturam inflammata particula: & febres principio, id est, corde concalefacto, excitantur. Atque hæc duo quidem contingunt ex quadam ueluti ebullitione, atque exustione sanguinis, qui ubi ex toto exustus fuerit, residuum eius fit pus, quemadmodùm ex lignorum exustione cinis, ut Galenus testatum reliquit in commentario huius aphorismi Hippocr. Dum pus conficitur, &c. Ex ijs igitur manifestum euadit, quid sit pus, quomodò generetur, quæ sit eius causa efficiens, & materia. Nunc quid sit uirus, seu uirulentia, & sordes, apud chirurgos, paucis aperiamus. Virus ergo illis, seu uirulentia est superfluitas subtilis, ex abundantia humorum aquosorum generata. Quæ (inquit Guido) duplex est, calida, & frigida, serosa, & rubicunda. Sordes autem eidem, est superfluitas quædam crassior, ex humoribus crassiorem substantiam habentibus procreata, quæ quidem est triplex: quædam enim (inquit) est spissa, inæqualis, coagulata, & alba: quædam uerò nigra, & alia uelut fex, cinericea. Porrò quod illi uirus appellant, Galeno Græcè ἰχὼρ, Latinis sanies dicitur. Est autem sanies, siue uirus (ut uerbo uno dicatur) tenuius illud excrementum in ulceribus, quod ea humida reddit: sicuti sordes crassum, quod ulcus rhyparon, id est, sordidum efficit.

Virus.

Sordes.

Sanies, siue uirus quid.

Quem-

Quemadmodùm enim (ut Galenus inquit) omnem qualitatis alimenti mutationem, alterum crassius, alterum tenuius excrementum sequitur, ita & in ulceribus, præsertim cauis, duplex excrementum prouenire solet: nempe tenuius, quod Latinè sanies, Græcè ἰχὼρ appellatur, & crassius, quod sordes dicitur. Ac ex tenui quidem excremento ulcus humidũ redditur, ex crasso sordidum. Quò fit, ut ulcus ipsum duplicibus egeat medicamentis, utique ut humidum est, siccantibus: ut sordidum, ijs quæ expurgant. Sed hæc alterius sunt contemplationis. Cæterùm mediam quodammodò substantiam sortitur pus, inter tenuem, & crassam, si salutem laudabile atque optimum est. Optimum autem est (ut scribit Hippocrates) si album, leue, æquale, ac quàm minimè fœtidum sit. At illud malum est Celso, quod multùm tenue, dilutúmque apparet, magísque si ab initio tale est: itémque si colore sero simile, si pallidum, si liuidum, si feculentum est. Præter hæc, si malè olet. Porrò genus quoddam puris est apud eundem Cornelium Celsum, Græca dictione ἰλαιῶδες appellatum, quod in magnis (inquit) ulceribus sanescentibus apparet, tenue, subalbidum, quasi unctum, colore, atque pinguitudine oleo albo non dissimile. Sanies autem mala est, multa, nimis tenuis, liuida, aut pallida, aut nigra, aut glutinosa, aut mali odoris, aut quæ & ipsum ulcus, & iunctam ei cutem erodit. Melior non multa, modicè crassa, subrubicũda, aut subalbida. Itaque spes sanationis in his ulceribus maior est, ex quibus melioris generis quæque prædictorum prouenerunt. Sicuti & eius uulneris expedita magis curatio est, ex quo sanguis bonus fluxit. Eamobrem, bonitatis atque maliciæ notæ, in horum singulis diligenter à chirurgo perpendendæ sunt, ut & deprehendere, & pronunciare possit, quæ ulcera insanabilia sint, quæue facilem, aut difficilem curationem habeant. Quæ res non parui sanè est momenti, ut chirurgus ipse, & se alijs admirabilem præstet, & calumniam deuitet. Atque hæc de pure, sanie, ac sorde dicta sufficiant Nunc autem dicendorum ordo postulat, ut ulcerum signa, ac etiam iudicia subijciamus.

Lib. 3. met.

Pus mediũ est inter saniem, & sordem.

Boni, ac mali puris nota.

Pus ἰλαιῶδες.

Malæ sanici notæ.

Notæ siue signa, quibus vlcerum differentiæ dignoscuntur, ex eorum definitionibus petita. Cap. IIII.

VLceris cuiusque suæ sunt propriæ notæ, quibus unum ab altero distinguitur. Hæ autẽ ex singulorum diffinitionibus petendæ sunt. Quocircà præcipuarum suprà memoratarum differentiarum breuissimas definitiones hîc obiter recense-

re operæprecium eſſe duximus. Quod dum facimus, non tam uerba, quàm rem ipſam lectorem ſpectare uolumus. Maluimus enim communibus, & ab omnibus chirurgiæ profeſſoribus iamdudùm receptis uti definitionibus, licet aliquandò rudibus, plebeis, & non ita elegantibus, q̃ rei per ſe ſatis obſcuræ, uerborum lenociniis, & terſiore ſtilo tenebras offundere: craſſam tamen illam, & ſupinam barbariem, quantùm nobis licuit, ubique deuitauimus. Ergo ut ſemel dicamus, ulcus uirulentum eſt, in quo uirus, hoc eſt, tenue quoddam, ac liquidum excrementum, quod ſaniem propriè Latinis appellari diximus, citra eroſionem abundat. Alio nomine ſanioſum dicitur. Vlcus, quod ſua malignitate ſiue malitia, parti quam iam occupauit, erodendo, atque interdùm eſcharam (quam acris mordáxque ſuccus ad ipſum confluens excitat) gignendo, maius atque amplius indies efficitur, corroſiuum, ſiue arrodens nominatur. Quòd ſi eius malitia adeò creſcat, ut non modò ulceratas atque corruptas carnes, ſed etiam ſanas abſumat, depopuletúrque, ulcus iam depaſcens appellabitur. Græci omnes medici νομὴν hunc affectum, Galeno etiam teſte, nominant, propterea quòd pergere paſcendo id uitium ab ægris particulis ad eas, quæ integræ ſint, ſoleat, atque harum ſemper aliquid ægris adijcere. Cuius ſpecies eſt phagedæna, ambulatiuum ulcus appellant, quod huc, atque illuc ſerpendo, cutim, ac ſubiectam carnem, ſed extimam tantùm ac ſuperficialem, depaſcitur, ac rodit. Nunq̃ enim eiuſmodi ulcus in penitiora penetrat: quò fit, ut ulcus in ſummo reſidens, minimè autem profundum, dici meritò debeat. Vlcus ſordidum eſt Galeno, quod craſſiore illo, ac uiſcoſo ſcatet recremento, quod ſordem appellauimus, Græci rhyparon uocant. Recentiores uerò aliter definiunt, nempe quòd cruſtas aliquas habet craſſas, ſeu (ut loquuntur) groſſas, aut carnem aliquam mollem, craſſam, & ſuperfluam. Vlcus putre ſiue putridum dicitur, ex quo uapor aliquis graueolens, ſeu (ut aiunt) fumus quidam fœtidus, & cadaueroſus expirat, atque attollitur, perſimilis illi qui à putreſcentibus ac corruptis iam carnibus effertur: habétque ſemper annexam ſibi ſordities, atque extraneam caliditatem cum humiditate ſuperflua, & plærunque febrem. Hoc à ſordido differre uolunt ſola malitiæ, ac fraudulentiæ intentione. Cauernoſum ulcus appellant, cuius orificium ſtrictum eſt, atque anguſtum: profunditas uerò latior, & ſenſum effugiens, ſiue occulta, multóſque anfractus habet, & cuniculos, ſiue uias hinc indè diſcurrentes, citra tamen calloſitatem & duritiem. Sunt qui & appoſito nomine cuniculoſum ipſum appellant. Fiſtuloſum ulcus à nuper deſcripto cuniculo ſeu cauernoſo ulce-

re

Vlcus uirulentum.
Vlcus corroſiuũ, ſiue arrodens.
Vlcus depaſcens.
Nome.
Phagedæna
Vlcus ſordidum.
Lãfrancus ſic diffinit.
Vlcus putridum.
Vlcus cuniculoſum.
Vlc⁹ fiſtuloſum.

cere non differt, niſi quòd meatus illos anfractuoſos & ſinuoſos, calloſos habet, & duros. Vlcus canceroſum, eſt uiſu horrendum, fœtidum, labra habens dura, craſſa, tumida, atque inuerſa: colore inter rubrum, & nigrum medio, utpote fuſco, aut liuido: adhæc circa locum ulceratum uenæ quædam liuidæ apparent, exaltatæ, & turgidæ, craſſo, & nigriore ſanguine plenæ. Vlcus dyſcraton, ſiue ut uulgò dicunt, dyſcraſiatum, eſt in quo quædam δυσκρασία, id eſt, intemperies, ſeu mala quædam qualitas præter naturam dominatur, ut caliditas immoderata, uel frigiditas, aut humiditas, uel ſiccitas, aut plures ex illis ſimul. Nominatur autem propriè nobis ulcus cum intemperie. Vlcus crucians ſiue doloroſum appellatur, quod laborantem atrociter moleſtat, ſeu (ut ait Guido à Cauliaco) in quo ſenſibilitas rei contrariæ reperitur, Græcè ἕλκος ὀδυνηρόν dici poteſt. Vlcus rheumaticum Galeno dicitur, quod a liundè fluentes humores uetant ſaneſcere. Verminoſum ulcus appellatur, quod uermibus ſcatet, ſcolecôdes à Græcis dicitur: horum autem uermium opifex eſt putredo. Vlcera cacoëthe Galeno, & Græcis omnibus medicis dicuntur, quæ omnibus ritè decentérque factis, ſæpe tamen non poſſunt, quòd ſcilicet in particula laborante ſiue ulcerata, malignitas quædam adſit cæca, & nobis occulta, ea ſanari prohibens. Nos eiuſmodi ulcera, maligna, contumacia, rebelliáue, atque ægrè ſanabilia dicimus. Varicoſum ulcus nominatur, quandò in partibus eo ſuperioribus uenæ quælam eminentes, ac turgidæ, craſſo ſanguine, aut uitioſo aliquo ſucco oppletæ apparent (uarices uocant) quæ ipſi ulceri fluxionem ſuppeditant, atque ita ſaneſcere ipſum uetant. Apoſtematoſum ulcus nuncupant, in quo tumor aliquis præter naturam eſt, ab humore quopiã procreatus, ut phlegmone, aut eryſipelas. Cætera ſatis ex præcedentibus innoteſcunt.

Vlcus canceroſum.

Vlcus δύσκρατον. i. intẽperatũ.

Vlcus crucians.

ἕλκος ὀδυνηρόν.

Vlcus rheumaticũ.

Vlcus uerminoſum.

Vlcus cacoëthes.

Varicoſum ulcus.

Vlcus apoſtematoſũ.

Vlcerum prognoſtica, ſiue iudicia. Cap. V.

VLcera (inquit Hippocrates) quæcunque annua ſunt, aut etiam diuturniora, os abſcedere eſt neceſſarium, & cicatrices cauas fieri. Quæcunque ulcera (ut Galenus ait in commentario huius aphoriſmi) longo tempore manent, uel cicatrice nullo modo adueniente, uel ſi facta ſit, rurſus reſoluta (nihil uidelicet medicis in curatione delinquentibus) cacoëthiam, hoc eſt, malignitatem quandam oſtendunt, difficultérque ad ſanitatem perducuntur. Id autem accidit, uel propter influxum uitioſorum humorum, uel pro-

Aph. 45. lib. 6. Vlcera annua, & diuturna.

pter diſpoſitionem in membro ex humoribus in id confluentibus, proceſſu temporis contractam, uel ob aliquem uitiati ac corrupti inibi oſſis affectum. Vlcus omne (ut ſcribit Auicennas) quod, poſteaquàm carne impletum eſt, & cicatrix illi induci debet, ſubitò renouatur, periculum eſt, ne in fiſtulam degeneret. Eidem mala ulcera iudicantur dura, & quæ ad uirorem aut nigriciem uergunt. Eiuſmodi enim color natiui particulæ ulceratæ caloris extinctionem inſinuat. Vlcera (ut idē Arabs ait) frigida, albedine & mollitie dignoſcuntur, & præſertim ſi calidis iuuentur. Calida uerò ad ruborem declinant, & frigidis gaudent, ſed & tactu etiam diſcernuntur. Itaque horum utraque agnoſces, partim colore, partim tactu, partim (ut Galenus inquit) laborantis ſenſu. Quippe aliàs uſtionem ſentire ſe fatentur, aliàs manifeſtum frigus, in particula: gaudentque uel frigidis medicamentis, uel calidis, & alijs quidem rubor leuis inſidet, alijs color magis albicat. Siccis quoque atque humidis ulceribus ſuæ ſunt propriæ notæ, quæ tactu maximè deprehenduntur. Hic nanque ſenſus ſicca atque humida, & quæ eas qualitates conſequuntur, duritiem ſcilicet & mollitiem, aſperitatem & lenitatem, experitur. Adhæc ſi maligna ulcera totius corporis colorem repræſentent, ut uerbi cauſa, candidum, purpureum, aut fuſcum, uel citrinum, uitium aliquod effatu dignum hepati, atque inſignem ſanguini, ab ipſo iocinore procreato, corruptelam ineſſe ſignificatur.

Gen. 4. a. 1.

Vlcus ſe renouans.

Vlcera dura, uiridia, aut nigra.

Vlcera frigida.

Calida ulcera.

Li. 4. the.

Vlcera totius corporis colorem repræſentantia.

Aliud. Vlcera, quæ alijs morbis ſuccedunt, ægrè ſanabilia ſunt.

Aliud. Vlcera circūglabra praua ſunt, hoc eſt, cùm uideris pilos à circūiacentibus ulceri locis defluere, uel cutem ſquammulas è ſumma parte dimittere, ſcito, ac iudicato tale ulcus prauum eſſe. Prauos nanque humores, ſeu malignos ſuccos ad partem ulceratam tunc confluere ſimile ueri eſt, qui uehementer ulcus erodunt. Itaque eiuſmodi maligni ſucci, neque radiculas pilorum omnes abolere queunt, neque exulceratum locum ad cicatricem perduci, ac ſolideſcere patiuntur. Cùm autem pili qui priùs deciderant, in ijs quæ circiter ulcus ſunt ſedibus renaſcuntur, bono indicio eſſe ſolent.

Apho. 4. lib. 5.

Vlcera circūglabra.

Aliud. Vlcus (ut primo libro prædictionum ſcribit Hippocrat.) ſiue antè extitit, ſiue in ipſo morbo natum eſt, diligenter obſeruari debet. Nam ſi moriturus æger eſt, aridum & liuens, aut pallidum ante mortem apparet.

Vlcus ante morbū, uel in ipſo morbo enaſcēs.

Aliud. Vlcera, in quibus poſt longam ſaniei, ſeu uirulentiæ emiſſionem pus laudabile apparere incipit, bonum nobis portendunt. Siquidem & naturæ robur, & materiæ obedientia notatur. Quæ autem ſint puris

ris optimi ac laudabilis notæ, in præcedentibus dictum eſt.

Aliud. Vlcera, quæ in extremitatibus muſculorum dorſi, uel tibiarum, aut brachiorum ſunt, periculo non uacant Auicennæ. Valde etiam periculoſa eidem cenſentur, quæ interna membra occupant, aut ad ea uſque perueniunt. Vlcera in quibus partibus periculoſa.

Aliud. Quibus ulceribus ante abſolutam deterſionem, ſarcotica, id eſt, carnem producentia medicamenta adminiſtrantur, mala, ac ſuperflua caro in illis generatur. Quæcunque uerò probè & opportunè expurgata ſemper ad ſiccius promouentur, his caro (inquit Hippocrates) magna ex parte non ſupercreſcit, niſi ſi contuſa ſunt. Vide Hipp. apud Gale. lib. 4. ther.

Aliud. Vlcera in orbem circunducta, hoc eſt, rotunda, peſſima (ut de uulneribus dictum eſt) eſſe ſolent, ac tardè magnóque negocio ad cicatricem perducuntur. Proindè pueros ſubindè in periculum trahunt. Itaque in eis conſilium chirurgorum eſt, ut cauterio figura illa orbicularis aboleatur, & lineæ modo (quantùm ſaltem fieri poterit) in rectum diducantur. Vlcera rotũda.

Aliud. Artuum ſiue extremarum partium ulcera, ut pedum, aut manuum, ſæpenumerò phlegmonas, aut alios eiuſmodi præter naturam tumores in adenoſis partibus, ſeu glandulis (quas Græci adenas uocant) accerſunt, atque excitant, præſertim uerò ubi corpus plethora laborat. Hæ enim partes, quoniam imbecillæ ſunt, & raræ, facilè tentantur fluxionibus. Sic igitur fit, ut & propter ulcus, quod in manus, aut pedis digito ſit, eiuſmodi glandulæ in inguinibus, & alis, tum intumeſcant, tum phlegmone occupentur, cùm defluentem ad ultimos artus ſanguinem, aut alios quoſuis humores, priores acceperint, & exceptos, ob eam quam habent laxitatem, & raritatem retinuerint. Artuum ulcera.

Quinetiam in collo, & ſecùs aures ſæpenumerò glandulæ his quibus in collo, capite, uel aliqua uicina parte ulcus eſt natum, intumeſcunt. Nominant autem (inquit Galenus) ipſos adenas, cùm ſic intumuerint, bubones. Colli & capitis ulcera. Bubones.

Aliud. Cùm medicamẽta ulceribus adhibita cõferunt, aut ſaltem nihil nocent, argumentum eſt ea ritè ac decenter adminiſtrata eſſe. Cùm uerò noxæ aliquid adferunt, & ulcus humidius reddunt aut ſiccius, calidius aut frigidius, indicium eſt, ea non eſſe præſenti morbo idonea. Erúntque magis deſiccantia, aut humectantia, calidiora aut frigidiora, prout res poſtulabit, deinceps admouenda. Quòd ſi ex admotis ulcus etiam mollius redditur, adſtrictoria ſtatim erunt adijcienda. Si auxilia profuerit, aut nocuerint.

Cæterùm ſi ulcus eroditur, & profundius efficitur, ſedulò aduertendũ eſt, num id ex acrium ſuccorum uitio, & ulceris malignitate accidat, an Si ulcus erodatur.

ex facultate medicamentorum (quæ admoneutur) pluſquàm oportet detergentium. Hæc enim ulceratam particulam arrodendo, multam ſaniem procreant, & ulcus humidius reddunt. Quò fit, ut imperitos chirurgos atque improuidos ſæpenumerò falli contingat, qui dum putant ulceris cacoëthia, id eſt, malignitate, eiuſmodi ſanioſam colluuiem, ſeu (ut ipſi loquuntur) uirulentiam, atque ſuperfluam humiditatem prouenire: quæ adhuc efficacius detergunt, properant admouere, atque ita profundius, & magis cauum ulcus, imò uerò & calidius, ac etiam interdùm phlegmonôdes efficiunt. Hinc eroſionis, ac mordicationis ſenſum laborantes perſentiſcunt. Sed hæc non minùs ad curandi rationem pertinere uidentur, quàm ad ſigna prognoſtica, de quibus nunc agimus. Porrò inter cætera quæ magis officium ulceribus, uentus eſt (ut Guido à Cauliaco annotauit) meridionalis, atque aëris ambientis humiditas caliditati adiuncta. Hæc enim ulceribus putredinem inuehunt: ſiquidem quæ putrefiunt omnia, ex calido & humido ſic afficiuntur. Hinc fit (inquit) ut tibiarum ulcera Auinione, ægriùs ac difficiliùs multo curentur, quàm Pariſiis. Contrà uerò accidit in capitis uulneribus. Cæterùm quemadmodùm plurima uulnerum iudicia, ulceribus etiam communia ſunt, ita & ulcerum, de quibus modò diſſerimus, iudicia permulta uulneribus adaptari poſſunt. Quocirca quæ in iudicijs uulnerum dicta ſunt, ulceribus conuenientia, huc reuocanda erunt.

Nota.

Ventus meridionalis officit ulceribus.

De curatione vlcerum in vniuerſum. Cap. VI.

IN curatione ulcerum duo nobis ſpectanda proponũtur, nempe ipſius ulceris, quà ulcus eſt, contemplatio, & ulceris cum ſua cauſa, aut ſymptomate aliquo, aut alia quauis diſpoſitione complicati, aut etiam hanc uel illam particulam occupantis conſideratio. Omne enim ulcus (ut ſuprà diximus) aut ſolum eſt, ipſúmque per ſe (hoc eſt, nullo alio affectu, uel cum eo ſimul inuadente, uel ipſum præcedente, aut ſequente) aut cum alio quopiam uno, multiſue conſiſtit. Quorum alij non modò ſtatim ab initio ulcus excitarunt, ſed etiam nunc maius efficiunt, alij eius ſine quo non, ut ad curandi opus, rationem obtinent. Cæterùm ulcus omne, quà ulcus eſt, unam communem habet curandi indicationem. Siquidem (ut Galenus ait) ulceris, quà ulcus eſt, ſanatio, mediocris ſiccatio eſt. Hæc autem indicatio communis etiam eſt uulneribus curandis, quà ſaltem uulnera ſunt, id eſt, plagæ uulnerando acceptæ. Sed hoc diſcrimen habent, quòd hæc minori, illa (quòd humidio-

Duo ſpectanda in curatione ulcerum.

Vlceris ſanatio, mediocris ſiccatio eſt.

humidiora ſint) maiori deſiccatione indigent. Verum enimuerò ulceris, quod cum alio affectu coniunctum eſt, cuius uidelicet præcedere curationem oportet, eius curatio, ut ulceris ſolius non eſt: ſed prior illius affectus, ſecunda ulceris. Nam ſiue phlegmone quæpiam, ſiue eryſipelas, ſiue tumor is, qui œdema dicitur, ſiue nigritia, ſiue ecchymoſis ulceratam carnem obſederit, primùm molienda eius curatio eſt. Quòd ſi ualëtior aliqua intemperies (quæ imbecillitatis affectæ partis cauſa eſſe ſolet) exulceratæ carni adſit, huic nimirùm primo medendum erit. Vbi autem intemperiei affectum iam ſanaueris, exulcerationis poſteà affectum ſanabis. Ita quoque & uarices, qui ſæpe ſupra exulceratum locum ſunt, priùs ſanabimus, ut deindè mox ulcus ſanemus. Cæterùm nulla harum curationum (inquit Galenus) ipſius eſt ulceris, ſed alterius cuiuſquam affectus, qui ulcus uel gignit, uel certè fouet. Porrò duplex in eiuſmodi cum ulcere complicatis diſpoſitionibus conſilium eſt ipſi Galeno libro quarto methodi medendi: nempe ut uel eiuſmodi affectus è corpore prorſus eximas, uel incommodum quod inferunt, uincas. Verùm hoc (inquit) ubi exiguus planè affectus eſt, fieri licet, ubi magnus eſt, duci ad cicatricem ulcus priùs non poterit, quàm illi affectui remedium attuleris. Talium igitur ulcerum quæ ſic cum aliis affectibus complexa ſunt, quatuor ſunt particulares curandi intentiones.

In tollendis diſpoſitionibus cũ ulcere cõplicatis, duplex cõſilium eſſe.

Particul. in curãdis ulcerib⁹ ſcopi.

Prima uitæ rationem, ſanandis eiuſmodi ulceribus accommodam, præſcribit. 1.

Secunda materiam antecedentem, auertit & uitercipit. 2.

Tertia ſymptomata ſiue accidentia, & diſpoſitiones, quæ cum ulceribus complicantur, corrigit, & ſummouet. 3.

Quarta correctis, & profligatis iis diſpoſitionibus, quibus ulcera complicantur, ea more uulnerum concauorum ſanare præcipit. 4.

Cæterùm primam, & ſecundam intentionem aſſequimur, humores copia, aut praua qualitate noxios, quibus laborantis corpus ſcatet, quique in partem ulceratam influunt, tum corrigendo, tum uacuando, & auertendo, fluxionémque ipſam intercipiendo. Porrò auxilia quibus commodè ſuccorum abundantiam, & uitium tollimus, corrigimus, atque auertimus, ſunt, uenæ ſectio, purgatio, proba uictus ratio, cauterium, uomitio, & id genus alia. Fluxiones uerò intercipimus ligaturis, pfuſionibus, & epithematis: item unguentis ex bolo Armenia, atque aliis refrigerantibus, & adſtringentibus, de quibus in ſermone de tumoribus præter naturam, abundè dictum eſt. De iis autem ſic Galenus libro quarto methodi medendi, ubi maligni ſucci, & exulcerantis curationẽ

De primo, & ſecundo ſcopo.

„ pertractat, ad uerbũ ſcribit: Aequè uerò et mali ſucci, qui ad exulceratã
„ partẽ confluit, ut ulcerans quidẽ eſt, ſanatio eius hîc dicetur. Vt malignus
„ ſuccus eſt aut copia redũdans, in pprijs ipſorum locis tractabitur. Cùm
Si ſuccus qui influxit, nec copioſus ſit, nec malignus. „ ergo qui exulceratis partibus influit ſuccus, nec multo plus iuſto, nec mul
„ to deterior ſit, auerti hunc regeriq; conueniet, adſtrictis ſcilicet, refrige-
„ ratiſque ijs particulis, quæ ante exulceratam ſunt. Inchoanda quoque
„ deligatio eſt, à laborante ipſa particula, deducendáque uerſus ſanam,
„ ueluti in fracturis oſſium præcepit Hippocrates. Talis enim deliga-
„ tura meatus adſtrĩgit, per quos materia ad particulas ulceratas influit.
„ Sed & quæ ulceribus ipſis admouentur pharmaca, ſiccent ualentiùs o-
„ portet, quàm ea, quæ ſimplici admouentur ulceri. Quòd ſi ſiſti compeſci-
„ que medicamentis influxus nequeat, cauſa eius inueſtiganda eſt, atque
Si fluxio fiat ob partis imbecillitatem. „ hæc priùs adimenda. Ac ſi quidem ob partis, quæ fluxum recipit, im-
„ becillitatem id fiat, huic nimirum medendum eſt: fuerit autem ulceratæ
„ quoque partis propria quædam curatio. Sin propter ſanguinis copiam,
„ uicioſúmue ſuccũ, uel corporis totius, uel alicuius ſuprapoſitarum par-
„ tium, illa ſcilicet priùs ſunt corrigenda. At imbecillitas quidem partis,
„ propter quam plus iuſto ſuccorum illi influit, omninò ab intemperie
„ prouenit, non tamen ab omni. Eóque fit, ut exulcerata caro nonnunquàm
„ intemperata tantùm ſit, non autem imbecilla, nonnunquàm utrunque, &
Valetior ītẽperies, cauſa eſt imbecillitatis partis. intemperata, & imbecilla. Quippe imbecillitatis affectæ partis, ualen-
tior intemperies cauſa eſt. Quomodò autem curari debeat illa dyſ-
craſia, ſiue intemperies, mox in ſequentibus dicemus. Cæterùm qua ra-
tione, quibúſue modis fluxiones, quæ uel à toto corpore, uel à membro
quopiam in particulam ulcere laborantem irruunt, intercipere, atque a-
uertere oporteat, ſuprà in tractatu de tumoribus præter naturam
abundè dictum eſt. Quare ne eadem identidem ubique repetamus, ex
eo loco, quæ ad rem præſentem attinent requirenda erunt.

Tertius ſcopus. Tertia intentio, quæ ſymptomata, & diſpoſitiones, quæ cum ulcere
complicantur, corrigit, ac ſummouet: perficitur prout cuiuſque ſympto-
matis, & affectus cum ulcere complicati natura requirit, ac deſiderat.
Li. 4. met. med. Porrò (ſi Galenum ſequimur) tradenda eſt medendi methodus, non o-
mnium ſimul, ſed cuiuſque ſeorſum. Itaque Galenum ipſum imitantes,
exordium ſumamus ab intemperie, quæ cum ulcere complicatur, cor-
rigenda, de qua ad hunc modum ſcribit libro de morbis methodo curan-
dis quarto.

Vlceris dyſcrati, id eſt, cum intemperie iuncti, curatio. Cap. VII.

Carnis

Arnis intemperies, ſi ſqualens ſiccáque uidetur, aqua tem- Squalētis ac ſiccæ ī
perata fouens humectánſque corriges. Quoties autem eo tēperiēi
remedio uteris, eſto tibi perfuſionis humectationiſque me- curatio.
ta, ut cùm primùm rubeſcit, attollitúrque particulæ moles,
tum deſinas. Quippe ſi ultrà perfundas, quod attraxiſti, id euocabis.
Itaque nihil profeceris. Quinetiam medicamentorum humectandi fa-
cultas plenior eſto, quàm ut in ſana carne præceptum eſt. Si uerò hu- Humidi-
midior, quàm pro naturali habitu caro fuerit, contraria ratio inenda oris intè
eſt: ac medicamentorum facultas ad ſiccius transferenda: aqua uerò nul periet cu
latenùs admouenda. Imò ſi lauandum ulcus uidetur, uinum, aut poſca, ratio.
aut decoctum auſteræ cuiuſquam herbæ præparandum. Eodem modo
& calidiorem quàm par eſt carnis habitum refrigerabis, & frigidio-
rem calefacies. Agnoſces uerò (inquit) horum utrumque, partim colo- Caloris,
re, partim tactu, partim laborantis ſenſu. Quippe alias uſtionem ſenti- & frigo
re ſe fatentur, aliàs manifeſtum frigus in particula: gaudéntque uel fri ris notæ.
gidis medicamentis, uel calidis. Et alijs quidem rubor leuis inſidet, alijs
color magis albicat. Breuiter quæcunque partes ulceratæ per intem- Curatio
periem aliquam à naturali habitu receſſerunt, eorum ſanationem per fit per cō-
ea, quæ contraria uiribus ſunt, fieri omninò eſt neceſſe, calidam utique traria.
intemperiem (ut dictum eſt) refrigerando, ſiccam humectando, frigidā
calfaciendo, humidam ſiccando. Quòd ſi frigidior humidiórque locus
ſit, calfaciendo pariter ac ſiccando, & in alijs ad eundem modum, uin-
centem uidelicet qualitatem, contraria ſemper oppugnans. Atque ubi in-
temperiei affectum iam ſanaueris, deinde etiam exulcerationis affe-
ctum ſanabis. Non aliter planè nunc curata intemperie, quàm ſi citra
ulcus incidiſſet. Quo manifeſtum fit, non eſſe ulceris, ſed intemperiei
propriam omnem eiuſmodi curationem, quæ tamen ulceris ipſius ſana-
tionem omninò præcedere debet. Siquidem fieri non poteſt, ut in ulcere
uel carnis productio, uel ſinus impletio, uel agglutinatio, uel cicatricis
inductio, rectè unquàm cedat, niſi ſubiecta caro pro naturali modo ſe
habeat. Hæc autem rectè ſe habuerit, ſi (quod reliquis etiam omnibus Caro rectè
eſt commune) proprium temperamentum tueatur. Ergo ſi exulcerata ſe habet, ſi
caro iuſto calidior, frigidióruе effecta fuerit, utique medelam exigit, pprium ſer
quæ in tantum calfaciat, refrigeretue, in quantum ipſa à naturali ſuo ba uet tempe
bitu receſſit. Subiectæ nanque carnis affectus, cauſæ rationem obtinet ramentum.
ad id quod efficitur. Quippe ex hac (ut Galenus inquit) & per hanc, tū
quæ diſſident, glutinantur, tum quæ cana ſunt, carne implentur. Itaque
temperatam eſſe ſubiectam carnem, ad ulcera tum glutinanda, tum car-

ne im-

Vlcus crucians.

ne implenda prorſus oportet. Dolor quoque unum eſt, ex ſymptomatis, quæ ulcerum curationem remorantur, & impediunt. Quocirca ſi uehemens aliquis dolor ulceratæ parti incidat, protinùs hic aut tollendus erit, aut ſaltem quoad licebit, demulcendus. Dolor enim præſertim uehemens, uires proſternit, & fluxionem proritat: proindè & ulceris ipſius curationem prohibet. Itaque tametſi quæ ulceratis particulis ad doloris ſedationem admouentur, ulceri aduerſentur, quoniam tamen ex doloris uehementia plærunque imminet laboranti periculum, & propriam ulceris curationem moratur, neglecto ad tempus ulcere, dolori tanquàm urgentiori primùm, maximéque intendendum eſt. In complicatis nanque affectibus, id ex quo primum maximéque homini imminet periculũ, quôdque magis accelerat, & urget, primùm curari, atque auferri debet. Cæterùm quibus auxilijs dolor mitigari, aut ſedari poſſit, in duobus libris ſuperioribus copioſè ſatis dictum eſt, dicetúrque iterùm in antidotario.

In complicatis affectib⁹ orgẽtiori ſemp primũ ſuccurrẽdũ eſt

De vlcere cum tumore particulæ. Cap. VIII.

AEterùm ad eundem quoque modum, & partium, quæ cum aliquo præter naturam tumore exulceratæ ſunt, earum priùs ſanandus tumor eſt: fieri enim non poteſt, ut ulcus tumore manente, ad ſanitatem perducatur. Quocircà omni ſtudio laborandum eſt, ne phlegmone, aut quiuis alius tumor in loco ulcerato excitetur: quòd ſi id prohiberi non poſſit, remedijs dicatis curari debebit, ulcere tamen interim non neglecto. Quæ autem omnis præter naturam tumoris curandi ratio ſit, in præcedentibus fuſiſsimè dictum eſt.

Lib.1.

Nunc quantum eius rei coniunctum cum ulcerum curatione eſt, obiter, ac compendioſè tractabitur. Compendiaria igitur obſeſſarum phlegmone partium ulceratarum curatio, per id genus præſidia obitur Galeno, quæ ſanè uel affectum prorſus ſummouent: uel ſi quid exiguum, quod ſuppuret reliquerit, alterum medicamentum acre, quod educere pus queat, requiritur: uel ſi tenuis circumpoſita cutis ſit, uelíſque celeriùs explicatum ægrum, ſectio petenda eſt. Quod ſi cataplaſmate ex hordei farina, aqua & oleo, quod calfaciat humectétque, illinantur partes ulceratæ, quæ phlegmone infeſtantur, lenientis (ut Galenus ait) tractatio eſt, non medentis, & contra malum pugnantis. Id enim non ex prima ratione fit, hoc eſt, ut remedium affectus, ſed ut ſymptomatis mitigatio. Siquidem ipſius phlegmones remedia (ut autor eſt Hippocrates) ſiccio-

Phlegmono ſi ulceris ratio.

Li. 4. met.

rum

rum ſunt uirium. Itaque ſi inflammatio ulcera aut etiam uulnera adhuc recentia obſideat, uſus eſt medicamentorum quæ deſiccant, atque inflammationem arcent. Ex liquidis igitur (inquit Paulus) laudatiſſimum eſt uinum, deindè poſca. Si uerò ſordes quoque cum inflammatione occupent, mulſa diluta conuenit. Ex ijs autem medicamentis, quæ ſiccandi poteſtate prædita ſunt, cõmuniter quidem conferent, inflammationibus dicata, quæ in tractatu de tumoribus præter naturam deſcripta ſunt, ſi oleoſa, acriáque excipias: priuatim autem hoc proficit. Malum punicum dulce, uino mcoctum tritúmque illinitur. Mirabile nimirùm, & (ut Paulus ait) multiplici uſu commendatum eſt remedium: facit enim tum ad capitis, tum naturalium ulcera, tum etiam ea, quæ toto corpore excruciant, oculorúmque inflammationes. At ſi eryſipelas, aut eiuſmodi quippiam ulceri acceſſerit, ijs utendum erit præſidijs, quæ aduerſus illa ſuperiùs ſcripta ſunt.

Si inflãmatio ulcera exerceat.
Vinum.
Poſca.
Malũ Punicũ dulce.

Vlceris contuſi curatio. Cap. IX.

CAleni ex Hippocratis teſtimonio ſentẽtia fuit, ulcera omnia, præter ea, quæ contuſa ſunt, ſiccari oportere. In ijs uerò quæ cum contuſione facta ſunt, quàm celerrimè pus mouendum eſſe. Siquidem neceſſe eſt carnes ſic contuſas putreſcere, ut noua tandem caro gignatur. Pus autem ipſum ſiue carnis contuſæ ſuppuratio, cum aliqua putreſcentia fit. Porrò quæ putrefiunt omnia, ex calido, & humido ſic afficiuntur. Proindè fit, ut ea quæ calefaciunt & humectant, omnibus his affectibus, quibus moueri pus expedit, ſemper admoueamus. Cataplaſmata igitur ex hordei farina, aqua, & oleo: item quæ ex pane, aqua, & oleo, componuntur, conueniunt. Prætereà fomentum multæ calidæ aquæ, & tetrapharmacum (ceu quæ calfaciant, humectẽtq;, & pus quàm celerrimè moueant) ulceribus contuſis rectè adhibentur. Sed præſtat ipſius Hippocratis uerba ſubijcere:

Vlcera cum cõtuſione facta, ad ſuppurationẽ ducenda.
Cataplaſmata ſuppuratoria.
Aqua calida.
Tetrapharmacum.

„ Quodcunque ulcus (inquit) cæſim percuſſimue acuto telo eſt diuiſum, medicamentum enhæmũ et ſiccans aliquod, quod ſuppurare uetet, admittit. Sin caro aliquo telo tum contuſa, tũ cæſa ſit, huic ita medendum eſt, „
ut quàm celerrimè ſuppuret. Nam & minùs phlegmone urgebitur, & „
neceſſe eſt carnes, quæ contuſæ cæſæque ſint, putrefactas, & in pus uer- „
ſas liquari, poſteà nouam carnem naſci. His itaque uerbis apertè nos „
docet Hippocrates ulcera quæ ſine contuſione accepta ſunt, quàm maximè ſiccare. His uerò quæ cum contuſione facta ſunt, quàm primùm pus

Hipp.

mouere

mouere. Porrò eorum quæ puri mouendo aptißima ſunt, materiam in ſermone de tumoribus præter naturam, & in antidotario copioſam reperies. Sed & de ijs etiam ſuprà tractauimus, ubi de uulneribus contuſis meminimus.

De carne in vlceribus ſupercreſcente, quam Græci hyperſarcoſin nominat, tollenda. Cap. X.

Diphryges

Squāma æris.

Echini.

Aſij lapidis flos.

Sales concremati.

Medicamẽtum ad maximas hyperſarcoſes.

Fauſtini paſtilli.

Vnguẽtum Aegyptiac.

SAro in ulceribus ſuprà quàm par eſt, excreſcens, medicamẽtis exiccantibus tollitur. E quorum ſanè numerò ſunt diphryges (cuius tria ſunt genera apud Dioſcoridem) inſperſum, aut cataplaſmatis inſtar inductum, ſquamma æris, omniáq; teſtacea combuſta. Item echini, hoc eſt, erinacei utrique tam terrẽſtres quàm marini, cum toto corpore concremati. Verùm hæc non admodùm eximiè, ſed modicè ac mediocriter duntaxat purgant, & ſupercreſcentia compeſcunt. Aſiæ uerò petræ flos longè ualidiùs id muneris obit, atque hoc magis adhuc ſori, chryſocolla, chalcitis, miſy. Quæ ſi combuſta fuerint, minùs uellicant, ac rodunt. Item æris flos, qui chalcanthos Græcis uocatur. Cæterùm ærugo his adhuc omnibus ualentior eſt. Sales aũt concremati carnes cum humore flaccidas conſumunt, ac liquefaciunt. Sic etiam linamenta è panniculo diſcerpta, muria acriori imbuta, & denuò reſiccata atque impoſita, mediocres carnium ſupercreſcentias liquefaciunt, atque exedunt. At maximas carnium excreſcentias aduſque penitiora cruſtis obducunt, Fauſtiani paſtilli, triti atque inſperſi. Item medicamentum quod recipit calcis uiuæ, id eſt, aqua non extinctæ, ſquammæ æris, & mannæ (quæ mica eſt thuris, concuſſù ſeu attritu eliſa) pares modos, hoc eſt, partes æquales. Porrò Fauſtini paſtilli, id eſt, trochiſci, Paulo Aeginetæ libro ſeptimo ad hunc modum deſcribuntur: Auripigmenti drachmæ duodecim, ſandarachæ (quæ rubrum eſt auripigmentum, & à natura magis excoctum) drachmæ ſex, calcis uiuæ drachmæ octo, chartæ combuſtæ drachma: myrti baccarum ſucco uel decocto excepta in paſtillos redigito. Sed de eiuſmodi ſupercreſcentem carnem compeſcentibus, & abſumentibus iterùm in antidotario dicemus. Ad hanc autem intentionem in communi uſu eſt unguentum Aegyptiacum nominatum. Cæterùm dum hæc cauſtica atque erodentia medicamenta admouentur, partes quæ in circuitu ſunt, refrigerantia deſiderant, ne ſcilicet in partem ulceratam ex roſione, calore, & dolore, humorum fluxio aduocetur. Deindè cruſtæ ulceribus inductæ reſoluendæ

dæ erunt, & ulcus ad ſanitatem perducendum.

Vlceris cum duritie, & decolorãtione labrorum curatio. Cap. XI.

VM labra tantùm ulceris decolorata duráue pluſculum fuerint, excidenda ea ſunt (Galeno autore) ad ſanam uſque carnem. Auicennas autem decolorata eiuſmodi, duráque ulceris labra ſcarificanda eſſe præcipit, & ab eis ſanguinem, admotis etiam cucurbitulis, extrahendum. Sanguine autem, quod ſatis eſſe uidebitur, educto, ſpongiam ſiccam, hoc eſt, nullo liquore madentem, ac poſteà etiam medicamenta quædam reſiccantia ſuperimponere iubet. Sed & de ijs ante Auicennam ad eundem ferè modum ſcripſerat Hippocrates: qui certè nihil omninò eorum, quibus ad ulcerum curationem eſt opus, omiſiſſe uidetur. Hic enim non ſolùm ulcerum (ipſo etiam Galeno teſte) quæ citra alium affectum conſiſtunt, ſanandorum ratione inuenit (ut quæ in ſiccando, ut ſuprà dictum eſt, conſiſtat) ſed etiam priuatim per ſpecies affectuum cuiuſque. Siquidem uel liuidum, uel nigrũ, uel rubrum conſpicitur, ſcarificando, ac ſanguinem emittendo. Mox ſpongiam ſtatim ſicciorem magis, quàm humidiorem, hoc eſt, ſiccam potiùs quàm humefactam, ſuperimponendo. Poſt hæc uerò etiam ſiccantia remedia applicando. Ab his, ſi res poſtulet, rurſus ſanguinem auferendo. Ac mox iterũ talia peragẽdo, donec parta omninò ſanitas ſit. Quod ſi labra ulceris dura calloſáque appareant, etiam ea excidendo. Cùm uerò ampliùs progreſſus huiuſmodi affectus eſt, deliberatio incidit, excidendúmne omne id ſit, quod præter naturam uiſitur, an ſpatio potiùs curandum: procúlque dubio eſt, ægri animum hoc caſu conſulendum eſſe. Aliqui enim longiori tempore curari citra ſectionem malunt: aliqui quiduis ſubire, dummodò citiùs ſanentur, ſunt parati. Cæterùm excidere (ut poſteà Galenus ait) res eſt promptiſſima: maius uerò quippiam atque artis egens medicamentis, ſanare.

Fxã io Galen. Scarificatio Auic. Hippocr. Lib. 4. the.

Vàricum cum vlcere complicatarum curatio. Cap. XII.

VAricum ſuperiacentium, hoc eſt, ſupra exulceratum locum exiſtentium occaſione, contumax ad ſanandum ſæpe ulcus redditur: quippe quòd ex his humiditas aliqua ad exulceratas partes defluat. Eas igitur (ut ſuprà dictum eſt) priùs

ſanare oportet,ut deindè mox ulcus ſanemus. Igitur uarices,qui cruribus & alibi quàm in teſticulis prouenire ſolent, hoc modo ex Hippocratis,atque Aëtij Antiochẽi,& Pauli Aegimetæ ſententia curabis. Primò in cute, uaſi elato ſeu uenæ in faſtigium tumefactæ, hoc eſt, uarici, adiacente, ſimplicem ſectionem ſcalpello per longitudinem facito. Ita leuiter tamen,ut uenam ſic in uerticem elatam non diuidas,& ſcalpello penetres,ſed ſola cutis incidatur. Ducta ſic leuiter in cute ſectione, oras uulneris hamulis diducito, & membranulas, cultro ad ramicem aquoſum accommodo, ſenſim ac blandè excoriato. Mox uena detecta nudatáue,& à circumiacentibus corporibus undiquaque explicata, eam uolſella aut obtuſo hamo attrahito, ac ſuſpenſam teneto. Deindè acum duplex linum,ſeu lineum funiculum duplicem,trahentem ſubijcito, ſubtérue tranſmittito:liníque habenulam amputato,ſic ut duo funiculi efficiantur. Tum uenam dilatatam,non aliter quàm in phlebotomia fieri ſolet, ſcalpello per medium diuidito, ac ſanguinis quantum ſatis eſſe uidebitur, detrahito. Deindè altero funiculo ſuperiorem uaſis partem conſtringito,cruréque eleuato,ſanguinem qui in ipſo apparebit, manuum expreſſu euacuato. Quod ubi factum fuerit, uenam ab altera parte lino altero rurſus deuincito. Partem uerò illam uenæ,quæ inter duo uincula eſt, uel ſtatim excindito, uel manere ſinito,uſque dum putrefacta ſua ſponte cum funibus excidat. Peracto opere, ſicca linamenta in plagam inſerenda ſunt, ſpleniúmque œnelæo,id eſt,uino cui oleum adiectum ſit,madens ſuper imponendum,ac deligandum eſt. Tum linamentis,medicamẽto aliquo ad pus faciendum apto, imbutis, curatio proſequenda erit,cætera quæ reliquis ulceribus communia ſunt,peragendo. Sed interim quies ægro imperanda,ſeruato accliui membri decubitu: ne ſi decliue iaceat,humores ad ipſum confluant. Pranſo autem magis quàm ieiuno & parùm pleno,potóque,item concalefacto,& (ut Paulus uoluit) loto,diéque calido potiùs quàm frigido, uenam eiuſmodi (ſi dictis Hippocratis auſcultes) ſecabis, atque ex ea ſanguinem mittes. Itaque ſi uarix crus(ut magna ex parte ſolet)occupauerit,loto priùs(ut præcepit Paulus) homine, funiculum ſuperiori femoris regioni circumdato, ac ut inambulet iubeto. Inde uenam ita repletam, atramento ſcriptorio, aut collyrio notato, iuxta eius ſitum trium digitorum ſpacio aut paulò ampliori interpoſito. Deindè reclinato ſeu decumbente ægro, cruſque ipſum extendente, alterum uinculum,paululùm ſupra genu injcito, ac mox quà atramẽti nota eſt, ſectionem facito,& reliquam curationem(ut ſuprà modò annotauimus)proſequitor. Quidam ex ueteribus, funibus ſiue uinculis minimè

Varicum curatio.

Si uarix crus occupauerit

nimè utebantur, ſed uenam uel ſtatim ubi à carne abſoluta erat, & undiquaque nudata, excindebant, uel ab imo etiam adhærentem uiolenter extrahendo abrumpebant. Alij uerò uſtionem eligentes, digitalibus interuallis innixa cauteria uaſis admouent. Atque ubi cruſta exciderit, ulcúſque incarnatum, & cicatrix inducta fuerit, locum roborant. Verùm omnium tutiſſimus chirurgiæ modus eſt, quem ſuprà diximus. Porrò uarices in imo uentris ſuborientes, conſimiliter tractandi ſunt. Illi item, qui in temporibus exiſtunt, ea ratione, quam in angiologia, ſiue exemptione uenarum docuit Aegineta, tolluntur. Atque hæc ſatis de uaricum curatione, quantùm ſaltem præſens locus poſtulat.

Euulſio uaricis. Vſtio. Li. 6. ca. 5.

De verminoſo vlcere. Cap. XIII.

VT uermes, qui ulceribus procreantur, arceas, primum quidē eſt, ut humiditatem putredinémque, eorum opificem, tollas. Itaque uermes in ulceribus exortos interficiunt, & putredinem ſimul auferunt, ſuccus & decoctum abſynthij, & agrimoniæ, uel centaurij, uel marrubij: calamenthi quoque officinarum (quod primum genus eſt calaminthæ Dioſco.) ſuccus, iugiter inſtillatus, atque id genus multa, quæ etiam aurium uermes enecant. Priuatim autem ad uermes qui ulcera infeſtant, commendatur Archigeni, et Theodoro medicamentum, quod recipit ceruſſæ & polij parem menſuram, cum pice liquida illitum. Conducit etiam magnopere linamentum ſaliua ieiuni hominis illitum, & applicatum. Hoc uermes etiam in auribus perimit, & concolores cicatrices reddit, ut teſtatur Actius.

Ad ulcerū uermes.

Vlceris dirupti, & cum oſsis corruptione complicati, curatio. Cap. XIIII.

VLcerum nonnulla cicatrice obducta, poſteà tempore haud ita multo interiecto, denuò inflammatione tentantur, rurſúmque ſua ſponte & per ſe rumpuntur, & à continuitate ſua diſcedunt. Oſſe enim quopiam ſubſtracto malè affecto, hoc eſt, uitiato, & corrupto, circundata ac ſuperiacens caro, ex facili quidem interdùm ad cicatricem ducitur, & ſana ex toto, ad unguémque reſtituta eſſe uidetur: uerùm curſu humoris ualido, paulatim ex oſſe in alto contabeſcente ac putreſcente, tum inflammatio, tum pus oboritur, quod cicatricem lacerat, ac diſrumpit. Cæterùm uitiati ac corrupti

Oſsis uitiati notæ.

oſsis ſigna hæc ſunt. Primò ferè pingue fit: deindè uel nigrum,uel carioſum. Quæ ſupernatis(ut Celſus ait) grauibus ulceribus, aut fiſtulis, biſque uel longa uetuſtate, uel etiam cancro occupatis,eueniunt. Quænã igitur horum ulcerũ curatio erit? certè eatenùs exiccare,quatenùs ſquãma affecti oſsis exciderit. Oſsium autem ſquammæ facilè excident, ſi agreſtis papaueris,& ſici arboris foliis cum polenta læuigatis,atque ex uino illitis ipſius oſsis ſinus concauos repleueris,aut alterci(quem Græci hyoſcyamum dicunt) ſemen,& atramentum ſutorium, pari pondere contrita impoſueris. Sed & peucedani radix contrita, ſubitò ſquammas oſsium remouet,ac ſeparat. Squammas etiam oſsium breui detrahit, & nouam probámque carnem deſuper renaſci facit,ſequens medicamẽtum, quod admirabile uocat Auicennas. Recipit autem ariſtolochiæ, ireos,myrrhæ,aloës,corticis plãtæ panacis[ex qua fit ſuccus opopanax dictus]canibil(quod apud Arabes genus eſt cuiuſdam terræ rubræ minutæ ut arena, & Galeno ac Græcis eretrias,ut puto,dicitur) aduſti, ſcoriæ æris, corticis pini, ſingulorum portiones æquas,melle omnia excipiantur,& fiat emplaſtrum. Oportet autem ante omnia uitiatum ac corruptum os nudare,ulcere exciſo, & ſi latiùs eius corrupti oſsis uitium eſt,quàm ulcus fuit, carnem ſubſecare,donec integrum os undiq; pateat. Oſſe autem ſic nudato,totum id quod pingue & corruptum eſt,cãdente ferramento ſemel iterúmue(ut res exigit) admoto adurendũ eſt, ut ex eo ſtatu ſecedat. Aut certè eradendum, donec iam aliquid cruoris oſtendatur, quæ integrioris & minimè corrupti oſsis nota eſt. Neque alia facienda ſunt,ubi caries nigriciésue in ſummo oſſe eſt. Siquidem id uel paulò diutiùs eodem ferramento adurendum, uel radendum eſt. Porrò qui radit hæc(inquit Celſus) audacter imprimere ferramentum debet, ut & agat aliquid, & maturiùs deſinat. Finis eſt, cum uel ad album os, uel ad ſolidum uentum eſt. Albo nanque ſimiri ex nigritie uitium, ſoliditate quadam ex carie manifeſtum eſt. Accedere etiam cruoris aliquid integro ſuprà dictum eſt. Cæterùm ſi caries altè deſcendit, per terebram urgenda crebris foraminibus eſt, quæ altitudine uitium æquent. Tum in ea foramina demittenda candentia ferramenta ſunt, donec inde ſiccum os ex toto fiat. Simul enim poſt hæc & reſoluetur ab inferiori oſſe quodcunque uitiatum eſt,& is ſinus carne replebitur,& humor,aut nullus poſtea feretur,aut mediocris. Sin autem nigrities eſt, aut ſi caries ad alteram quoque partem oſsis tranſit, oportet excidi. Sed quod totum uitiatum eſt, totum eximendum eſt. Si inferior pars integra eſt,eatenùs,hoc eſt, uſque ad ſubiectam partem

oſsis

Quæ oſsiũ ſquãmas excidere faciant.

Emplaſt Auic. Canibil. Terræ retrias.

Si caries altè deſcẽdit.

oſsis integram,quod corruptum eſt,excidi debet. Sunt qui poſt abraſionem cauterium admouendum eſſe ſuadent: nec immeritò ſanè. Nam ſi corruptela oſsis ex humiditate excrementoſa & ſuperuacanea, ipſius oſsis ſubſtantiã labefactãte ortũ habet(ut certè magna ex parte habet) nullũ præſentius aut tutius remediũ excogitari poteſt, ipſa uſtione,ſeu cauterio(ut uocant)actuali. Hoc.n.decenter admotũ,& citò,& tutò,in ſummo quoq; & in alto(nõ ſecùs quàm ignis ipſe actualis)deſiccat. Poſt uſtionem uerò ferro candẽte factam,roſaceum calidum infundunt. Guido autem à Cauliaco poſt uſtionem cauterio(ut dicunt) actuali (quod in hoc affectu magnoperè probat)decenter factam, roſaceum oui candido liquore permixtum,tribus primis diebus admouet: triduo uerò alio ſequente,loco albuminis,luteum oui(quod uitellum appellant) rhodino,id eſt,roſaceo commiſcet: Poſteà butyrum cum melle roſato infundit. Sed præſtat eius uerba hoc loco ſubijcere. Ego (inquit) poſt cauterium pono oleum roſarum cum albumine oui per tres dies, & per alios tres dies cum uitello oui, & poſteà butyrum cum melle roſato. Et deſuper continuò unum de mundificatiuis uſque ad oſsis exfoliationem,& pòſt cum puluere emplaſtri dicti,hoc eſt,ex Auicenna ſuperiùs commemorati, incarno,& conſolido.

Vſtio.

Quæ poſt uſtionem facienda.

De vlceribus dyſepulotis inueteratis,& iis,quæ cacoẽthe,& chironia dicunt. Cap. XV.

VLcera quæ ad cicatricem ægrè ducuntur, Galenus Græcè dyſepulota nominat. Quæ uerò ægrè ſanabilia,doloſa,malefica ſiue maligna,contumacia,rebelliáue dicimus,eidem,et Græcis alijs,qui de re medica ſcripſerunt,autoribus,cacoẽthe nominantur. Hæc quoque,præſertim inueterata, & quæ uix cicatricem recipiunt,alij chironia appellarunt,ceu Chirone medicinæ peritiſsimo indigentia: alij telephia, quòd in tali ulcere Telephus conſenuerit. Galenus libro quarto de compoſitione medicamentorum ſecundum genera,ulcera cacoẽthe diuidit penes uehementiæ differentiam in maligniora, ſeu præter modum malefica, & mediocria ſeu moderatiora: atque hæc quidem imbecillioribus, illa uerò ualentioribus remedijs curari præcipit. Illa autem non mediocriter, ſed maximè maligna contumaciáque ulcera, Aſclepiades atque alij ueteres (uel ipſo Galeno teſte) chironia propriè nominabant. Cæterùm Cornelio Celſo autore,chironium ulcus appellatur, quod & magnum eſt, & habet oras duas calloſas,

Dyſepulota Cacoẽthe.

Chironia.

Telephia.

Chironij ulceris deſcriptio ex Cornelio Cel.

loſas, tumentes: exit ſanies non multa, ſed tenuis. Odor malus, neque in ulcere, neque in eius tumore eſt. Nulla inflammatio, dolor modicus eſt, nihil ſerpit: ideóque nullum periculum adfert, ſed non facilè ſaneſcit. Interdùm tenuis cicatrix inducitur: deindè iterùm rumpitur, ulcúſque renouatur, & maximè in pedibus & cruribus. His ſimilia ſunt, quæ Auicennas ægrè ſanabilia, & occultam quandam nobis proprietatem habentia nominat. Hæc enim (inquit ille) neque putrida ſunt, neq; corroſiua, neque ambulatiua, ſed ſunt unius diſpoſitionis, plana, claudentia ſeſe, & recidiuantia ſæpe, hoc eſt, cicatricem frequenter ducentia, & rurſus ſæpè ſe aperientia & renouantia. Porrò multæ ac uariæ ſunt cauſæ, quæ eiuſmodi malignorum, contumacium, atque ægrè ſanabilium ulcerum coïtionem & ſanationem remorantur, & impediunt. Nempe fieri aliquandò poteſt, ut labra exulceratæ partis calloſa, & dura, cauſa ſint, quominùs ſaneſcat ulcus. Poteſt etiam cauſa eſſe intemperies, uel quæ citra tumorem præter naturam in ulceratis partibus conſiſtat, uel quæ cum tumore quidem aliquo coniuncta ſit. Poteſt & uarix ſuperiacens, uel lienis auctior & malè affectus, uel in iocinore uitium aliquod: præterque hæc omnia, imbecillitas ægræ partis, quæ (ut Galenus ait) ipſa quoq; intenſa quædam eſt intemperies, ulceris curationẽ in multos menſes protrahere. Quinetiam uitioſus in toto corpore ſuccus (cacochymiam uocant) maxima cauſarum eſt, quæ incommodare ulceribus poſſunt, & ea diuturna contumaciáque efficere. Vexat ſanè non minùs ulcera, atque ea curatu difficilia reddit, ſuccorum æquabiliter ſe habentium exuperantia, quam plethoram appellant. Quæ omnes cauſæ, & ſi quæ ſint aliæ, in duas (ut ſuprà docuimus) reuocari poſſunt: nẽpe in carnis ſubiectæ intemperiem, & humorem confluentem. Itaque ſi eiuſmodi ulceribus dyſepulotis, id eſt, ægrè cicatricem admittentibus, maleficis, contumacibus, atque inueteratis, aliquandò mederi uelis, neceſſe eſt cauſas, quæ illa creant, primùm ſummoueas atque abſcindas: deindè maligni ipſius ulceris curationem aggrediaris. In morbis nanque omnibus nedum ulceribus, in quibus effectrix cauſa adhuc manet, ab hac inchoanda curatio eſt. Magna igitur attentione inſpiciendum uenit, num corpus totum cacochymum uel plethoricum exiſtat, uel lien, aut iecur malè afficiatur, uel labra ulceris dura, & calloſa ſint. Item num aliqua inſignis ſubſit partis ulceratæ intemperies, aut etiam uarix aliquis ſuperiacens fuerit, cuius occaſione contumax ad ſanandum ulcus redditur. Ergo ſi totũ corpus cacochymia aut plethora laboret, priùs expurgare, uacuaréque expedit, quàm medicamentum ulceri admoueas. Si uerò

Auicennas.

Variæ cauſæ propter quas non ſaneſcat ulcus. Labra calloſa. Intẽperies. Varix. Lienis, aut iocinoris uitium. Imbecillitas partis. Cacochymia.

Plethora.

rò lien, aut iecur malè afficiatur, his priùs prouidere, deindè ad ulcus curandum uenire oportet. Ad eundem modum & uarices, qui ſæpè ſupra exulceratum locum ſunt, priùs (ut ſuprà docuimus) tollendi ſunt, deindè mox ulcus ſanandum. Intemperies quoque atque imbecillitas, quam ſæpè inſignis quædam parit intemperies, antequàm ad ulceris curationem accedamus, corrigenda erit. Breuiter ei quod fluxionis in partem ulceratam decumbentis, eſt cauſa, atque ægrè ſanabile ulcus reddit, prouidendum, ac ſi fieri poteſt, medendum priùs erit. Deindè maligni ipſius ulceris & contumacis curationem aggredi oportebit.

Malignorũ & cõtumacium ulcerũ ſummus curationis ſcopus.

Itaque malignorum & difficulter cicatricem recipientiũ ulcerum, curationis ſummus ſcopus eſt, ualida citra demorſum exiccatio. Hæc enim ab alijs ulceribus hoc uno diſſident, quòd medicamenta citra demorſum, atque eroſionem uehementer exiccantia deſiderant. Quæ enim mordendo ulcus, & manifeſtam in eo exaſperationem excitando, dolorem inferunt, fluores, hoc eſt, humores ulceratis partibus influentes irritant, & phlegmonas concitant. Talis igitur pharmacorum materia, quoàd eius fieri poteſt, ad dyſepulota, id eſt, ægrè cicatricem admittentia, & cacoëthe, id eſt, maligna ulcera, inuenienda eſt, unde ulcus citra mordicationem & dolorem ſicceſcat. Hæc autem non ita inuentu facilis ſtatim uidebitur, ſi attentiùs rem ipſam fueris contemplatus. Vt enim generalem hunc ſcopum, nempe ualidam ulcerum deſiccationem, aſſequaris, duo tibi alij ſcopi proponuntur: unus, ut id quod influit, regeras, repellaſue, ſi ſaltem qui ulceratis partibus influit ſuccus, nec multò plus iuſto, nec multò deterior ſit: alter, ut quod affectæ parti inhæret, inſixúmque eſt, diſcutias. Atque hæc contrariæ uires præſtant. Siquidem influxum reprimunt, q̃ ſunt adſtringentia pharmaca: digerunt, impacta iam exceptáque trahendi poteſtate prædita. Porrò quæ adſtringunt, ut plurimùm exaſperant, atque hac occaſione moleſta ſunt. Trahentia uerò, ac digerentia ex alto humiditates, non citra acrimoniam id efficiunt. At acrimoniam dolor aliquis neceſſariò ſequitur, ulceratam partẽ erodens. Atque ſic propter dolorem, quem exaſperantia erodentiáque concitant, humores (ut paulò antè dicebamus) ulceratis partibus influentes irritari, & ulcus phlegmone obſideri exedíque contingit. Ex quibus ſanè dictis colligitur, ulceribus dyſepulotis, id eſt, cicatricem difficulter recipientibus, præſidia inueniri non poſſe: & multò minùs adhuc malignis, quæ Græca dictione cacoëthe ſuprà iam ſæpiùs uocauimus. Quid ergo nobis agendum erit, ut talia ulcera cacoëthe, & dyſepulota dicta, ad integram ſanitatem perducantur?

Mordacia medicamẽta quid efficiant.

Duo alij ſcopi ad ſummũ, et generalẽ ſcopũ aſſequendũ neceſſarij.

1. Repellẽdum quod influit.

2. Digerẽdum quod iam parti inhæſit.

Medicamẽta dyſepulotis & malignis ulceribꝰ ſanãdis accõmoda.

Deligenda ſanè erunt pharmaca, quæ utraq; ui & facultate (nempe adſtrictoria & digerente) polleant, atq; ita quod influit, repellant, quod uerò iam affectæ parti inhæſit, diſcutiant. His itaq; miſta facultate prædictis medicamentis, ulcera, de quibus nobis in præſentia ſermo eſt, circa eroſionem demorsúmue ut res expoſtulat, deſiccabis. Cæterùm tametſi medicamentum ex ambobus compoſitum, erodẽte puta, & adſtringente, neceſſariò ualidũ exiſtat: ſordes tamen & humiditatis copia id genus ulceribus incũbens, ueluti ꝓpugnacula q̃dam ulceratis partiticulis facta, roſionẽ ualẽtibus pharmacis adimũt, ſoluúntq;. Porrò artificio hac in re potiùs (ut uidetur) uti debebit medicus, q̃ experimento inniti: nẽpe ꝙ ſciat rationalis medicus ulcus non alia medicamentorum uirtute curari, quàm dum affecta pars eam ſiccitatẽ conſequatur, quam in naturali ſtatu ſita poſſidebat. Quod factum intelligimus, ubi neque tenuis ampliùs ſanies influat, neque pus producatur. Hanc autem diſpoſitionem ulcera nanciſcentur, quo dicebamus modo ſicceſcentia, hoc eſt, adſtricta, diſcuſßáq;. Dein ubi ſicca quidem fuerint, uerùm ſordida adhuc appareant, deterſorijs pharmacis repurgantur. Cæterùm cùm manifeſtò conſtet omnibus in artis operibus exercitatis, rationem ſine operum exploratione probabilem non eſſe, medicus diligenter attendere debet, quem effectũ medicamentum ulceri adhibitum, quotieſcunque ipſum ſoluerit, in particula ulcerata præſtiterit, quantum ſcilicet humiditatis in ulcere deſiccauerit, uel ſi etiam ſordes adſit, quantum indè abſterſerit. Sed & animum intendere oportet, utrùm ulcus carne quæ ſubeſt exeſa, ac colliqueſcente, ſordidum euaſerit, an quia medicamen ſordibus auferendis aptũ requirat, impoſitũ uerò tale non ſit. Quod nimirùm medicis etiam bonis (Galeno atteſtãte) exiſtimatis, nonnũq̃ impoſuit, ac noſtris quoq; chirurgis quotidiè adhuc imponit. Vbi n. ulcus poſt unã aut alterã medicamẽti appoſitionem ſordidius cõſpexerint, ſtatim non cogitantes, an id ex roſione pharmaci acciderit, ad abſterſorium ualẽtius acriúſq; ſe conferũt, undè iterùm ulcus eroſum ex æquo ſordidum, uel etiam magis adhuc altera ſolutione uiſitur. Carne enim id fœdatur, à medicamento colliquata. Nam ita in prauam ſaniem degenerat. Quicquid autem in his ipſis tenuioris ſubſtantiæ eſt, à pharmaco diffl atur, reliquum ibidem ulceribus infixum, ſordes ipſis redditur. Cæterùm cùm ampla ſit latitudo utrique in eo, quòd alterum ulcus altero magis minúſue dyſepulotum, malignúmque ſit, corporáque omnia, quibus mederi cogimur, non eandem ommino temperaturam ac diſpoſitionem habeant, ſed alia uitioſo ſucco, alia plethora laborent, quædam dura & robuſta ſint, quædam uerò tenera

Li. 4. cõp. ſecũdum genera.

Diligenter ĩſpiciendũ, unae ſordes in ulcere enata ſit.

Nõ unũ idẽq; medicamẽtũ oĩbus corporibus mederi poteſt.

nera & mollia, atque ad ſentiendum inſigniter habilia: fieri non poteſt, ut uno eodémque medicamento omnibus indifferenter dyſepulotis & malignis ulceribus, quæuis corpora occupantibus, medeamur: ſed tantum medicantium pharmacorum (ut Galenus ait) eſſe numerum oportet, quantus ipſorum quoque ulcerum extiterit. Ergo in curandis eiuſmodi ulceribus ægrè ſanabilibus, ſuppoſita eorum natura, & maiori cuiuſque minoríue à naturali habitu receſſu, laborantis cuiuſque corporis habitus ac diſpoſitio diligenter animaduerſione erit conſideranda. Deindè cuiuſque medicamenti tam ſimplicis, quàm compoſiti, uis & facultas adamuſſim ediſcenda. Quæ ſcilicet deſiccant, non tamen ulceris ſordes abſtergunt. Item quæ abſtergunt quidem, non tamen probè deſiccant, ac quæ utrunque etiam poſſunt efficere. Sed & accuratè proſpiciendum eſt, ex quoto quodque medicamentum ordine exiſtat, hoc eſt, an imbecillum, an moderatum, an ualidum. Atque in uno quoque ordine maioris minoríſue ratio attendenda erit. Quod maximum Galeno cenſetur, inter ea, quæ ad horum ulcerum curationem pertinent, neglectum tamen (inquit) plæriſque medicinalis materiæ ſcriptoribus. Nam hi ſolas uniuerſales ipſius uires dicere ſtuduerunt: inter quos fuit & Dioſcorides, quem nulli eorum, qui in eadem quaſi arena deſudarunt, hoc eſt, de medicinali materia ſcripſerunt, ſecundum eſſe, uel Galeni ipſius teſtimonio quiſquam dixerit. Sed & qui compoſita medicamenta tradiderunt, de ijs indeterminatè, & citra diſtinctionem ſcripſerunt. Neque enim uirtutem ipſius medicamenti, an ſcilicet ualidiſſimum, an moderatum, uel imbecillum eſſet, explicuerunt: neque difficultatis, aut malignitatis latitudinem ipſorum ulcerum, aut naturam, habitúmue corporum ulcere laborantium expreſſerunt: qua nimirum diſtinctione omiſſa, permultos medicos & chirurgos, interdùm benè, interdùm malè, ipſis pharmacis, quæ poſteris ſcripto reliquerunt, uti contingit: ideóque nonnunquàm ſcopum mirificè adſequi, interim ab illo errare, aliò delabentes. Itaque non iniuria tam ueteres, ut Andromachus, Crito, Aſclepiades, quàm recentiores ſcriptores accuſandi ueniunt, qui ſine ulla diſtinctione remedia ſcripſerunt ad dyſepulota, id eſt, cicatricem difficulter recipientia: item ad cacoëthe, id eſt, malefica, ſiue maligna, & contumacia ulcera: plurima enim ex ijs ſunt uirtute inuicem longè diuerſa. Siquidem nonnulla horum uehementiora ſunt, alia moderatiora: quædam uerò imbecilliora. Adde, quòd & alia ulcera (ut diximus) magis, alia minùs dyſepulota, & difficilia, malignáque ſunt. Sed nec corpora omnia eius generis ulceribus ſcatentia, eiuſdem prorſus (ut paulò antè

Lib. 4. κεφ. γέν.

Quæ in curandis malignis ulceribus præcipuè conſideranda.

Dioſcorid.

Qui de medicamentis indeterminatè, & citra diſtinctionē ſcripſerunt, erroris occaſionem aliis dederunt.

antè dicebamus) naturæ ac diſpoſitionis reperiuntur. Quare neque eadem omninò medicamenta deſiderant. Itaque ad maligniora ulcera, & corpora duriora ac robuſtiora, ualentioribus utendum erit remedijs: ad mediocria uerò, & molliores ac delicatiores corporum habitus, imbecillioribus. Meritò igitur (ut initio quarti libri de compoſitione medic. κατὰ γένη ſcribit Galenus) omnes, qui unum duntaxat medicamentum ulceribus malignis cicatricem inducere promittentes habent, ſucceſſu crebrò fruſtrantur. Nam duo (minimùm) quæ idem pollicentur, eandémq; facultatem oſtendunt, diuerſa alioquin inter ſe non ſimpliciter maioris minoríſq;, uerùm (utiquit ille) maximi ac minimi ratione, in prõptu adeſſe illi conuenit, qui omnia id genus uitia curare propoſuerit. Nos itaque deinceps pharmaca, primùm quidem ſimplicia, deindè compoſita recenſebimus, ac etiam ſeriatim enumerabimus, quæ ulcera (de quibus nobis hîc ſermo eſt) citrà demorſum, & manifeſtam exaſperationem exiccare poſſunt. Cæterùm cùm uariè (ut iam ſæpiùs dictum eſt) inter ſe differant, in eo quòd magis minúsue ſiccent, expreſſam eorum mentionem faciemus, quæ ualidè ac uehementer, quæ moderatè, & quæ obſcuriùs ſeu imbecilliùs exiccent: à metallicis, Galenum ſecuti, incipientes: quibus etiam terræ ſpecies adnumerantur. Siccant igitur modicè lemnia ſphragis, ſiue lemnium ſigillum, ita quidem cognominatum ob impreſſam illi ſphragida, hoc eſt, ſigillum Dianæ ſacrum: nos & terram ſigillatam eam uocamus. Et cadmia, quam climiam & cathimiam nuncupant. Hæc autem pluribus deinceps diebus ſub canis feruore ex aceto trita, aut uino planè giluo, & ſubſtantia pellucido, facultatem acquirit magis ſiccantem. Quòd ſi ex acri aceto teratur, ſiccatáque reponatur, ulceribus ualdè etiam magnis, Galeno & Aëtio commodè inſpergitur. Valẽtius cadmia & lemnio ſigillo, hoc eſt, terra ſigillata, pharmacum eſt chalcitis (quæ ſpecies eſt uitreoli, apud Arabes colcotar, chalcadis, & zegi nuncupata) combuſta, in cadmiæque morem trita, atque in puluerem redacta, & poſteà exiccata. Nam cruda, hoc eſt, ignem non experta, tanta pollet efficacia, ut iam cruſtas inducat. Lota q̃ uſta minùs deſiccat, minúſque mordax reperitur. Perſimile quoque medicamentũ eſt ærugo cremata, quæ & æris ærugo etiam dicitur, & uulgò hodiè ab omnibus uiride æris. Non combuſta autem nimis efficax medicamen eſt, ſicuti & chalcitis, quæ ignem non experta eſt. Verùm hæc (chalcitis inquam) nonnihil etiam adſtringit, & ea multò magis adhuc chalcantum, id eſt, atramentum ſutorium, quod inter metalla maximè ſiccat. Miſy autem & ſori chalcitidi genere cognata ſunt, ex una, ut ita cum

Ordo dicẽdorum.

Moderatè ſiccantia ſimplicia.

Lemnium ſigillum.

Cadmia.

Chalcitis.

Aerugo.

Chalcantũ. Miſi. Sori.

Galeno

Galeno dicam, radice producta. Itaque tria hæc (quæ ſub uitreoli genere comprehenduntur) maioris tantùm, & minoris ratione differunt. Stibi ſiue ſtibium, quod Græcis στίμμι, uulgò autem in officinis antimonium dicitur, magis ἀ ſωρι deſiccat, & adſtringit. Porrò diphryges appellatũ pharmacum, ulceribus ægrè humiditatis uitio ad cicatricem uenientibus aptiſsimum eſt. Validè enim deſiccat, tametſi modicè mordax ſit. Adhæc præter acrem tum qualitatem, tum potentiam, uim habet adſtrictoriam: quas tamen utraſque fortiores, & chalcitis cruda, & chalcanthum, id eſt atramentum ſutorium, repræſentat. Omne quoque aluminis genus ulcera exquiſitè deſiccat, & generosè adſtringit. Vnde nemo (inquit Galenus) ſolis his ad ulcera utitur, ſicut nec cruda chalcitide, & ærugine: uſta uerò & hæc, & miſy utilia ſunt: ut elota morſum quidem remittunt, uerùm minùs ſiccant. Illud enim metallicis omnibus commune eſt, quòd combuſtis eloti ſque eroſio, quæ priùs adfuit, edomatur, ac interit. Quamobrem his ſic crematis & lotis uti quidem licebit in pueris, eunuchis, mulieribúſque, præſertim candidis, imò etiam & uiris, qui cute alba uiſuntur, & molli carne naturâ ſunt præditi. Item in eis, qui ad ſentiendum habiles admodùm ſunt, & plethora, uitioſóque ſucco laborant. Talium enim corpora facilè ex morſu, ſeu roſione phlegmonẽ accerſunt. Itaque cùm permulta corpora, quibus mederi cogimur, unã quãdam diſpoſitionem habeant, qua uehementem commorſum ferendo non ſunt, tutiùs eſt lotis, quàm non lotis uti. Cæterùm alia, præter hæc metallica ſuperiùs commemorata, plurima adhuc ſimplicia ſunt pharmaca, quæ malignis ulceribus curandis ſunt idonea. Sarcocolla nanque, & ichthyocolla, id eſt, gluten piſcium, & his magis adhuc: chryſocolla, quam auri glutinum appellant, tali facultate prædita ſunt. Huc etiam optimè faciunt, plumbum combuſtum, plumbíque recrementum, quod σκωρίαν μολύβδου Græci uocant, & uulgus cacaturam: ſiccat & ferri ſquamma, præſertim ſtomomatis, id eſt, partis ipſius ſquammæ ſubtilioris, hæc enim probè ſiccat. Porrò æris ſquamma, ex malleorum percuſſionibus decuſſa, quæ Græcè λεπὶς χαλκοῦ, uulgò autem batitura æris dicitur, præter quòd ſiccat, etiam abſtergit, purgátque Galeno & Aëtio, unde pura quoque ulcera efficit, quod reliquæ ſquammæ præſtare non poſſunt. Itaque ſi hæc omnia medicamenta arida ulceribus malignis ac contumacibus inſperſeris, mirificè (inquit Galenus) uidebis citrà eroſionẽ ea deſiccari, ſicut ubi buccinorum, purpurarúmque, oſtreorum [ſepiarum] aliorúmque id genus oſtracordermorum piſcium teſtas concrematas, & (ut addit Aëtius) lotas adhibueris. Vitrũ cõbuſtum leuiter ac ſine morſu

Stibi uel ſtibiũ, uulgò antimoniũ.
Diphryges
Alumen.
Eroſio metallicis per cõbuſtionẽ edomatur.
Tuti⁹ eſt lotis metallicis, q̃ nõ lotis uti.
Sarcocolla.
Ichthyocolla.
Chryſocolla.
Plumbũ cõbuſtum.
Scoria plũbi.
Squamma ferri.
Squamma æris.
Oſtracoderm morũ teſtæ cõcrematæ
Vitrum cõbuſtum.

morſu exiccat, hinc dyſepulotis,id eſt, cicatricem difficulter admittentibus,non item malignis,ac rebellibus conducit: quippe minùs exiccat, q̃ illa requirunt. Cæterùm galla omphacitis, boc eſt, immatura: & malicoria,id eſt, mali Punici cortices ſeu putamina, cremata, & arida appoſita, ad malefica & quæ malè coaleſcunt ulcera,efficaciſſimum medicamentum deprehenditur. Hæc enim non ſolùm ſiccandi, ſed etiam adſtringendi poteſtatem habent. Cortex etiam capparis tritus,& aridus, maleſico & putrido ulceri utiliſſimè imponitur Aëtio. Malum terræ, quod Græci ariſtolochiam appellant,iris, acorum, arthemiſia, panacis radix, argemone, chamæleontis nigri radix,cyperum, dracunculus, & gladiolus affatim exiccant Galeno. His euidentiùs adhuc centaurium, & polium:quibus paulò imbecillior eſt terra nomine eretrias,quæ Auicennæ & aliis ſectæ Arabicæ ſcriptoribus, cambil nominatur. Talis ſanè medicamentorum ſimplicium,ad dyſepulota ulcera, maligna ac cõtumacia,materies exiſtit,quibus & humorum fluxionem intercipere,& locum ulceratum ualenter,citra demorſum tamen atque eroſionem,exiccare poſſis. Quomodò autem ſimplicibus eiuſmodi medicamentis ſiccis modò commemoratis, in ulceribus ad cicatricem ægrè uenientibus, & malignis utendum ſit,ex Galeno & Aëtio requirendum eſt. Porrò ex his ſuprà memoratis ſimplicibus pharmacis, Galenus libro quarto de compoſitione medicamentorum ſecundum genera, uarias remediorum formulas, nempe cerata,unguenta,emplaſtra, & pulueres conficit, quæ ad eiuſmodi maligna,& ægrè ad cicatricem uenientia ulcera,mirè proficiunt. Ex cuius quidem ſcriptis Auicennas formulam unam medicamenti deſumpſit, quam magnoperè Guido à Cauliaco,& illius ætatis chirurgi celebrarunt. Recipit autem cadmiæ, aluminis, chryſocollæ, id eſt, glutini auri, ſingulorum partes octo,floris æris, qui ſponte ex ære proſilit,& corticis æris,boc eſt,æruginis,quæ in officinis uiride æris nominatur,& Græcis ἰὸς χαλκοῦ, uſtorum ana partem unam, gummi cupreſſi, partes quatuor,ceræ,olei roſacei, aut myrtini ana quantũ ſatis eſſe uidebitur,fiat unguentũ. Cæterùm,cùm unum omnibus medicamentum (ut frequenter dictum eſt) commodè adaptari non poſſit, tutiórque ſit leniorum pharmacorum uſus, mordaciorum uerò periculoſior, compoſita medicamenta diſtinctè boc loco deſcribam, quæ ad dyſepulota,id eſt,cicatricem difficulter recipientia, inueterata, contumacia,maligna,& chironia ulcera, ex Galeni ſententia bene faciunt: primúmque mitiora ac moderatiora referam: deindè ualidiora, ac potentiora ſubijciam.

Galla omphacitis. Malicoriũ.

Cortex capparis. Aſſati exiccantia.

Terra eretrias. Cambil.

Vngẽtum Auic. lõgè optimum.

Aerugo,uel æris æruginis, eſt uiride æris.

Lib. 4. de cõpo. med. κατὰ γένη.

Andro-

Andromachi emplaſtrum ad vlcera dyſepulota, id eſt, ægrè ad cicatricem venientia, ſed nondùm maligna, quod probatur Galeno.

DIphrygis denarium pondo quatuordecim, argenti ſpumæ, denarium pondo quadraginta, ceræ denarium pondo quinquaginta trium, olei myrtei pondo unciæ decem.

Aliud eiuſdem generis mitiſsimum & lenisſimum.

ELoti plumbi denarium pondo duum, ſpodij denarium pondo quatuor, cadmiæ tantundem, diphrygis denarij pondo unius. Ea omnia excipiantur terebinthinæ denarijs ſex.

Aliud cicatricem obducens, imbecillius autem, quàm vt cacoēthe perſanet.

COmpoſitio hæc capit, molybdenæ, id eſt, plumbaginis, drachmas quinque & uiginti, diphrygis drachmas quatuor, ſorios [aut uitreoli] drachmas duas & ſemiſſem, miſyos toſti drachmas duas, terebinthinæ drachmas nouem, ceræ & myrtei utriuſque drachmas decem. Porrò in omnibus eius notæ pharmacis, illa quæ liquari poſſunt, liquefacta & refrigerata, deindè raſa ſiccis diligenter in puluerem redactis admiſceto. Nam ſi liquida ipſis affundas, ſæpe fient grumi ceræ modo, maximè cùm frigus fuerit. In ſole feruenti ſi miſtura fiat, licet ea ſic perfundere: mouendo uehementer rudiculâ primùm, deindè cochleari. Præſtat autem in biſce omnibus (inquit Galenus) rudiculam palmæ eſſe ramuſculum.

Aliud medicamen epuloticum, id eſt, cicatricem ducens, optimum, quod Διὰ λαλάνου, id eſt, ex ladano inſcribitur, ad Critonem relatum, calloſis, veteribus, & curatu difficilibus vlceribus apprimè idoneum.

PIcis aridæ denarium pondo uiginti quinque, æruginis raſæ denarium pondo octo, æris combuſti denarium pondo quinque, ſquammæ rubræ denarium pondo octo, ladani uncias tres, uini optimi ſextarium ſemis, quod capit uncias duodecim Oribaſio. Conuenit etiam hoc medicamentum prætumidis ulceribus & cauis. Deligatum uerò membrum in diem quartum continendum eſt. Argenti ſpumam & oleum coquito, donec aliquam ſpiſsitudinem accipiant: deindè ſquammam æris, æruginē dum confluxerint, ut colorem bonum acquirant, mox picem adijcito. Po-

ſteaquàm refrigeratum fuerit, ladanum ex uino tritum: obſeruans, ne ex hoc adiecto, efferueſcat. Poſtremò ſupra moderatum ignem unita confundito ſubigitóque.

Mediocre medicamentum ad moderatè maligna vlcera idoneum.

ACcipe æris combuſti, & æruginis, utriuſque unciam unam, aluminis ſciſſi, uel ſciſſilis (quod uulgò in officinis alumen de pluma appellatur) ſemunciam, ceræ uncias duas ſemis: hoc pharmacum temperatum eſt, & medium facultate. Porrò minùs mordebit medicamentum, leneq; prorſus efficietur, ſi loco aluminis ſciſſilis diphrygem acceperis, et æruginem combuſtam appoſueris. Quòd ſi expurgare ſordes ſtatueris, æris ſquammæ ſemuncia addetur. Hæc autem pingui cera & recenti excipienda ſunt. Quòd ſi ſiccior paulò fuerit, quàm ut commemorata excipiat, temperandum eſt oleum myrteum, quo molleſcat: uel melinum, quod oleum de cydonijs appellant: uel ricininum, quod uulgò in officinis oleum de cherua nominatur: uel omotribes uetus. Aut ſi omninò nihil oleoſum medicamento adhibere placet, laricem reſinam admiſceto: cuius ſi copia non eſt, terebinthinam aſſumito.

Aliud validius medicamentum ad chironia vlcera, id eſt, non mediocriter, ſed maximè maligna contumaciaque, ex Aſclepiade.

AEris ſquammæ, & æruginis raſæ, utriuſque pondo unciam, ceræ ſelibram, hoc eſt, uncias ſex, reſinæ laricis, uel ſi eius copia non eſt terebinthinæ, pondo unc. & ſemiſſem. Ea quæ liquari poſſunt aridis affundũtur. Quibus acceptis, ac curioſè mollitis utitor. Itẽ platyſma (hoc eſt, linteũ latum, cui emplaſtrũ illitum ſit) exiguum ſoli affectæ parti, ut ulcus tantùm cõprehendat, injicito. Cæterùm ambientes particulas, pharmaco quod phlegmonem arceat, circundare oportet, atque inter curandum tertio quoque die ſoluere expedit, deindè fomentis mitigare, ipſúmque emplaſtrum, quod à latitudine platyſma uocatur, abluendo emollire, ac rurſus (ut iam ſuprà diximus) imponere, donec cicatricem inducere incipiat. Porrò mediam, ac (ut Galenus ait) ſymmetriam habebit temperiem, ut etiam modicè maligna curet, ſi non tripla, ut in præcedenti deſcriptione, ſed quadrupla ceræ portio metallicis, ſquammæ ſcilicet & æruginis, commixta fuerit. Sed moderatius adhuc extiterit, ſi quincupla adjiciatur, ut nondùm cacoëthe, ſed ægrè cicatricem ducentia perſa-

Platyſma.

perſanet. Itaque cùm auxilium ad aliquid ſpectet, ac mollius pharmacum ad moderatiora cacoëthe, id eſt, malefica, magis quàm uehementius conducat, ſatiùs fuerit in ulceribus non ita malignis & contumacibus, ceram quadruplam, uel quincuplam amborum ſimul metallicorum eſſe, ut rectè Galenus admonuit.

Aliud pharmacum vehemens & mitigatorium ad cacoëthe, Andromachi.

CEræ tyrrhenicæ [uel eius loco pinguis & recentis, optimæ] drach. octo, ſeui taurini, terebinthinæ, plumbi uſti, ſingulorum drachmas quatuor, linamentis excepto utitor.

Ad deſperata vlcera, quorum ſcilicet curationem plærique aggreſſi, non abſoluerunt, ſed tanquàm ab inſanabilibus deſtitere, emplaſtrum admirandum, cui (autore Galeno) cùm propter alia, tum quoniam longo experimento probatum eſt, multùm confidere oporteat.

SOrios [cuius loco uitriolum ſumi poteſt] drach. uigintiquatuor, aluminis ſciſſilis [quod uulgò alumen de pluma nominant] calcis uiuæ, malicorij [id eſt, corticis mali granati] ſingulorum drachmas ſexdecim, thuris, gallarum immaturarum, utriuſque drachmas uigintiduas, ceræ drachmas centum uiginti, ſeui uitulini, uel ſi eius copia non ſit, ueteris ſuilli, quam axungiam uocant, drachmas centum ſexaginta, olei ueteris heminam, hoc eſt, uncias nouẽ. (Aëtius aſſumit olei antiqui libram unã.) Arida trita, & tenuiſſimo cribro excuſſa, denuò ſimul terito. Quæ deindè, his quæ liquari oportet, liquatis, & ab igne remotis, permiſceto: Cúmque omnia probè unita fuerint, alumen, thus, ſori, calcem, ſingula priùs è uino adſtringenti trita adijcito, & utitor. Dum Galenus medicamentum hoc conficeret, oleum & adipem quadraginta annorum adijciebat, atque ita ſemper diuturna ulcera, præter modum maligna ac deplorata, opinione meliùs ſanauit. Eius autem generis ſunt ea, à quibus pars affecta in tam uitioſum, ac deprauatũ habitum ducitur, ut ſanguinem probè etiam coctum, qui ad eam nutriendi cauſa defertur, mutet corrumpátque, uel id quod influit, adeò cacochymum exiſtit, ut etiam ſi pars nihil paſſa fuerit, ab illo certè ipſo ſolo erodatur. Hoc itaque medicamento quod noxium eſt, tranſmutatur, atque diſcutitur. Satiùs autem fuerit cacochymiam priùs conuenienti medicamento expurgare, deindè (ut ſuprà monuimus) ulceris curationem aggredi.

In codice Græc. Gal. & Aëtij, hæc pōdera reperiũtur.

Hemina, Græcis cotyle dicta, continet olei unc. 9. uini 10. mellis 13.

Oleum, & adeps annorum 40.

Aliud Galeni, ad chironia vlcera in mollibus corporibus.

CEræ librã unam, ceruſſæ uncias octo, roſacei libram unam, ſalis ammoniaci uncias quatuor, ſquãmæ æris uncias duas, thuris, aluminis, æruginis, malicorij, calcis uiuæ, ſingulorũ unciã unã: quæ liquari debẽt, liquata, et frigefacta, aridis è uino tritis admiſceto, atque placidiori igne decoquito. Cæterùm innumeræ propemodùm aliæ formulæ cõpoſitorum medicamentorum ex ueterum ſcriptis à Galeno libro quarto de compoſitione medicamentorum ſecundum genera referuntur, quæ ad dyſepulota, cacoëthe, inueterata & chironia ulcera perſananda apprimè idonea ſunt. Ex illo igitur libro, ueluti è ſylua quadam remediorum, rationalis quiſque medicus, & qui methodum ab eo illic traditam artificioſè didicerit, idoneam ulceri, quod curandum ſuſcepit, remedij formulam ſibi deligere poterit, atque hac ſolus uti ſciet. Porrò nonnullas, eaſdémque ex ipſis præcipuas, exempli gratia hoc loco adſcripſimus, quò magis lectori ad manum eſſent, & in particularibus, non uniuerſalibus ſolis contentus, exerceretur. Sed iam tempus eſt, quartam curandorum ulcerum in uniuerſum intentionem perſequamur.

Quarta igitur intentio curandorum ulcerum cum alijs diſpoſitionibus complicatorum, quæ ablata, & (ut loquuntur) rectificata diſpoſitione agglutinationi ſeu conſolidationi repugnante, loci ulcerati curationem nos aggredi debere ſuadet, ijſdem omninò intentionibus & modis perficitur, qui ſuprà dicti ſunt in curatione uulnerum concauorum, in quibus ſubſtantiæ aliqua depditio facta eſt. Proindè methodus ac curãdi ratio, quæ illic à nobis tradita eſt, in memoriã reuocanda erit. Itaque cùm tanta ſit curationis ulcerum, cum uulnerum atque etiam apoſtematum curatione communitas ac conuenientia, nil mirum, ſi Galenus multis locis eorum tractationem ac doctrinam commiſcuerit. Cæterùm his ita ad umbilicum deductis, tempeſtiuum eſt, de proprijs ac (ut dicunt) famoſis ulcerum differentijs pertractemus, inter quas primùm ſe offert ulcus, quod uirulentum & corroſiuum appellitant.

Quarta intentio curãdorum ulcerum.

De propriis ac (vt loquuntur) magis famoſis vlcerum differentiis, & primò de vlcere virulento, & corroſiuo, quod Græcis nomodes, id eſt, exedens appellatur. Cap. XV.

QVid ſit ulcus virulentum ſeu ſanioſum, & ulcus corroſiuum, ſiue arrodens, quid item ambulatiuum, & depaſcens ſiue manducans, quod Græci νομὰν appellant, & quomodò hæc inuicem

inuicem diſſideant, in definitionibus differentiarum ulcerum, abundè eſt explicatum. Excitãtur autem eiuſmodi ulcera à prauis humoribus, ſed præſertim bilioſis, acribus, & mordacibus, qui propter aduſtionem, cacoëthiam quandam, hoc eſt, malignitatem acquirunt. Atque hæc magna ex parte oriuntur poſt herpetas, & prurientes puſtulas, quas acris, & bilioſus humor excitauit: atque etiam poſt uulnera, quæ mordacibus medicamentis exacerbata atque irritata fuere. Cæterùm ut ad perfectam ſanationem perducantur eiuſmodi ulcera, triplici egent auxiliorum genere, ſicuti & plæraque alia, nempe uictus ratione proba, & conuenienti purgatione, quæ ſucco prauo, acri, & eroſionem in affecta particula excitanti, ſit accommoda, & localibus remedijs. Age igitur, eſto aliquis, qui ſanus quidem ſit, hoc eſt, omnia naturæ munia inculpatè exerceat, ſed ex ſcabenda de repentè quapiam particula, ueluti brachio, puſtulam ſtatim excitarit, mox eadem ipſa particula iterùm atque iterùm pruritu uexetur, puſtuláque dirupta ulcus decolor, & inæqualiter eroſum gignatur, atque hæc in tribus quatuórue diebus à principio inciderint. Hac itaque hypotheſi poſita, dicat mihi hoc loco quiſpiam, quonam pacto ſanare huiuſmodi ulcus conueniat? Certè ut eius curationem feliciter aſſequaris, imprimis qualis ſit totius corporis tali ulcere laborantis affectus, ſtatim tibi erit conſiderandum. Inuenies nanq; tum ex ulceris ipſius ſymptomatis, id eſt, accidentibus, tum ex notis quas totum corpus præſeferet, cuius maximè generis ſit is qui redundat ſuccus. Atq; hũc (ſi Gale. conſilium ſequaris) idoneo purgante medicamento primùm educes, nec protrahes, dum totus hominis cubitus affectum quendam contumacem rebellémque curationi contrahat, quemadmodùm facere ſolebant Theſſali ſectatores, ipſius uidelicet præcepta mordicùs obſeruantes. Præcipitur nanque ab omnibus ferè (inquit Galenus) antiquis medicis, quicunque ratione quadam ac methodo de ulcerum curatione ſcripſerunt, cauſas quæ illa creant abſcindendas eſſe, æquè perfectò ut cæterorum omnium morborum. Itaque hoc tibi tanquàm cõmune præceptum eſto, omninò in omnibus morbis nedum ulceribus, in quibus effectrix cauſa adhuc manet, ab hac inchoandam curationem eſſe. Hinc rectè monebat Galenus libro decimotertio methodi medendi, digerentia, hoc eſt, reſoluentia, ſeu diſcutientia medicamenta, nequaquàm particulis quibuſdam applicanda eſſe, ubi redundantia in toto corpore aut ſuperiacente particula ſubeſt. Quippe quòd hæc ſic admota implerent potiùs quàm educerent. Itaque tunc à totius corporis, aut ſuperabundantiæ mittentis particulæ ſuperiacentis uacuatione incipienda curatio

Cauſæ.

Curatio ulceris excidẽtis.

Hypotheſis. ex li. 4. ther.

A purgatione inapiẽda curatio.

lib. 4. ther.

Cõmune de digerentib. præceptum

eſt. Deindè euaporante auxilio utendum. Factâ igitur totius corporis, ut decet uacuatione (ut factum quondam fuit in Romana quadam illuſtri muliere, quæ herpetem eſthiomenum, id eſt, exedentem, in malleolo primùm habebat, qui tandem ad bubones uſque aſcenderat) ad curationem particularis affectus, hoc eſt, ipſius ulceris arrodentis deueniendum erit. Ergo ſi particulam exulceratam atque arroſam, ſupra modũ calefactam uideris, ipſam ſtatim frigidis ſtypticis deſiccantibus refrigerabis. Commodè autem feceris, ſi ulcus ipſum, & particulam totam ulceratam aqua aluminoſa ablueris: hæc enim ablutio magno uſui talibus ulceribus eſſe ſolet. Quippe quæ influentes humores potenter repellat, et ſiccandi facultatem obtineat, ut autor eſt Auicennas. Poteris etiam affectum locum irrigare, uel aqua plantaginis & roſarum, uel aqua in qua ferrum candens extinctum fuerit, aut etiam decocto cyperi, myrobalanorum, cupreſſi, plantaginis, malicorij, balauſtij, quod flos eſt mali Punici ſylueſtris, & conſimilium. Vt autem ab ingruentibus defluxionibus, ſeu ab iniuria influentium humorum, ulcerata particula uindicetur, optimum fuerit, circuniacentes partes unguento ex bolo Armenia illinere. In medio uerò ulceris, puluis aliquis, qui uim deſiccandi habeat apponendus erit, ut ex litharg yro, plumbo uſto, pompholyge, quæ uulgò tutia dicitur, antimonio, quod ſtimmi & ſtibium Græcè dicitur, ære combuſto, corallio, lapide hæmatite, ſpodio, lotis. Atque etiam ſidijs, id eſt, corticibus mali Granati, myrobalanis, & id genus alijs. Item pãnorum laciniæ in linamenta formatæ, ſiue plagulæ, quæ & ſplenia Græcis dicuntur, unguento albo Rhaſis illitæ, aut unguento quod ſextam partem litharg yri recipiat, in quo omnes conſentiunt, uel unguento quod diapompholygos nuncupatur, ſupra ulcus ipſum dandæ ſunt. Cæterùm ſupra eiuſmodi pulueres, ac linamenta ulceri impoſita, puluillus, ſeu puluinus aliquis, quem plumaceolum uocant, poſca aquoſa imbutus, adhibendus erit: deindè conueniens deligatura, quam exprimentem nominant, cuius ſuprà in tractatu de uulneribus meminimus. Guido à Cauliaco in talibus ulceribus ſolebat poſt lotionem abſq; aliquo [hoc eſt, nullo alio adhibito auxilio] ponere laminam plumbi tenuem perforatã, in qua uirtus argenti uiui, cum aqua plantaginis erat infixa, & ligare ligatura exprimente, quod non eſt (inquit) fas loqui propter idiotas. Itaque tria hæc, molybdos, id eſt, plumbum, aqua aluminoſa, & deligatura decenter facta, miram, ac ferè incredibilem uim habent, in ſanandis eiuſmodi ulceribus. Porrò deligaturam talem eſſe conueniet, quæ ad uſum magis, quàm ad elegantem formam conducat: hæc autem duobus

Partialis curatio ulceris arrodentis.

Aquæ aluminoſæ uis.

Repellẽtia, & ſiccãtia.

Bolus armenia.

Puluis exiccatorius.

Horũ ũguẽtorum formulæ & cõpoſitiones lib. 6. deſcribuntur.

Nota de plũbea lamina.

bus modis fit, nempe uel unico uinculo ſeu faſcia una, uel duabus. Itaque ſi una tantùm faſcia fuerit, principio eius uerſus ſuperiorem ulceris partem ſtatuto nectenda erit, ſiue ſura, ſiue genu, ſiue malleolus, ſiue cubitus, ſiue manus ſumma, aut alia quæuis pars laborauerit. At ſi duabus faſcijs uti malueris, quemadmodùm in fracturis fieri ſolet, altera à parte affecta, hoc eſt, ab ipſo ulcere, ad ſuperiorem regionem feretur, altera deorſum priùs ducetur, mox in ſuperiore parte deſinet, eo uidelicet loco quo prior incepit. Cæterùm præter reliqua commoda, quæ ex hac deligatione proueniunt, illud etiam accedet, quòd ulcera, quæ ob rotunditatem coaleſcere nequeunt, oblonga reddentur. Solutio autem non ſingulis diebus, ſed alternis facienda eſt. Neque in ſolutione ulcus aqua inſpergendum, ſed molli linteolo, puro, & ſicco, ſanies detergenda. Quòd ſi partes ulceri adiacentes inflammari uideantur, & iam phlegmonôdes quippiam repræſentent, platyſmati exteriùs plurimo ſpatio liquidum medicamentum illinere oportet, quale eſt Galeni phœnicinum, hoc eſt, è palmulis confectum, uel aliquod ſimile, non quidem quocunque contigerit dilutum, ſed uino adſtringente, quantum imbibi poterit. Sitque oleum quod adijcitur refrigerans, & adſtringens, cuiuſmodi ſunt myrteum, & melinum. Quòd ſi hæc non adſint, omphacinum, & omotribes nominatũ adhibebis. At ſi duricies circa partes ulceri adiacentes apparuerit, ipſum phœnicinum, ſeu emplaſtrum è palmulis, oleo ueteri, aut ricinino (quod officinæ oleum de cherua nominant) diluẽdum eſt. Tutiúſq; fuerit ſuperpoſitæ regioni, quodpiam ex medicamentis repellentibus liquidis adhibere, quo ſi quid uel prauum, uel pluſquàm par eſt, influat, regeratur. Atque id maximè, cũ in crure ulcus obortum, ſuperpoſitam uenam uaricoſam habeat. Quæ dum magna eſt, ac ſanguinem nec colore rubrum, nec probum, ſed atriorem & melancholicum continere uidetur, excidenda, ut priùs diximus, auferendáque eſt.

Deligatura duplex.

Deligatura alternis diebꝰ ſoluẽda

Si partes adiacentes inflãmẽtur

Olea refrigerãtia, & adſtringentia.

Si duricies adſit.

Cæterùm ſi ulcera eiuſmodi admota medicamenta contemnant, indièſque magis atque magis eroſio ſerpat, & augeatur, corpus ſubindè à uitioſis ſuccis repurgandum erit, continénſque ipſa ſeu (ut uocant) coniuncta materia depaſcens atque arrodens, inuſtione ſeu cauterio (ut loquuntur) actuali abſumenda & deſiccanda ueniet, modò laborans id genus auxilij tutum, atque utile, cæteriſque alijs longè præſtantius, non reformidet, ac renuat. Quòd ſi ferrum candens ob timiditatem, aut delicatam nimis naturam pati, atque admittere noluerit, medicamenta acriora, & quæ ignis uires habeant admouebis, cuiuſmodi ſunt paſtilli Andronis, Muſæ, aut Paſionis, in tractatu de tumoribus præter naturã deſcripti:

Si eroſio rõcedat medicamẽtis.

Vſtio.

Paſtilli aſtici.

deſcripti: uel trochiſci aſphodelorum, aut qui calidicon nominantur, quorum formulæ ac deſcriptiones libro ſexto referuntur. His etiam atramentum ſcriptorium, quod & incauſtum uocant, magna utilitate admouetur. Quòd ſi hæc parùm profecerint, arſenicum, quod ſublimatum nominant, modica tamen (ut alibi dictum eſt) quantitate, tutò adhiberi poteſt. Locus autem ambiens, hoc eſt, circũpoſitæ ulceri partes, interim refrigerantibus perpetuò muniendus erit, ne tam uehementibus admotis præſidijs, fluxio irritetur. Porrò ſi ne his quidem tam potentibus auxilijs malum aliquâdò uictum fuerit, nec eroſio ipſa depaſcens quouis modo ſiſti poſſit, membrum amputare neceſſarium eſt, ut uoluit Auicennas.

Arſenicum.

De ſordidi & putris vlceris curatione. Cap. XVI.

Vid ſit ulcus ſordidum, quod Græci rhyparon uocant: quid item putre, ſeu putrefactum ulcus dicatur, ſuprà diffiniuimus. Porrò ſordidum, & putrefactum ulcus Guidoni dicitur, quod ſui malicia (ut eius uerbis utar) putrefacit membrum, dimittendo uiſcoſitatem, aut carnẽ mollem, ſiue (inquit) cruſtoſam, fœtidam, à qua fumus eleuatur fœtidus, & cadaueroſus. Ac tale quidem ulcus fraudulentum etiam appellãt. Cæterùm ſi eius malicia ulteriùs progrediatur, & ſerpat, in ſphacelum (quem uulgus eſthiomenum uocat) degenerat, & homini uitam adimit. Horum autem ulcerum cauſæ ſunt, ſucci praui, craſſi, ſanguinis naturam quodammodò reſipiſcentes, hoc eſt, ſanguinei, qui feruore quodam uelut ebullientes, uenenoſitatem, atque malignitatem quandam indipiſcuntur. Et hæc quidem magna ex parte carbunculos maleficos, ſiue anthracas, abſceſſus, & uulnera malè curata, conſequuntur. Porrò talium ulcerum curatio conſiſtit in proba uictus obſeruatione, & euacuationibus accommodis, quibus corpus uniuerſum ab excrementis, atque à natura alienis humoribus expurgetur. Vbi autem iam purum ab excrementitijs, atque à natura alienis humoribus corpus uniuerſum tibi apparuerit, tum particula ipſa laborans, hoc eſt, ulcerata, cucurbitulis, ſcarificationibus, hirudinibus, atque epithematis ſiue fotibus, à corruptis ac deprauatis ſuccis ipſam occupantibus, uindicanda erit, ut rectè præcepit Auicennas. Poſt hæc uerò propriam ipſius ulceris curationẽ aggredieris. Sordes igitur primò tibi abluenda erit, aut hydromelite quidem, aut marina aqua, uel ſi eius copia non eſt, ſalſa. Deindè mundificandum ulcus, unguento uulgò Apoſtolorum dicto, aut eo quod Aegyptiacum nominatur. Poſt hæc, quidam de-

Vlcus ſordidũ & putre.

Vlcus fraudulentum.

Cauſæ ulcerum putrium & ſordidorum.

Curandi ratio.

Sordis ablutio.

Vlceris mũdificatio.

ſuper

ſuper adhuc dandum eſſe monent mundificatiuum aliud, ex abſinthij ſucco, melle roſaceo, myrrha, & farina hordei compoſitum, & circumiacentes ulceri partes, unguento ex bolo Armenia illinunt, ac ſuprà cætera prædicta puluillos, ex ſtupis canabinis ſtudioſè pexis, aut ex lineis pannis læuibus, puſca aquoſa (quod oxycratum uocant) imbutos apponunt, atque alligant. Si uerò ſordes in putredinem, aut corruptionem degeneret, locus abluendus erit oxycrato, aut (ut uoluit Guido) aqua cineris, uel ſaponis. Deindè emplaſtrum ex carnibus piſcium ſalſorum, farina orobi, & ariſtolochia longa, non autem rotunda, & ſcilla, omnibus ex uino coctis, & cum melle mixtis, ſuper accommodandum eſt. Ad eandem intentionem Auicennas ſubſequens medicamentum deſcribit, multa (ut adfirmat) experientia comprobatum. Concipit tragacanthi rubri unc. unam, calcis uiuæ, aluminis, corticis granatorum, ana drach. ſex, thuris, gallarum, ana drach. quatuor, ceræ, & olei, ana quod fuerit ſatis. Aliud. Vitrioli partes duodecim, chalcitis (quod & colcotar Arabes appellant) partes decem, tragacanthi partes nouẽ, coquantur in aceto, & ex eis fiat linimentum. Ac ſemper quidem unguẽtum ex bolo in ambitu ulceris, ut ſuprà monuimus, apponito: deſuper uerò ſtupeos puluillos oxycrato madefactos. Porrò ſi ulcera eiuſmodi depaſcentia putridáque, eouſque feritatis, & maliciæ deuenerint, ut partes adiacentes magis atque magis ſemper erodant, ac ſine modo in illis corruptelam excitent, uehementiſſimis medicamentis (qualia ſuprà in curatione malignorum ulcerum recenſuimus) indigebunt. Imò uerò frequenter inuſtiones, atque etiam exciſiones illis erunt neceſſariæ, ita ut quicquid uitiatum, ac corruptum eſt, prorſus extirpetur, & uiua, ac ſana duntaxat caro relinquatur: quam ex natiuo ipſius colore, & ſanguinis bonitate, facilè deprehendes. Inter cætera autem medicamenta acria, quæ uiuum à corrupto ſeparant, & in hoc affectu celebrari ſolent, omnium præſtantiſſimum atque efficaciſſimum quotidiano experimento deprehenditur arſenicum, quod ſublimatum uocant, ut aliquoties alibi annotauimus. Hoc enim confeſtim malum ſiſtit, & id quidem ſine dolore. Quòd ſi medicamentis eiuſmodi malum non ceſſerit, membrum ipſum tali depaſcente ac putrido ulcere affectum, cogimur abſcindere, ut cætera pars tuta ſit. Id autem miſerum atque ultimum auxilium, nũquàm tentandum eſt, niſi dum cætera præſidia nihil proficiunt, & malo prorſus uicta ſunt, ut alibi admonuimus.

Si ſordes in putred. nẽ degeneret.

Emplaſtrũ Auicennæ.

Linimẽtũ.

Arſenicum ſublimatũ.

De profun-

De profundo & cuniculoſo vlcere, quod & ſinus Latinis dicitur. Cap. XVII.

Vlcus cauernoſum.

Vlcera cuniculoſa ſeu cauernoſa ſuprà appellauimus, quorũ orificia ſtricta ſunt, profunditas uerò in latum ſe diffundit, & ſenſui occulta eſt, multos interdùm anfractus habens, modò rectos, modò obliquos, citra duriciẽ tamen et callum. Atque hoc uno à fiſtula diſsidet, quamuis promiſcua turba, eiuſmodi ulcera omnia cuniculoſa, fiſtulas nominent: cùm tamen fiſtula propriè ulcus ſit altum, anguſtũ, & calloſum, Galeno, Cel. Aët. & Paulo. Itaq; quod profundum & cauernoſum ulcus recentiores chirurgi appellãt, id Latini apoſitè ſinum, Græci colpon nominãt. Fit aũt cùm adiacens ulceribus cutis, diutiùs ſubiectis corporibus non coaleſcit, glutinatúrque: cuius multæ ac uariæ ſunt differẽtiæ, nimirũ ex cauernarũ magnitudine, ſitu, figura, ac numero deſumptæ. Aut. n. breues ſunt, aut altè penetrãtes, iuxta carnem deſinentes, aut ad oſſa, uel cartilaginem ſubeuntes, ſurſum, deorſum, uel ad latus tendẽtes, recti aut flexuoſi, ſimplices ac duplices, triplicéſue. Galenus autem eorũ duntaxat, qui à poſitionis figura ſumuntur, meminit: ut qui præcipuè curandi rationem immutent. Siue enim magnus, ſiue paruus aut breuis, uel altus, aut iuxta ſuperficiem conſiſtens, ſimplex uel duplex, tripléxue fuerit, eadem ſemper eſt eorum curandi ratio.

Fiſtula qd.

Sinus quid, & eius differẽtiæ multiplices.

Quæ ſimũ differentiæ curandi rationem euariant, & quæ non.

At ſi uel ſurſum, uel deorſum, uel ad latus, uel intrò ad oſſa tendit, curationem uariat. Cùm enim ſurſum tendit, facilè per eius os ſanioſa colluuies, atq; ipſum pus effluit. Cùm uerò deorſum uergit, intus retentũ pus, aut ſanies, cõtiguas partes erodit. Quare niſi facto ex aduerſo (ut ſtatim dicetur) emiſſario, nihil omninò profeceris, ſiue carnem generare, ſiue glutinare uelis. Cùm uerò ad latus declinat, aut ſurſum uergit, aut intrò fertur, ſed ita locari pars afflicta poteſt, ut liberè ſanies, aut pus, è ſinu effluere poſsit, inciſione ex aduerſo facta opus non eſt: ſed de his adhuc in ſequentibus. Cæterùm cauſæ eiuſmodi ſinuum, ſeu cuniculoſorum ulcerũ, ſunt abſceſſus, ſiue ſuppurantes affectus tardiùs diſſecti, et uulnera perperàm curata. Pus nanque longo nimis ſpacio in ſuppurato abſceſſu, aut in profundo uulnere, quod non ritè expurgatur, retentum ac deliteſcens, malignitatem, & ueluti acrem atque erodentem quandam naturam acquirit, & cuniculos tandem molitur, qui difficilè admodùm carne impleri, & glutinari queunt. Ad affectam nanq; particulam, quæ iam imbecillitatem contraxit, undiq; ex circumiacentibus ac uicinis partibus, imò uerò & ab uniuerſo corpore, ſuperuacanei humores confluunt, atque ita ægrè ſanabile redditur ulcus.

Cauſæ ſinuum.

Differentiæ.

Differentiæ cuniculorum, ſeu cauernularum eiuſmodi ulcerum deprehenduntur turundis (quas tentas uocant) et ſpecillis, ſiue contis (quæ probæ uulgò dicuntur) argenteis, uel plumbeis, aut alia conſimili materia factis, in ipſos cuniculos læuiter, ac blandè immiſsis. Itē minutis quibuſdam, atque exilibus radicibus, & cereis candelis, necnon & coloratis quibuſdam iniectionibus. Color uerò materiæ, quæ ab ipſis cauernulis & ſinubus egreditur, qualitatem eius manifeſtè inſinuat: ſi enim tenuis fuerit, & loturæ carnis perſimilis appareat, calidam eſſe haud temerè eam iudicabis. At ſi candida uiſitur & ſeroſa, indubiè frigida erit. Sed & ſaniei puríſue bonitas, & paucitas, doloris quoque & tumoris, qui priùs aderant, priuatio, ſinum carne impleri, & glutinari demonſtrant. Si uerò contraria his adfuerint, glutinationem nequaquàm adhuc fieri nobis indicant: ut Galenus ijs uerbis nobis teſtatum reliquit libro ſecundo de ratione curandi, ad Glauconem. An uerò (inquit) altæ ſinus partes coaluerint, ex manante ſanie deprehendes, ſi ea multa uel pauca, cocta uel cruda ſit. Præterea ſi neque in ipſo ſinu dolor ſentiatur, nec tumor appareat, ſed totus locus æquabilis ſit, ſiccus ac doloris expers. Quòd ſi puris probè cocti portio exigua in ore conſpicitur, multò magis de glutinando ſinu ſperandum eſt. Hactenùs de ſinuum differentijs, cauſis, & iudicijs dicta ſufficiant. Itaque tempeſtiuum eſt, eorum curationem aggrediamur, & qua poterimus breuitate, nunc proſequamur.

Sinuum differentiæ quibus deprehendantur.

Iudicia.

Ratio curandi ſinus, ſeu ulceris profundi & cauernoſi, non tamen adhuc calloſi.

CVm ſinus, quo de hîc agimus, ulcus ſit cauum, & profundum, geminus in eo curando ſcopus ac finis medenti proponitur, unitio ſcilicet & repletio. Vlcus enim quà ulcus eſt, unitionem, cauitas uerò impletionem deſiderat. At quæ diſſident, uniri non poſſunt, niſi priùs cauitatem (ſi cū ulcere, ut in ſinu coniuncta ſit) impleuerimus. Ordo igitur curationis poſtulat, ut à cauitatis impletione ordiamur. Sed cauitas rurſus carne impleri non poteſt, niſi laborans particula & iuſto temperamēto prædita ſit, & ſinus ipſe omninò purus, & ab omni ſorde immunis extiterit. Itaque ſi uel phlegmone, uel eryſipelas, uel gangræna, uel intemperies aliqua ſimplex aut compoſita, partem affectam obſederit, manifeſtum eſt, quòd niſi quis illos affectus priùs ſanauerit, implere cauū ulcus non poterit. Fieri enim non poteſt (ut libro tertio methodi medendi Galenus inquit) ut in ulcere uel carnis productio, uel ſinus impletio, uel aggluti-

In curando ſinu, geminū eſſe ſcopum.

agglutinatio, uel cicatricis inductio, rectè unquàm cedat, niſi ſubiecta caro pro naturali modo ſe habeat. Adhæc cùm in ipſa nouæ carnis generatione, duplex prouenire excrementum neceſſe ſit, alterum quidem craßius, quod ſordes propriè appellatur: alterum tenuius, quod Græcis ἰχὼρ, nobis uerò ſanies dicitur: ac ex tenui quidem hoc excremento, ulcus humidum reddatur, ſicuti ex craſſo ſordidum: duplicibus ſanè medicamentis ſinuoſum ulcus egebit, antequàm carne repleatur: nempe ut humidum eſt ſiccantibus, ut ſordidum expurgantibus ſeu detergentibus. Ordo igitur ſanationis à ſorde expurganda in curando ſinu incipiet, quòd uidelicet nec glutinari quicquàm, nec carne impleri poſſit, priuſquàm purum, hoc eſt, deterſum, & à ſordibus ritè expurgatum fuerit. Vbi uerò iam ab omni alio affectu immunis, & purus ab excrementis ſinus fuerit, tum primùm agglutinantibus medicamentis utendum erit. Hæc autem nec detergent, nec expurgant, ut ſarcotica, id eſt, carnem generantia, ſed contrà prorſus (inquit Galenus) ſubſtantiam omnem in idem cogunt. Cuiuſmodi facultatem habent medicamenta ea, quæ auſtera & adſtringentia uocantur. Hæc enim ſiccant tantiſper, dum humoris redundantiam qui ſecundum naturam eſt, abſumant. Sed de ijs alibi fuſiùs à nobis dictum eſt. Pone ergo in eadem particula ſinu occupata, intemperiem aliquam, uel phlegmonem, aut conſimilem affectum, & cauitatem, & ulcus, & ſordem ſimul conſiſtere, ordo curationis expoſtulat, ut primùm phlegmonem aut intemperiem, ſecundo loco ſordem, tertio cauitatem, & quarto ulcus perſanes. Siquidem iuſta ſubiectæ carnis temperies, cauſæ rationem habet, ut quæ concreſcere ſecum quod ulceratum eſt, faciat, & cauitatem impleat. Puritas ulceris, rationem eius ſine quo non. Atque hanc ſordes interpellans, curationem moratur. Habet uerò & ipſa cauitas, ad ulcus, rationem eius ſine quo non, ut libro tertio Therapeutices Galenus annotauit. Quandò (inquit) niſi cauitas prius impleta ſit, induci cicatrice ulcus non poſſit. Atque hæc in uniuerſum dicta ſint de ratione curandi ſinus, quod & ulcus profundum, & cauernoſum noſtri chirurgi appellant. Cui magna ex parte complicari ſolent, quæ ſuprà commemorauimus. Hac igitur uniuerſali methodo præmiſſa, particularium ipſorum ſinuum differentiarum (quas curandi rationem uariare diximus) ſanationem ſubiungamus.

Conſtituatur igitur imprimis ſinus ad ſuperiorem partem porrectus, ita ut eius orificium deorſum ſpectet, talis certè non adeò multum negotij in ſanando faceſſet. Quandoquidem per os eius facilè ſanies effluet, atque ideò promptè conglutinabitur, adhibitis ſaltem ijs, quæ ſtatim

In nouæ carnis generatiõe duplex puenire excremẽtum.

Vlcus ſinuoſum duplicibus eget medicamẽtis.

Agglutinantium ſubſtantia.

Hypotheſis

Si finis orificium deorſum ſpectet.

ſtatim dicentur auxilijs. Sed neque cùm ad latus declinat, aut introrſum fertur, aut etiam deorſum uergit, inciſione ex aduerſo facta opus erit, ſi pars ipſa afflicta ita locari poſsit, ut liberè ſanies è ſinu emanare queat. Itaque ponatur ſinus, artus aliquos, nempe cubitum, aut femur occupare, poterit utique decliuis figuratus, citra diuiſionem ex aduerſo factam coaleſcere. Etenim in cubito cùm oræ gibbero uicinæ ſunt, ſummã manum elatiùs protendens, ſinum ad effluxionem incitabis. Sic & in femore, ſi ſinus deorſum uergat, & ad genu termineturos autem ipſius ſublime ſupra femoris medium ſit, popliti mollem puluinum ſubijcies, quò demiſsius inguen quàm genu poſitum ſit.

Inciſio ex aduerſo, quãdò i ſinu fieri debeat, et q. ẽ dò non.

,, Ex Paul.
,, Ex Gal. 2. ad Gl.
,,

Cæterùm ſi ſinus deorſum uergat, aut ad latus declinet, uel introrſum feratur, & ſitum affectæ parti commodum dare non poſsis, quò liberè ſanies effluat, nihil unquàm promouebis, ſiue carnem generare, ſiue glutinare uelis, niſi priùs collectioni purulentæ effluxum molitus fueris. Intus enim retenta ſanies contiguas partes erodet. Porrò ſanioſæ illi colluuiei effluxum bifariàm moliri poteris. Nempe uel facto, tantùm in imo ſinus, uulnere, uel tota cauitate diſſecta. In imo, ſeu radice ſinus fit ſectio, ſi ulcus magnum fuerit, & locus totus ſine periculo ſecari non poſsit. Præſtiterit autem ſemper, ſi nihil obſtiterit, totam ipſius ſinus cauitatem diſſecare, quàm ex aduerſo plagam facere. Ita enim faciliùs, ac citiùs multò, ad ſanitatem ulcus perducetur. Tota igitur cauitate diſſecta, ellychnijs, & pannorum lacinijs in linamenta formatis, congruiſque medicamentis ſic expurgandus, atque reſiccandus erit ſinus, ut tandem caro regignatur, cauitas impleatur, & ad perfectam ſanationẽ, modo quo ſuprà de altis, & cauis uulneribus docuimus, perducatur. Cæterùm priuſquàm ex aduerſa parte diuiſio fiat, purulenta colluuies ſinẽda eſt, magna ſatis copia in fundo ipſius ſinus colligi, quo ſinus parietes magis attenuentur, atque ita melius ſpecillum (ſupra quod ſectio fieri debet) in cauitatem demittatur, ſinu ſcilicet ex puris copia diſtento, & ampliore facto. Specillum autem ipſum quod ſic in ſinum immittitur, læue, hoc eſt, minimè aſperum eſſe debet, ac unctuoſo aliquo (ut citra dolorem immitti poſsit) illitum. Adhæc parte poſteriore perforatum eſſe decet in modum acus, ut in eo imponi poſsit ceto aliquis (ut uocant) ex ſtupis canabinis, aut aliqua gracili faſcia, aut certè funiculo quopiam molli, ut canabino, factus. Inciſione autem facta, dolor qui per eam excitatus eſt, ſedandus erit, & impetus profluentis ſanguinis, oui candido, atque alijs id genus ſupprimendæ ſanguinis profuſioni dicatis auxilijs, compeſcendus. Poſt hæc autem ceto alius, quandò opus erit, detergente

Bifariã effluxum moliri poſſe ſanies, aut puri, in ſinu.

Qi òd multa purisco pia ſinẽda eſt colligi i fundo ſinꝰ, priuſq̃ ex aduerſo diuidatur.

Specillum, quod i ſinũ immittitur, quale eſſe debeat.

aliquo medicamento imbutus, indendus erit, atque ut id commodiùs fiat, alteri, qui ſinum adhuc occupat, aut aſſuetur, aut alligabitur. Poterunt & ellychnia, ſeu linamenta in mundificatiuo aliquo tincta, in ſinum ipſum imponi, ſupérque, atque in ambitu danda ſunt, quæ mox infrà dicemus. Porrò ſi neque in imo ipſius ſinuoſi ulceris, plaga commodè fieri poſſit, neque cauitas tota diſſecari, ſinus totus eluendus erit collutionibus, primùm quidem deterſorijs, ſi inhærentem ſaniem ſubeſſe ſuſpicaris: deindè ſarcoticis, id eſt, carnem generantibus: poſteà uerò ad glutinans medicamentum tranſeundum erit. Proindè Galenus libro ſecundo de ratione curandi ad Glauconem, ſinum ipſum nunc melicrato ſolo, id eſt, mulſa, nunc quidem puro uino, nunc uerò mulſo, eluendum eſſe monet. Itaque ad detergendam, expurgandámque ſinui inhærentem ſaniem, melicratum præferendum eſt. Sed præſertim in ſinu cuius os deorſum ſpectat, per quod ſanies liberè effluat. Huius nanque ſinus profunditatem totam, ad glutinationem aptam (ut Galenus inquit) ſola reddere poteſt iniecta mulſa. Ad purgandum uerò ſimul & roborandum, ubi ſcilicet adhuc aliqua leuis cuiuſdam ſordis derelictæ ſuſpitio eſt, uel ipſo etiam Aëtio autore mulſum eligimus. At ubi carnem iam in ſinu mediocriter regenitam, omninò puram eſſe coniecerimus, & glutinationem quærimus, uino puro ſubadſtringente ſinum ipſum eluemus. Vinum enim eiuſmodi, quod medium eſt inter dulce & adſtringens, leuiter glutinat. Si autem cruentus fœtidúſque ſit humor, qui è ſinu excernitur, oxymeli (Aëtio autore) cæteris præſtat. Auicennas & quidam alij ſinum præſertim maligniorem, & uehementer ſordidum detergent, & eluunt, aut lixiuio, aut marina aqua, aut etiam aluminoſa, quæ in hoc affectu præſtantiſſima eſt. Hæc enim præterquàm quòd potenter ſordes abluit, à parte quoque affecta fluxionem arcet, & repellit. Albucaſis chirurgus inſignis unguentum Aegyptiacum, cum aqua & melle liquatum, in ſinum eiuſmodi, deterſionis & corrigendæ malignitatis gratia immitti iubet. Galenus quoque, ubi ſinus ipſe, aut ſitus, aut alterius cuiuſuis occaſione, ſordidior aut humidior eſt, medicamenta, quæ ualentius quàm mulſa deſiccent, & detergant, admouenda eſſe ſuadet. Cuiuſmodi eſt medicamentum ex combuſta charta compoſitum, quod ad hunc modum temperatur. Squammæ, gallæ, myrrhæ, ſingulorum pondo denarium octo, ſandarachæ, arſenici, elaterij, id eſt, ſucci cucumeris agreſtis, ſingulorum pondo denarium quatuor, thuris pondo denarium trium, atramenti ſutorij (quod Græci chalcanthum uocãt) tantundem, charta quantùm ſatis eſt ad inducendum colorem. Debet autem exigua eiuſmodi

Si neq; apertio in imo, neq; cauitas tota diſſecari poſſit.

Sinus quibus liquoribus abluendus.

Melicratũ.

Mulſum.

Vinum ſub auſterum.

Oxymeli.

Aqua aluminoſa.

Medicamẽtũ ex charta cõbuſta.

iuſmodi medicamenti portio largo roſaceo miſceri, quò & eius uehemẽtia remittatur, & per anguſtum foramen, in ſinus profundum, per fiſtulam, aut æneam, aut corneam, recto ductu foratam, poſſit iniici. Iniecto autem medicamento, ulceris os linamento concerpto claudendum eſt, ne id refluat. Niſi enim diutiùs maneat, exiccare non poterit. Cæterùm ſi ulcus calidum fuerit, hoc eſt, calidam intemperiem ſibi adiunctam habuerit, & uirus ab ipſo ſinuoſo ulcere manans, rubrum et loturæ carnis recenter mactatæ perſimile appareat, non alienum fuerit ipſum abluere melicrato, hoc eſt, aqua mulſa recenti, in quo lenticula, hordeũ, roſæ, & balauſtium incocta fuerint. Si uerò ulcus frigidum ſit, & ſanies tenuis & aquoſa conſpicitur, mulſa in qua incocta ſint, marrubium, abſinthium, pimpinella, & myrrha, eluendum eſt. Porrò ubi ſic ab omni ſorde puros ſinus effecerimus, carne replẽtibus medicamentis (ſarcotica Græci uocant) ſi caui ſaltem fuerint, deindè glutinantibus, & tandem cicatricem inducentibus, ſimiliter reliquis ulceribus utendum erit. Carne aurem replent, quæ humiditatem ſiccant, & ſordem detergent. Itaque, idem medicamentum primariò atque ex ſeſe ſordis deterſorium Galeno appellatur, altero uerò ſignificatu ſarcoticum & glutinans. Quippe & tali impoſito medicamento, ulcera carne replentur, ac coëunt. Opus enim ipſorum proprium eſt (ut alicubi ſcripſit Galenus) affectam partẽ recrementis uacuare, ne uidelicet ſanies carnis generationem glutinationémque impediat. Sarcotica igitur detergendi etiam uim habent, ſed omnis roſionis ſeu morſus expertem. Finis autem glutinantium eſt, nullam inter coitura ſubnaſcentem humiditatem permittere. Glutinaturo nanque (ut tertio methodi Galenus ait) unum id propoſitum eſt, ut eius quod ſecundum naturam eſt, redundantiam conſumat. Epuloticorum uerò, id eſt, cicatricem inducentium medicamentorum finis eſt, non hãc totam ſubnaſcentem, ac redundantem humiditatem impedire, ſed etiam nunc conſiſtentem, in ijs, quæ mox cicatricem ducent, conſumere: adhæc callo obducere, & adſtringendo indurare. Sed de ijs in antidotario fuſiùs dicemus. Ergo (ut ad propoſitum reuertamur) ſi cauus ſinus carnem requirat, primùm medicamenti, quod charta conſtat, aridi, paululùm cum multo roſaceo inſeri conuenit. Deindè carpto linamento os obturari. Indè emplaſtrum Iſis aut Machærionis, aut ſimile quoddam, unà cum roſaceo cerato liquidiore ſolutum iniicitur. Vbi uerò mediocriter carne repletus eſt ſinus, aliquid ex glutinantibus medicamentis, non uehementer ſiccantibus adhibendum eſt, quod creſcentem tenellam carnem blandè, & ſine morſu cogat, non aliter ac ſi recens ac cruentum uulnus

Si ulcus ſinuoſum alidũ fuerit.

Si ulc⁹ ſinuoſum frigidũ fuerit.

Idẽ medicamentum deterſoriũ, ſarcoticum & glutinãs

Sarcoticorum facultas.

Glutinantium finis.

Epuloticorum finis.

Si cauus ſinus carnem requirat.

curaretur. Curatur autem hoc mollibus, blandis, miniméque dolorem ex-
Enhæma. citantibus medicamentis, qualia ſunt enhæma, quorum opus ſeu facultas
eſt coniungere, & diuiſas partes conglutinare, ut in priſtinam unitatẽ
particula reducatur. Multa (inquit Galenus) eiuſmodi medicamenta in-
ueniuntur, alia quidem ex bitumine confecta, uocantúrque neſcio qua ra
Cirrha, et phœa medicamenta. tione, ut idem ait, emplaſtra Barbara: alia uerò, quia fului & fuſci
ſunt coloris, cirrha, & phœa nominantur, ex argenti ſpuma & æ-
rugine liberaliùs decocta. Horum autem medicamentorum miſturas,
Galenus, Paulus, & Celſus docent. Sed præſtat de hac re interpretis
Auicen. „ uulgaris Auicennæ uerba ſubijcere. Ad incarnãdum (inquit) oportet ꝙ
„ medicinæ fiant currentes lauatiuæ, cum uiſcoſitate adhærente, & inji-
„ ciantur in eis cum clyſterijs, & immittantur cum ellychnijs & tentis. Et
„ nos quidem iam experti ſumus emplaſtrum Apoſtolicum, id eſt, Apoſto-
„ lorum, & centauream, quandò cum ea implentur, & eſt mirabilis ualde.
Succedit huic ſymphyton, deindè iridis Illyricæ radix, poſtremò erui
farina, & id genus alia, quæ glutinandi facultatem habent. Porrò ſequẽs
Medicamẽtum incarnans & glutinans. medicamentum, quod in frequenti eſt uſu apud chirurgos, miram uim
habet in glutinandis ſeu incarnandis eiuſmodi ulceribus. Bz. aquæ deco-
ctionis hordei libram unã, mellis roſati uncias tres, ſarcocollæ drachmas
duas, myrrhæ, thuris, ſingulorum drachmam unam, uini odoriferi unc.
ſex. Coquantur omnia ſimul uſq; ad tertias, id eſt, uſq; ad conſumptionẽ
tertiæ partis. Quibus & addi poteſt aliquandò aliquid aloës. Cæterùm
poſt glutinantis medicamenti impoſitionem, ſola ſpongia noua ex mulſo
iuxta Galeni conſilium circumponenda eſt, quàm fieri poteſt molliſſi-
Modus deligandi ſinus poſt glutinatorij medicamenti ĩpoſitionẽ. ma. Eius autem deligatura à ſinus fundo incipiat, & eius ore finiat:
faſciarum uerò ſpiræ ſiue circumflexus, ſinus profundum ſine dolore
arctent, ac paulatim uſque ad os eius elaxentur, eidémque (ori inquam
ſinus) indatur medicamentum molle, circumducto forinſecùs empla-
ſtro ad os ipſius ſinus forficibus diſciſſo, ut ſanies effluere poſſit. Eſflu-
et autem è ſinu ſanies, ſuppoſito aliquo alio paruo emplaſtro ad ſolutio-
nem uſque, quam tertio quoque die faciens, hoc ipſum tanquàm opercu-
lum circumpoſitum auferes, relicto eo quod totum ambit ſinum, medi-
Tertio quoq; die ſpõgia, ac paruũ emplaſtrum demenda. Li. 2. de arte curat ad Glauc. camento. Ideò autem tertio quoque die, aut certè citiùs aut tardiùs,
prout res efflagitabit, demenda ſpongia eſt, ac paruum emplaſtrũ quod
ſuperpoſitum erat, ut ſi qua humoris cõfluuies in ore ſinus collecta ſit, ua-
cuetur, exploremúſque, an altæ ſinus partes coaluerint, an minimè, quod
ex manante ſanie (ut docet Galenus) deprehendetur. Si ſcilicet ea mul-
ta uel pauca, cocta uel cruda ſit. Itaque altas ipſius partes coaluiſſe de-
monſtrat,

monſtrat, pus coctum ac paucum, præſertim ſi neque in ipſo ſinu dolor ſentiatur, nec tumor appareat, ſed locus totus æquabilis ſit, ſiccus ac doloris expers. Cúmque ſpongiam rurſus impoſueris, rurſúſque (ut diximus) adalligaueris, poſtero uel tertio die ſoluito, ut dictum eſt, ſemper linteolum ſinus ori admotum permutans, quod eodem emplaſtro illitum, totum os ambitu cingat. Neque uerò omninò appreſſum (ut Galenus admonet) eſſe debet, ſed ita, ut per id tota ſanies uacuari poſſit. Itaque cũ ſecundo uel tertio quoque die (ut iam ſemel atque iterùm dictũ eſt) ſpõgia, uel paruum emplaſtrum eximitur, conſiderandum, multá ne an pauca, cruda an cocta materia ad os ulceris affluxerit. Deindè expérs ne ſit, an particeps doloris locus affectus, & an tumor remanſerit, aut diminutus ſit. Altas enim ſinus partes coiſſe teſtatur pus coctum ac paucum, præcipuéque ſi dolor & tumor non adſint. Contrà, multũ & crudum, & cum fœtore, & loci humiditate, dolore & tumore, nondùm coaluiſſe ſignificant. Neque uerò (ut ſcribit Galenus) ſi primo uel ſecundo die tenuis quædam ſanies ex ſinu manet, de glutinatione omninò deſperandum eſt. Sæpe enim uis medicamenti affectæ particulæ admoti, ex ipſa cute & ſubiecta carne tenuem humiditatem uehementer exprimit, quoties eius qui curatur corpus ita affectum eſt, ſiue ex natiua temperie, ſiue mala uictus ratione. Hac humiditate expreſſa, loca mediocriter reſiccata glutinantur. Quòd ſi tertio, aut quarto ab initio die, ſanies cruda in ore apparuerit, ſcito (inquit idem) ſinum non eſſe glutinatum. Quare affecto loco medicamentum, quod uehementer quidem exiccet, ſed nec mordeat, nec cutem contrahat, circumponendum eſt. Cuiuſmodi Galeni medicamentum eſt, quod à ſuluo colore cirrhum dicitur, ex concoctis metallicis, oleo ricinino, quod oleum de cherua appellant, & aceto ſine cera confectum. Hoc enim medicamentum (ut idem Galenus teſtatur) ſine morſu uehementer exiccat. Cuius compoſitio & uſus ex libro ſecundo de compoſitione medicamentorum κατὰ γένη requiri debent. Guido à Cauliaco iubet poſt glutinantis medicãmenti impoſitionẽ, deſuper apponenda eſſe emplaſtra, & pannos, aliquo quod habeat (ut eius uerbis utar) rectificare illa, illitos. Cuiuſmodi ſunt, emplaſtrum διὰ χαλκίτεως nominatum, quod à palma Græcè φοινικίνον, & uulgò diapalma appellatur. Item emplaſtrum (inquit) nigrum uel flauum cum gallis: & mel coctum cum puluere thuris, myrrhæ, & aloës: uel quædam horum, uel omnia ſimul: & uinum ſtypticum craſſum, quod groſſum uocat. Poſteà ligare præcipit, ut docet Galenus libro ſecundo ad Glauconẽ. Paucis autem interiectis ſubdit, de tenta (ut loquitur) hæſitaſ-

Note ætatis alterum ſinus partium.

Cirrhũ medicamentũ.

Guido à Cauliaco.

ſe multos, ut Henricum, & præceptorem ſuum Bononienſem, quòd ſolida non ponatur, qua ſaniem (inquit) in loco retinet: ſed cannulata, aut duplicata, ut ſanies continuè ualeat exire: & ſpongia ſuper orificium ponatur, ut ſanies trahatur exteriùs ſugendo. Spongia nanque ideò circumdatur atque alligatur, ut exiccet, manantémque è ſinu ſaniem excipiat, alioqui partem eroſuram, aut pruritum excitaturam. Imbuta autem (ut ſuprà diximus) mulſo ſpongia ſit, ut detergeat: mollis, ne aſperitate lædat: noua uerò, ut aqua marina adhuc imbuta partem affectam deſiccet. Hactenùs de ratione curandi ulceris alti, anguſti, & cauernoſi, non tamen calloſi. Nunc ordo poſtulat, ut de calloſo ulcere, ſeu eallo obducto ſinu, quam fiſtulam nominant, dicamus.

Spõgia qualis eſſe debeat.

De fiſtula. Cap. XVIII.

Sinus.

VUm pus in abſceſſibus ſic excoriat particulam, ut continẽtia à ſubiectis ſeparet ac diducat, dein eo quomodocunque euacuato, diſtantia inter ſe priſtinum ſtatum recuperare nequeant, affectio eiuſmodi ſinus appellatur Galeno, libro de tumoribus præter naturam. Quem ſi quis (ait ille) nõ ſtatĩ curet, callo obducitur, duráſque temporis progreſſu fiet, nec conglutinare ipſum cũ ſubiectis ſibi poſſibile eſt, uocatúrque tunc hic affectus propriè fiſtula, de qua nunc dicere inſtituimus. Eſt igitur fiſtula (quam Græci ſyringa nominant) arctus oblongúſque, & calloſus ſinus, aliquatenùs indolens, qui magna parte ex abſceſſibus parùm dextrè curatis, oritur: ſed & ex alijs nonnunquàm ulcerum generibus ac ſinubus perperàm curatis naſcitur. Hæc autem nomen accepit ab harundinearum fiſtularũ tralatione, ut Paulus annotauit. Quandoquidem in eis cauitas quædam deprehenditur, harundinum cauitatibus ſimilis. Fit autem fiſtula in omni ferè parte corporis, habétque quædam (ut Celſus ait) in ſingulis locis propria, ſed de communibus hîc dicemus. Differentiæ igitur fiſtularum plures ſunt, ſicuti & ſinuum, quæ ex ſitu, figura, numero, magnitudine, & alijs id genus ſumuntur. Siquidem aliæ ſub cute extenſæ ſunt, aliæ altiùs penetrant: aliæ rectæ, aliæ flexæ & tortuoſæ ſunt: aliæ intra carnem deſinunt, aliæ ad oſſa, aut cartilaginem penetrant: aut ubi neutrum horum ſubeſt, ad interiora perueniunt. Aliæ neruos attingunt, aliæ uenas aut arterias occupant. Aliæ præterea ſimplices ſunt, aliæ duplices triplicéſue, ab uno ore intus orſæ, quæ tres fiunt, aut etiam in plures ſinus diuiduntur. Aliæ deindè facilè, aliæ cum diffi-

Sinus degenerat in fiſtulam.

Fiſtula qd.

Fiſtularum differentiæ multiplices

difficultate curantur. Atque etiam (inquit Celſus) quædam inſanabiles reperiuntur.

De ſignis & iudicijs fiſtularum.

FIſtularum dignotiones ſumendæ ſunt, ab his quæ ſecundum eſſentiæ rationem ipſis inſunt, atque etiam ijs, quæ conſequuntur accidentibus, & effectibus. A ſubſtantialiter quidem inhærentibus, ut ab illo (inquit Guido) corio calloſo, & à forma fiſtulæ inſtrumentalis, & factitiæ. Calloſitas nanque cum forma fiſtulari, eſſentialis eſt differentia ipſius fiſtulæ. Ab accidentibus uerò & effectibus, ut à uirulentia illa borribili, quæ aliquandò ab ipſa fiſtula effluit, emanátue. Item à dolore, qui in ea modicus eſſe ſolet, niſi dum partes quæ iuxta neruum ſunt, occupat. Cæterùm ſimplices ne fiſtulæ ſint, aut in plures partes diducantur, cognoſci poteſt ex modo puris. Cuius ſi plus fertur, quàm quod ſimplici ſpacio conuenit, plures ſinus calloſos eſſe manifeſtum eſt. Corporis quoque inquinatio docet, num in plures partes fiſtulæ penetrarint. Quia ſæpe cùm quis aliter decubuit, alitérque membrum collocauit, pus ferri, quod iam deſierat, incipit: teſtatúrque non ſolùm alium ſinum eſſe ex quo deſcendat, ſed etiam in aliam corporis partem eum tendere. Cúmque ferè iuxtà ſint caro & neruus, & aliqua neruoſa: quales ferè tunicæ, membranæque ſunt: genus quoque puris docebit, num plures ſinus intus diuerſa corporis genera perroſerint. Siquidem ex carne (inquit Celſus) pus læue, album, copioſiùs fertur. At ex neruoſo loco coloris quidem eiuſdem, ſed tenuius, & minus. Ex neruo pingue, & oleo non diſſimile. Cuius ſententiæ reſ agari uidetur Aëtius, ſic de nerui fiſtula inquiens: Humor indè delatus tenuior eſt, ei ſimilis, qui ab oſſibus defluit, non quidem oleaginus, aut pinguis, ſed ſanioſus & glutinoſus. Sed & ex alijs notis, quàm ex pure, deprehenditur nerui fiſtula, nempe dolore: ſtuporis enim punctioníſque ſenſum incutit. Deindè motus, qui ab eo neruo perfici ſolet, deterior apparebit. Sed in ſpecillo attactu (inquit Aëtius) moleſtus acutúſque ſenſus redditus, rem manifeſtiſſimè iudicabit. At fiſtula locum erodente, ſi uenã ſuberit, plurimus craſſúſque ſanguis effunditur. Sin arteria aperiatur, tenuis & flauus cum multo ſpiritu ſtridoréque exibit. Ante omnia autem (ut rectè conſuluit Celſus.) demitti ſpecillum in fiſtulam conuenit, ut quò tendat, & quàm altè perueniat, ſcire poſſimus. Simul etiam protinùs humida, an ſiccior ſit: quod extracto ſpecillo patet. Si uerò os in uicino eſt (id quod diſci poteſt ſic, iam nec ne eò fiſtula penetrauit) quatenùs no

Fiſtularum notæ à quibus petantur.

Quib⁹ notis deprehendatur, ſimplex ne ſit fiſtula, an multiplex.

Lib. 5.

Aëtius.

Nerui in fiſtula eroſi notæ.

Venæ & arteriæ eroſæ ſignã. Fiſtulæ ſpecillo maxiè explorãdæ

cuerit. Nam ſi molle eſt, quod ultimo ſpecillo contingitur, intra carnem adhuc uitium eſt. Si uerò magis id renititur, ad os uentum eſt. Ibi deindè ſi labitur ſpecillum, nondùm caries eſt: ſi non labitur, ſed æquali nititur, caries quidem: uerùm adhuc leuis eſt. Si inæquale quoque & aſperum ſubeſt, uehementiùs os exeſum eſt. At cartilago ubi ſubbæſit, ipſa ſedes docet, peruentúmque eſſe ad eam ex renixu patet. Cæterùm ſi obliquæ fuerint fiſtulæ, flexúmque aliquem, uel plures habuerint, ut ſpecilli apex progredi nequeat, uirgulam plumbeam, ſtanneámue cõflabimus, aut ceream potiùs candelam aſſumemus, quâ iter pertentemus. Cùm enim flexilis admodùm ſit, ad fiſtulæ figuram facilè accommodabitur. Hactenùs de ſignis fiſtularum: nunc de iudicijs.

Oßis cariоſi notæ.

Obliquæ fiſtulæ quo modò explorandæ.

Fiſtularum iudicia, ſeu prognoſtica.

FIſtulæ ſi altiùs penetrant, ut ad ultimas demitti collyrium non poſſit, ſi tortuoſæ atque anfractuoſæ ſunt, ſi multiplices: maius (inquit Celſus) in manu, quàm in medicamentis præſidium eſt: minúſque operæ eſt, ſi ſub cute tranſuerſæ feruntur, quàm ſi rectæ intrò tendunt. Expedita quoque curatio eſt in fiſtula ſimplici, recenti, intra carnem, adiuuátque ipſum corpus, ſi iuuenile, ſi firmum eſt: inimica contraria his, ſunt. Itémque ſi fiſtula, os, uel cartilaginem, uel neruum, uel muſculos læſit, ſi articulum occupauit: ſi uel ad ueſicam, uel ad pulmones, uel ad uuluam, uel ad grandes uenas, arteriáſue, uel ad inania, ut guttur, ſtomachum, thoracem, penetrauit. Ad inteſtina quoque eam tendere ſemper periculoſum: ſæpe peſtiferum eſt. Quibus multum mali accedit, ſi corpus uel ægrum, uel ſenile, uel mali habitus eſt. Aegrè (inquit Paulus) conſaneſcit in ano fiſtula, quæ orificio caret, tum quæ deliteſcit, & in os terminatur, multifariámque fiſſa eſt. Sed ex his quidem colliguntur fiſtularum ſedes, ſpacia, & noxæ. Prætereà an ſimplices hæ ſint, an multiplices, & in plures partes diductæ. Hactenùs igitur de fiſtularum differentijs, ſignis, & iudicijs. Deinceps uerò de medicamentis ad eaſdem conferentibus diſſerere oportet.

Lib. 7.

Cor. Cel. lib. 5.

Paulus.

De fiſtularum curatione in vniuerſum.

IMprimis genus uictus conueniens, & quod ſubſtantia & qualitate, cauſis, quæ fiſtulæ conſolidationem impediunt, aduerſatur, inſtituito. Deindè corpus uniuerſum à ſuperuacaneis, & noxijs humoribus (illis tamen priùs, ſi ita res exigat, expulſioni paratis) idoneo cathartico medica-

Ratio curandi uniuerſalis.

dicamento purgato. Mox potionibus roborandis ac deſiccandis interioribus partibus accommodis, fiſtulam ad conſolidationem præparato. Cæterùm tametſi potiones multæ ad hanc intentionem à uaris autoribus deſcriptæ ſint, duæ tamen ſunt quæ frequenti uſu, & felici ſucceſſu à recentioribus medicis probatæ ſunt. Prior ad hunc modum habet: Potiones fiſtulis idoneæ.

Agrimoniæ partes tres, plantaginis partes duas, foliorum oliuæ partem unam, ſcindãtur minutim & contundantur, poſteà in uino albo coquantur, & fiat colatura, de qua quolibet die ſub auroram cyathus unus adminiſtretur. 1.

Altera. Rx. oſmundæ (quæ filix mas eſt Dioſcoridi) partes tres, gentianæ partes duas, centaurij partem unam, coquantur in uino albo, & fiat potio, quæ ut prior adminiſtretur. Hæc poſtrema etiam ualde efficax eſt in oſſium corruptorum expulſione. 2.

Ego autem optimè factum exiſtimauerim, ſi in prædictis decoctionibus nonnihil ligni Guaiaci, uel Indici (quod lignum ſanctum, & palmam ſanctã appellant) aliquot horas maceretur, poſteà moderato igne leuiter decoquatur, & ex colatura quantum aſſidenti medico ſatis eſſe uidebitur, manè bibendum offeratur. Atque hæc regimen (ut loquuntur) uniuerſale concernunt. Guaiacũ, lignũ ſanctũ.

Quod autem ad topica pertinet auxilia, & regimẽ (ut uocant) particulare, quatuor ſunt ordine peragenda. Ratio curãdi particularis.

Primum quidem fiſtulæ orificium, ſi non ſatis biet, hoc eſt, ſi nimis ſtrictum fuerit, imò uerò & ſinus ipſe fiſtularis uſque ad fines eius, ſi fieri poſſit, dilatari debet. 1.

Secundo loco callum eximere, fiſtulámque auferre, atque omninò deſtruere conuenit. 2.

Tertio poſt exemptum (quocunque modo id fiat) callum, ſordities detergenda ueniet. 3.

Quarto ubi purus iam ab omni ſorde ſinus uidebitur, ſimiliter reliquis ulceribus ad ſanitatem perducetur: nempe glutinatorijs, ſeu (ut loquuntur) incarnantibus medicamentis, & epuloticis, id eſt, cicatricem inducentibus, atque etiam (ſi carnis aliqua fuerit amiſsio) ſarcoticis, id eſt, carnem generantibus pharmacis. 4.

Ergo ſi nec aduri ferro, nec incidi commodè poſſit fiſtula, & eius os, aut ſinus totus, ſiue unus ac ſimplex, ſiue multiplex fuerit, non latè ſatis pateat, immiſſo collyrio aliquo, ſeu (ut uocant) tenta, ampliari ac dilatari debebit. 1. Sinus fiſtulæ amplia-tio.

Materia autem ad conficienda collyria, dilatandis eiuſmodi fiſtulis, & ſinubus nõ calloſis idonea, ſunt radices gentianæ, & mali terræ (quam ariſtolochiam Græci nominant): radix item bryoniæ, hoc eſt, uitis albæ, & dracontij ſeu dracunculi, præſertim maioris, qui ſerpentaria officinis, & Romanis ueteribus columbrina nuncupatur. Sed imprimis huic negocio accommoda ſunt fruſta ſpongiæ contorta & ualidè compreſſa. Ex

ijs igitur

ijs igitur fiant collyria ſiue penicilla (quas tentas uocant) altera quidem parte tenuia, altera paulò pleniora. Atque ea parte qua tenuia ſunt, demitti oportet in fiſtulam, ſed filo ſemper appendice, ut tutiùs, ſi altiùs deſcenderint, & promptiùs, ſi nimis hæreant, extrahi poſſint. Dimittantur autem horis duodecim, aut certè plus, aut minùs, donec ſcilicet latè ſatis debiſcat fiſtula.

2. Fiſtulæ deſtructio ſeu mortificatio.

Cæterùm orificio fiſtulæ, atque eius ſinu, ſufficienter dilatatis, ipſius deſtructio, prorſus molienda eſt. Id autem trifariàm fieri conſueuit. Nempe uel medicamentis acrioribus, & callum exterentibus, uel inciſione ſinus, & uſtione: uel inciſione citra uſtionem, cum calli euulſione.

Trifariàm fiſtula deſtruitur.

Ergo ſi recens fuerit fiſtula, aut non adeò multùm antiquata, nec etiam admodùm profunda aut flexuoſa, & chirurgiam, hoc eſt, ſectionem & uſtionem, prorſus recuſet æger, medicamẽta callum exterentia adhibebimus. Deindè remoto callo ad curationem reliquis ulceribus communem uertemur. Itaque callos elidunt atque excindunt, quæ ex Galeno, Paulo, Aëtio, Cornelio Celſo, & alijs recentioribus chirurgis ſubiungam.

1.

Callos exterentia.

Spondylij radix circumraſa, & fiſtulis impoſita, earum callos eximit. Item ueratrum nigrum, duobus tribúſue diebus inſertum idem præſtat. Adhæc amurca cocta, & in collutionem adhibita. Ad idem elaterium, id eſt, ſuccum cucumeris agreſtis, ſeu (ut uocant) aſinini, terebinthina exceptum in collyria cogito, imponitóque: uel laſerpitij radicis ſuccum infundito. Id quod ſequitur etiam callos conſumit Paulo Aëginetæ. Aeruginis drachmæ duodecim, ammoniaci drachmæ duæ, excepta aceto in longum inducuntur, & fiunt penicilla. Hoc medicamentum expeditiſſimum atque ex primis eſſe ad callos eximendos, ex præcepto Megetis, nobis teſtatum reliquit Aurelius Cornelius Celſus. Verùm ex emplaria omnia eo loci corrupta ſunt. Pro drachmis enim duodecim, habent tantùm denarios duos. Plurima eius generis collyria, hoc eſt, fiſtulis callos exterentia, à modò nominatis autoribus deſcribuntur, ex quibus quiſque, quæ ſuo propoſito magis conducere uidebuntur, poterit deligere, & in uſum aſſumere. In communi autem uſu apud recentiores chirurgos ſunt collyria ſiue penicilla ex trochiſcis aſphodelorum, quorum deſcriptionem habes in antidotario. Item ex calce & ſapone. Adhæc, quæ auripigmento, hoc eſt, arſenico illinuntur penicilla, neminem unquàm fefellerunt, ut præter quotidianam experientiam recentiorum ferè omnium ſcripta teſtantur. At uerò ſi fiſtulæ multos & ualde anfractuoſos alióſque cuniculos habeant, ita ut in eos collyria eiuſmodi, prout res exigit, indi non poſſint, eadem ex aceto aut liquore aliquo ad rem accommo-

Locꝰ i Cor. Cel. emendatus.

Trochiſci aſphodelorum.

Arſenicum

accommodo per auricularium clyſterem intro infundenda ſunt, ut ſcilicet per omnes multiplicis ipſius fiſtulæ anfractus perferantur. Mirificè prodeſt in antiquis fiſtulis, & admodùm calloſis ſequens iniectio.

Vnguenti Aegyptiaci ſemuncia, ſublimati drachma dimidia, lixiuij unciæ quatuor, aquæ roſarum unciæ duæ, arſenici ſcrup. I. aquæ plantaginis unciæ quatuor, bulliant uſque ad conſumptionem tertiæ partis. Iniecto medicamento, fiſtuloſi ulceris os, linamento concerpto (ut de ſinubus dictum eſt) aut quouis alio claudendum eſt, ne id refluat. Niſi enim aliquandiu maneat, nullum effectum effatu dignum præſtare poterit. Si autem duplices aut multiplices eiuſmodi fiſtulæ, breues, intráque carnem ſint, eadem etiam medicamenta quæ callos elidunt, arida in calamũ ſcriptorium conijci poſſunt: Calamus igitur ori fiſtulæ aptandus eſt, poſteà in eum inſufflare oportet, ut ea medicamẽta intùs compellantur. Si quãdò uerò longior (inquit Celſus) & tranſuerſa fiſtula eſt, demiſſo ſpecillo, contra principium huius incidi commodiſſimum eſt, & collyrium utrinque demitti. Aqua fortis Alchymiſtarum ſaltem prima in eiuſmodi tortuoſis, atque labyrinthi modo flexuoſis fiſtulis, mirificè prodeſt. Hæc enim (inquit Guido ex ſententia Arnaldi à uilla noua) omnes fiſtulas mortificat, & diſrumpit.

Ad ãtiquas & ualdè calloſas fiſtulas.

Si fiſtula lõgior et trãſuerſa ſit.

A qua Alchymiſtarũ.

2.

Secundus modus abolendi fiſtulas eſt, qui primùm per inciſionem totius cauitatis fit, deindè per aduſtionem, quæ uel cauſtico medicamento, uel ferro candenti & ignito inducitur. Cæterùm quæ in magnas arterias, uel neruos, uel tendines notatu dignos, aut membranam coſtas ſuccingentem, aut aliquam principalem particulam deueniunt, uel nequaquàm (ut ſuprà diximus) uel certè cum multa artific. ſáque diligentia, ac prudentia attingendæ ſunt. Reliquis uerò hunc in modum manum admoliemur. Primùm quidem tentabimus, an rectæ ſint uel obliquæ, demiſſo intrò (ut paulo antè monuimus) ſpecillo, uel cerea candela. In quibus autem duæ pluréſue oræ habentur, quæ ſpecillo aut conſimili inſtrumẽto tentari minimè poſſint, ita notantur. Clyſtere in ſinum per unum os liquorem compellimus, éxque tranſitu eius in reliqua ora, facilè deprehendimus, unáne, quæ multas oras habeat, an multæ fiſtulæ ſint. His ita exploratis, ſi in ſummo fuerit ſinus, atque is anguſtus, ſpecillo demiſſo explicandus eſt, ſupráque id accommodata figura, ſcalpello incidendus. Si flexus reperiuntur, hi quoque ſimul ſpecillo et ferro perſequendi ſunt. Idẽm que faciendum, ſi plures ſe quaſi ramuli oſtendunt. Vbi ad fines fiſtulæ uentum eſt, diuiſo ulceri imponenda ſunt penicilla, oui candido liquore imbuta, quæ labra ſolutæ continuitatis diſtendant, & inuicem coire

Secundus modus abolendi fiſtulas.

ire non ſinant. Poſtera die locus adurendus erit, uel ferro candente, uel cauſtico, ſeu adurente aliquo medicamento, nẽpe uel puluere aſphodelorũ, uel arſenico, aut alio cõſimili, quod facultatis ſit cauſticæ ſiue urentis. Argentum uiuum ſublimatum admouet, quo efficitur, ut nihil corruptum, nihil calloſum, nihil denique quod præter naturam ſit, in ulcere remaneat, quod non omninò deſiccetur, elidatur, & abſumatur. At ſi non ſumma occupauerint fiſtulæ, & ſub cute non tranſuerſæ ferantur, ſed rectæ introrsùm tendant, ubi quàm profundiſſimè poteſt, & quatenùs licet, inciſus fuerit ſinus, orbiculatim totum callum, modo qui nuper dictus eſt, ſi fieri poſſit, auferemus. Quòd ſi aliquid ex eo relictum fuerit, adurente id medicamento abſumemus. Si autem multum ſit, quod ex callo remanſit, nec medicamento cedat, cãdentibus ferramentis adurendum eſt. Cæterùm ſuperponenda ſunt, atque in circuitu ſemper admouenda quæ refrigerent, & reprimant. Nã ferè quæ circa fiſtulam ſunt (ut Celſus ait) aliquid habent inflammationis. Signum autem, quo dignoſcimus medicamentum acre atque aduręs, ſuum effectum, quod ſatis eſt, induxiſſe, eſt, ulceris elatio ſiue tumefactio, ac trium dierum mora, ut communis uſus habet. Itaq; aduſta, & ut oportet reſiccata fiſtula, mitigatorio aliquo medicamento primis diebus utitor, ut oleo cum oui luteo mixto. Deindè ea quæ cruſtas, ferro ignito aut adurente medicamento inductas reſoluunt, ac deijciunt, admoueto: cuiuſmodi eſt, butyrum, aut aliquod aliud ſimile, pingue ac unctuoſum. Aquorum uſu non priùs deſiſtito, quàm cruſtæ deciderint, & in pus cõuerſæ fuerint. Mortificatæ autem fiſtulæ euidens argumentum eſt, cùm pus quod antè multum, & crudum apparuerat, nunc paucum, & coctum uiſitur.

Argentum uiuum ſublimatum.

Si fiſtulæ ſub cute ĩtrò tẽdant.

Quid poſt aduſtionem & reſiccationem fiſtulæ agendum ſit.

Mortificatæ fiſtulæ ſignum.

3. Tertius modus abolendi fiſtulas eſt, qui per inciſionem fit, ſine cauterio, uel actuali (ut uocant) uel potentiali. Itaque facta quemadmodùm antè proditum eſt, inciſione uſque ad fines, ſeu fundum ipſius fiſtulæ, callus totus uel unguibus, uel acie ſcalpri, uel cultro raſorio, id eſt, nouacula detrahi debet, ita ut locus, ſeu ſinus ipſe purus, & ab omni ſorde mundus appareat, quod uiuæ ac probæ carnis præſentia deprehenditur, ut docuit Auicennas. Et hæc uera eſt fiſtulæ curatio, quam ſtatim, ſi nihil obſtiterit, aggredi debemus, quoties fiſtula nobis ſananda & abolenda proponitur. Cæterùm dilatata fiſtula, atque in totum abolita, detergentibus, ſi quæ ſordes adhuc ſuperſit, & ſarcoticis, ſiue incarnantibus medicamentis uti nos oportebit: qui poſtremi duo ſcopi erant in ſanandis fiſtulis propoſiti.

Tertius modus abolendi fiſtulas.

Vera fiſtulæ curatio.

Ergo

Ergo callo fiſtulæ eliſo, atque abſumpto ſi ſordes aliqua ſubſit, mulſo, uel aqua in qua eruum coctum ſit, ſic ut huic quoque mellis paulum adijciatur, locum abluito, uel ſequenti medicamento repurgandis fiſtulis, poſt remotum callum longè accommodatiſſimo, utitor. Terebinthinæ in aqua uitæ ablutæ unc. tres, ſucci apij, ſucci cynogloſſi (quod Romani linguam canis appellãt) ſingulorum drach. ſex, mellis roſacei colati ſeſquiunciã, ariſtolochiæ rotundæ drachmas duas, farinæ lupinorum ſemunciam, co quantur ſucci & terebinthina cum melle roſaceo, uſque ad cõſumptionem medietatis ſuccorum, deinde reliqua commiſceantur. Si prædicto medicamẽto abſterſorio, myrrhæ, ſarcocollæ, radicis Peucedani aridæ, & iridis, ſingulorum momentum adieceris, optimũ incarnans medicamentum effeceris, modò ex eo turunda illinatur. Aliud Aetij Amideni experimento probatum, callum exterens & incarnans. Radicum liliorum crematarum cinere fiſtulam repleto, & callus excidet, quo ablato ſmilacem herbam ſumito, arundinibus ſe implicantem, flore candido, foliis hortenſi phaſelo ſimilibus: qua arefacta, uſta, & trita, fiſtulam replebis, & incarnabitur. Aliud aridum Magiſtriani ab eodem relatum, fiſtulas incarnans. Chamæleontis nigri radicem, pini corticem, thus maſculum, ariſtolochiam longam pari pondere terito, fiſtulæque mulſa abluta aridum applicato. Sequens quoque collyrium, à quodam chirugo noſtri temporis uſurpatum, fiſtulam agglutinat, inſigniter deſiccat, & affectæ parti robur addit. Aquæ uitæ unc. duas, uini maluatici unc. unã mellis roſacei drachmas decem, myrrhæ, radicis peucedani tritæ, utriuſque drach. duas, ſarcocollæ, aloës hepaticæ, utriuſq; ſeſquidrachmã. i. drach. unã & ſemiſſem miſceantur, deinde bulliant omnia ad ignem moderatum unico feruore, & per oricularium clyſterem, quam ſyringam uocant, injiciantur in fiſtulam. Aliud ad fiſtulas, uſque ad os attingentes, ex Aëtio. Squãmæ æris, æruginis, ammoniaci thymiamatis, portiones æquas, ex aceto terito, & paſtillum, id eſt trochiſcum conflato Deinde collyria, hoc eſt, turundas, fiſtulæ æqualia formato, & imponito. Quomodò autem oſſi uitiato & corrupto medendũ ſit, in præcedentibus diximus. Hæc igitur de fiſtulis dicta ſufficiant: ſupereſt ut de cancro ulcerato dicamus.

3. Deterſio.

Mediamẽtum fiſtulas repurgans, ac detergẽs

4. Carnis generatio.

Lib. 14.

» Mediamẽtum ad » lã exte» rens, & » incarnãs.

» Aliud fiſtulas in» carnans.

Mediamentũ ad fiſtulas longe optimũ.

Aliud. Aëtij.

De cancro exulcerato. Cap. XIX.

Ancrorum (ut in tractatu de tumoribus præter naturam diximus) alij cum exulceratione, alij citra ulcus fatigant. Ac de his quidem qui ſine ulcere moleſtant (quos Hippocra

tes latentes nominauit) abundè à nobis ſuprà dictum eſt. Itaque præſens locus poſtulat, ut de ijs diſſeramus, qui exulcerati ſunt, & adeò laborantes affligunt, ut interdum illis manum admoliri (ægris etiam ultrò id efflagitantibus) cogamur. Cæterùm quibus locis maximè accidant cancri tam ulcerati, quàm non ulcerati, ex quo humore potiſſimum gignantur, & à quibus cauſis excitentur, quibus notis deprehẽdantur, qui ex illis curationem recipiant, & qui non, atque in totum quid de illis præſagiendum ſit, fuſiſimè à nobis explicatum eſt, ubi de canceroſis tumoribus, qui citra ulcus inuadunt, egimus. Reliquum eſt igitur, ut compendioſam exulcerati ipſius cancri curationem deſcribamus.

Signa cancri ulcerati.

Sed priuſquàm id agamus, non alienum fuerit, eius notas in memoriam reuocare. Ita que in cancro ulcerato, præter dolorem, duritiem, tumorémque, ulcera eroſa, ac inæqualia conſpiciuntur, plurima ex parte ſordida, labris prætumidis, aſpectu horrenda, & concreta humorum colluuie ingrata. Quæ uerò (inquit Paulus) pura uidentur, fæculenta, liuida, atque interdum etiam ſubrubra, & cruenta apparent: ſanies inde manat continuò, tenuis, aquoſa, nigra, aut fulua, grauiter olens.

Ratio curandi cancri exulcerati. Vacuatio.

Ergo ſi eiuſmodi affectus chirurgiam, hoc eſt manus operam deſiderat à uacuatione humoris melancholici curatio auſpicanda eſt. Deinde totum carcinωma, ſi locus patiatur, prorſus reſcindendum, ſic ut

Exaſio.

nulla ſuperſit radix, ſinemúſque ſanguinem effluere, nec ſtatim eum inhibebimus. Immò preſsis uicinis partibus, craſſum ac melancholicum ſanguinem exprimemus. Poſteà alijs ulceribus ſimiliter curabimus. Hæc curandi ratio tradita & probata eſt libro decimo-

Vide Paulũ lib. 6.

quarto. method. Therap. Cuius uerba hoc loco ſubijcere placuit. Cæterùm (inquit) ſi quando cancrum per chirurgiam curare audebis,

» *cæpiſſe quidem ab uacuando per purgationem melancholico humore oportebit: ubi uerò totum quod uitiatum eſt prorſus excideris,*
» *ſic ut nulla ſuperſit radix, ſines effluere ſanguinem, nec properè eum*
» *inhibebis: imò premendo potius uicinas partes, exprimes ex his craſſiorem ſanguinem. Mox alijs ulceribus ſimiliter curabis. Hactenus Galenus. Sunt qui exciſo carcinωmate, & craſſiore ſanguine ex circunſtantibus partibus expreſſo, ferramentis igni flagrantibus locum adurunt. Alij cùm partem aliquam corporis carcinωma eiuſmodi, quod cum ulcere eſt occupauit, hoc (ſi locus non refragetur)*

Vſtio.

Cantharides.

circuncidi opus eſſe tradunt, deinde uiuotenus aduri, tritáſque cantharides

rides ex alumine & cyprino oleo ſuperponi. Alij uerò à ſectione, & uſtione quæ fit ignito ferramento abſtinentes, corroſione ualida ex adurentibus medicamentis facta uitium hoc totum extirpant, & deſtruunt. Corroſio.

Porrò medicamenta eiuſmodi ſi quando adhibenda ſunt, ualentis admodùm facultatis eſſe debent. Nam, ut ſcribit Hipp. extremis morbis, extrema remedia adhibenda ſunt. Tanta autẽ eſt huius utiij malignitas, ut mitiora planè contemnat remedia. Inter cætera autem, præſtantiſsimum ac tutiſsimum auxilium in hoc affectu Guidoni à Cauliaco prædicatur, arſenicum ſublimatum, cuius egregias dotes, ſuprà iam multoties commemorauimus, & in ſequentibus adhuc celebrabimus. Hoc (inquit Theodoricus) cancrum, lupum, eſthiomenum [hoc eſt ſphacelum, ſeu ſiderationem:] noli me tangere, fiſtulam, & omnes tales peſsimos morbos, prima die occidit, & extirpat. Carcinoma mitiora contemnit remedia. Arſenicum ſublimatũ.

Cæterùm magna locorum circunſtantium, interim dum admouetur, cura ſemper habenda eſt, ne ſcilicet eaipſa inflammatione, atque humorum confluxu, occupentur. Quod incommodum facilè deuitabis, ſi partes illas uicinas, & carcinoma cingentes, bolo armenia & id genus alijs, illeueris. Sed & modo legitimo, ſeu iuſta quantitate (quã coniectura tantùm artificiali rationalis definit medicus) adhibendum eſt, arrhenicum ipſum ſiue arſenicum (ut uocant) ſublimatum. Vbi autem effectum quem deſideras, præſtiterit (quod ex loci inflatione ſiue tumore, & mora triduana, deprehendes) dolor mitigandus erit, & cruſtæ caſus, modò, quo ſuprà docuimus procurandus. Cancro uerò ſic penitus extincto, ac radicitùs extirpato, ulcus ipſum quod remanſit, ſimiliter alijs cauis ulceribus curabis. Carcinoma autem prorſus extinctum agnoſces, ſi proba & ſana caro apparuerit, ſi & nulla uirulenta proluuies, ſe in parte affecta oſtenderit, nullaque ampliùs graueolentia, eorum qui proximè aſtant, nares offenderit. Legitimi effectus arſenicã notæ. Extincti carcinomatis notæ.

Cæterum ſoli illi cancri etiam cum ulcere conſiſtentes, curationem eiuſmodi, quæ uſtione uel ſectione fit, admittunt, qui in ſumma corporis parte hærent, quique adeò laborantes fatigant, ut ipſi ultrò (inquit Galenus) chirurgi manum efflagitent, & ſimul in talibus partibus conſiſtant, quas reſecare & exurere unà cum radicibus poſsis. Sed cùm hæc curandi ratio, non ſine graui ægrotantis periculo (ut ſuprà de cancro non ulcerato monuimus) adminiſtrari poſsit, Qui nã cancri ulcerati, uſtionem, aut ſectionẽ deſiderent.

Quibus cā cris dūtax= at adbl̄di ēdum, uera curatione omiſſa.

temerè adhuc in talibus adhibenda non eſt. Itaq; ſi in penitioribus corporis partibus, conſtituti ſunt cancri iſtiuſmodi, aut in talibus quidem conſiſtant, quas nec adurere, nec excindere unà cum radicibus poſsis, uel ſi loca principibus membris uicina occupent, uel laborans ob uirium imbecillitatem tale curationis genus ſuſtinere nō poſsit, aut forſan (quia nimis timidus ſit & puſillanimis) extrema hæc remedia ſubire non uelit, adhæc ſi ex hac curandi ratione deterius aliquod malum ſequeretur: breuiter ſi periculum ex chirurgia, id eſt, ſectione aut uſtione, timeamus, nec curari affectus aliter poſsit, ſat fecerimus, ſi hunc augeri probibeamus, proba imprimis uictus ratione, & commodis uacuationibus, ſoliſque leuibus & quaſi adblandientibus medicamentis utentes: à uehementibus uerò, & acribus (quibus malum hoc ueluti crabro irritatur, & excandeſcit) prorſus abſtinentes. Ergo imperanda ægris talis uictus ratio eſt, quæ tenuis ſit, bonúmque & minimè melancholicum ſuccum generet. Quòd ſi ob iecoris caliditatem & ſiccitatem excedentem, prohiberi non poſsit, quin craſſus & melancholicus in corpore ſanguis procreetur, cibis refrigerantibus & humectantibus erit utendū, quibus hepatis intemperies paulatim emendetur. Conueniunt itaque in hoc affectu ptiſanæ cremor, lactiſque ſerum, uinum pauciſsimū & aquoſum, piſces ſaxatiles, atque omnis generis aues, præterquàm paluſtres. Ex oleribus malua, atriplex, blitum, cucurbita, atque id genus alia. Acrium eſus, & repletio omnis uitanda. Sed & craſsior ille ſuccus qui in uenis colligitur, ex interuallo uacuandus erit, interdum purgante medicamento, interdum (niſi quid prohibeat) uenæ ſectione. In mulieribus quoque, ſi quidem liceat per ætatem, menſes euocandi, atque etiam in uiris hæmorrhoïdes (ſi eas pati conſueuerunt) proritandæ. Loco autem affecto imponenda remedia ſunt, quæ dolorem leniant, & ita ipſum firmare poſsint, ut nihil redundantiæ humorum amplius excipiat: quæ item refrigerent & exiccent, minimè uerò mordeant aut irritent. Cuiuſmodi ſunt ſolani ſuccus, uel aqua deſtillata, cùm ſucci copia non eſt, plumbum uſtum & elotum, unguentum album, unguentum ex litharg yro & plumbo uſto, item medicamentum quod ex pompholyge, uel chalcite conſtat, aut alijs id genus metallicis uſtis & elotis. Aquæ etiam (ut uocant) camphoratæ, ſimiliter & ſucci in mortario plumbeo ducti, huic uitio efficaciſsimè admouentur. Laminæ quoque plumbeæ maximo & pene incredibili uſu cancris ipſis exulceratis ſuperinducuntur. Modus autem uſus ſucci ſolani (quod medicamētum eiuſmodi affectibus utiliſsimum eſſe ſcribit Gale.) talis eſto. Solani ſucco linteū molle

Vict° ratio in cancro ulcerato ob ſeruanda.

Sucus melancholicus ex interuallis uacuādº.

Quæ loco affecto īponenda.

Sucus ſolani.

Lamina plūbea.

Modus uſus ſucī ſolani.

molle duplicatum imbuito, & loco affecto imponito. Extrinſecùs lanam molliuſculam eodem ſucco madentem linteo circundato, atq; hæc, ne ſiccęſcant, eo ſucco ſubinde irrigato. Hoc remedium loco dolenti inductum ſine dolore ac moleſtia (inquit Paulus) exulceratis cancris ſubuenit. Plurima medicamenta compoſita à Galeno, Paulo, Celſo & Aëtio, ad hunc uſum conſcripta ſunt, ex quibus duo hæc ſelegimus. Argenti ſpumam, & ceruſam in plũbea pila, cũ oleo roſaceo in ſole tãdiu per cõterito, dũ plũbi colorẽ, unguẽtũ quod ex his fit, acquiuerit. Aliud quod magnoperè ꝓbo, recipit plũbi uſti & eloti, põpholygis, thuris, ſinguloru unc. quinq;, abſinthij unc. unã, olei roſacei ſelibrã. i. libra ſemis: ceræ ſeſcunciã. i. unc. unã ſemis, ſucci ſolani quod ſufficit, ad unguẽti craſſitudinẽ. Inſigniter aũt leniunt. ſolantúrq; plurimum in ipſis exacerbationibus, & cruciatus tempore malua, aut altbea (quam biſmaluã appellãt) in mulſo ſubacta liquefactá ue, & roſacei paululo leuigata, inſtárq; cataplaſmatis illita. Ad hæc cataplaſma ex ficubus aridis, meliloto, quã Latini ſertulam campanam uocant, ruta, thure, buniade herba. i. napo, diligenter cum oleo contuſa. Lenit item cataplaſma quod conſtat palmularum dactylis in paſſo decoctis, quibus adiecta ſint ouorum lutea, polentáq;. Adhæc quod ex papauere cum coriano factum eſt, aut polygono, aut ſeri, hoc eſt, cichorio: hæc quidem in doloribus uſui ſunt. Multi (inquit Guido) mitigant eius fraudulentiam & lupacitatem, (ita enim loquitur) cum pecia ſcarlati, & appoſitione carnium gallinarum. Hinc uitium hoc ideò lupum appellari uulgus putat, quoniam carnes unius gallinæ ſi apponantur, quotidie ferè abſumit & deuorat. Quòd ſi forſitan eiuſmodi gallinaceæ carnes uel ſimiles illi pro pabulo non offerrentur, carnes ſibi proximas, ceu lupus quidam famelicus, ad eãdem quantitatem depaſceretur & exederet. Quidam huic malo ueluti adblandiuntur, admoto puluere ſtercoris humani, & anethi igne concrematorum. Item appoſitis quibuſdam herbis, ut ſcabioſa, trifolio, uerbaſco. i. tapſo barbato, & herba robertiana nũcupata, quæ quibuſdam myrrbis Dioſcoridis eſſe putatur. Cæterum utcunq; res habeat, commemorata nuper remedia, (quoniam ferè temperata ſunt) ſi magnopere non proſint, nocere ſaltem non poſſunt.

Vnguentũ ad cancros ulcerates.

Aliud longè optimũ.

Malua.

Altbea.

Cataplaſma leniens.

Aliud.

Aliud.

Cancer ulceratus aut quibuſdam Lupus appellatur.

Herba Roberti.

FINIS LIBRI TERTII CHIRVRGICARVM
53 *inſtitutionum, de ulceribus. Ioanne Tagaultio Doctore medico authore.*

Generalis diuiſio fractu-

RARVM, IN LIBRVM QVARTVM INſtitutionum chirurgicarum, Ioannis Tagaultij Medici.

Fracturæ, quæ Græcis κάταγμα dicitur, differentiæ.

Simplices,
Compoſitæ.

Simplices fracturæ differentiæ, plures ſunt. Aliæ enim fiunt

Καυλικὸν, Ραφανιδ᾽ὸν, Σικυιδ᾽ὸν } Id eſt, ad { Caulium, Raphani, Cucumerum } fractorum ſpecies ac ſimilitudinem, per trãſuerſum.

Ὀχιακιδ᾽ὸν, id eſt quaſi aſſeris modo, per longitudinem.

Εἰς ὄνυχα, id eſt in unguis formam.

Αλφιτιδὸν, id eſt, ad ſimilitudinem farinæ, uel pollinis, quando ſaliæt os in multas tenues partes cõfringitur.

Κατὰ ἀποθραυσιν id eſt, iuxta abruptionem. fit cùm pars oßis per ſuperfiãei abruptionem detrahitur, ac reædit.

Compoſitæ fracturarum differentiæ, ſeu potiùs implexus cum alijs morbis & ſymptomatis.

Fractura cum uulnere.
Fractura cum inflammatione.
Fractura cum gangræna.
Fractura cum dolore.
Fractura cum pruritu.
Fractura cum fragmento oßis eminente.
Fractura cum contuſione.
Fractura malè ferruminata.
Fractura cum callo nimium excreſcente.
Fractura cum nimia calli ſiccitate, & duritie.
Fractura cum ſuperflua calli humiditate.

Sunt & aliæ fracturarum differentiæ Albucaſi, & recentioribus chirurgis, à locis in quibus conſiſtunt deſumptæ, quæ tamen propriè differentiæ dici non debent, ut,

Fractura in caluaria.
Fractura in maxillis.
Fractura in naribus.
Fractura in clauiculis.
Fractura in ſpina dorſi.
Fractura in oßis
Fractura in ſcapulis.
Fractura in humero.
Fractura in brachio, id eſt, cubito & radio.
Fractura in femore
Fractura in crure ſiue tibia.
Fractura in patella ſeu rotula genu.
Fractura in digitis, tum pedum tum manuum.

INSTITVTIONVM Chirurgicarum Ioannis Ta

GAVLTII, DOCTORIS MEDICI, DE FRACTVRIS, LIBER QVARTVS.

Quid fractura, & quæ ſint eius differentiæ. Cap. I.

VAndoquidem tribus libris ſuperioribus, de uitijs chirurgiæ ſubiectis, quæ carnoſis & mollioribus corporis partibus accidunt, abundè ſatis dictum eſt, ordo iam poſtulat, ut de alijs quæ oſsibus contingunt, hoc eſt, fracturis & luxationibus, diſſeramus: hæc enim Chirurgiæ generi etiam ſubijciuntur. Ac primùm quidem de fracturis agemus, quas etiam Hippocrates luxationibus antepoſuit. Eſt igitur fractura, ut in uniuerſum dicatur, unitionis, ſiue cõtinuitatis ſolutio quæcunq; in oſſe, quam Græci proprio nomine & omnibus ſuæ gentis hominibus uoto, catagma uocant ut Galenus ſexto methodi medendi, & aliis pleriſque locis teſtatum reliquit. Paulo uerò Aeginetæ, atque aliis poſterioris medicinæ Graiis ſcriptoribus, fractura oſsis eſt diuiſio, aut ruptura, aut præciſio, diſciſsióue, à uiolẽtia quadam extrinſecus irruente accidẽs. Guido à Cauliaco, & alii quidam ætatis illius medici, fracturam definiũt, continuitatis ſolutionem in oſſe, nõ à qualibet re factam, ſed ab ea tantùm, quæ ẽcontundit. Vt uera ſit (inquit) prima differentia ſolutionis oſsis, quòd quædam eſt inciſa, quædam contuſa, oſsium enim diuiſionem quæ inciſione fit, nõ fracturam, ſed oſsis uulnus appellant. Cæterùm plures fracturarum eiuſmodi differentiæ ſunt: aliæ namque ſimplices ſunt, aliæ compoſitæ. Ex ſimplicibus quidem aliæ ſunt, quæ fracti oſsis partes iam prorſus ſeparárunt, eaſque cauledon, raphanidon, atque etiam ſicyedon factas Græcè dicunt, hoc eſt, ad caulium, raphani & cucumerum fractorum ſpeciem ac ſimilitudinem. Manifeſtum autem eſt eiuſmodi oſsium diuiſionẽ tranſuerſim per craſsitudinem fieri. Hæc quibuſdam uirgalis & tranſuerſalis nominatur. Aliæ uerò fiunt ſchidacidon, quaſi aſſeris modo: hæ autem per longitudinem magis fiunt, dicuntúrque oblongæ oſsis fiſſuræ. In ijs non omninò ſeparantur à ſe partes ſic affecti oſsis, ſed uelut

Fractura quid. κάταγμα

Paulus.

Guido à Cauliaco.

Simpliçes fracturæ differẽtiæ.

Fractura ſchidacidõ facta.

luti per rectitudinem finduntur. Præter has aliæ quædã adhuc ſimpli-
Aliæ fractu rarum differentiæ. ces numerantur fracturæ differẽtiæ, quarum aliæ Græcis dicũtur fieri, εἰς ὄνυχα, id eſt, ad inſtar unguis, aliæ alphitidon, id eſt, ad farinæ uel pollinis ſimilitudinem. Aliæ κατὰ apothrauſin, id eſt, iuxta refractionem, ſeu (ut alij interpretantur) abruptionem. Fractura quæ εἰς ὄνυχα, id eſt, in unguis formam fit, fiſſura eſt oſſis, quæ cùm aliqua in parte recta ſit, in extremo tamen lunata euadit. Atque hæc etiam calamidon, id eſt, harundinatim ab aliquibus nuncupatur. Alphitidon ad ſimilitudinẽ farinæ uel pollinis dicta, eſt cùm os in multas tenues partes confringitur, quæ & ipſa caryedon, id eſt, nucatim, à quibuſdam uocatur. Apothrauſis, quæ & apocope dicitur, id eſt, abſciſio ſeu præciſio, eſt cùm pars oſſis per ſummitatis rupturam, ſeu ſuperficiei abruptionẽ detrahitur, ita ut pars ea quæ detracta eſt, & receſſit, ſuper emineat, ut ferè fit cum ſquamula ab oſſe reſoluitur. Cæterùm hæ fracturarum differentiæ curioſè nimis (ut Galenus inquit) atque ambitioſè, à medicis Hippocrate iunioribus, ijs proprijs nominibus interpretatæ ſunt. Non contenti enim fuerunt oratione, os quod uarie ſeu multifariam ſit fractum, explicaſſe. Ab huiuſmodi autem appellationibus, omnino abſtinuit Hippocrates, ſed quoàd fieri licuit, uſitatiſsimis utẽs nominibus, oratione interpretari non eſt grauatus, non has modò fracturarum differentias, uerumetiam quæ in capitis oſſibus eueniunt. Breuiter duo potiſsimæ ſunt fracturarum differentiæ ſimplices Galeno, à quibus curandi indicationes ſumuntur, nempe quæ per tranſuerſum, & quæ per longitudinem facta eſt. Cornelius Celſus tertiã addidit, quæ ſcilicet obliquè fit. Omne (inquit) os, modò rectum ut lignum in longitudinem finditur, modò frangitur tranſuerſum, interdum obliquum. Cæterum oſſis fracturæ, nonnunquam carnis quoque uulnus accedit, ſed potiſsimum cùm oſſa multifariàm fracta ſunt, ſæpe etiã dolor ingens, & interdũ inflãmatio. Contingit etiam aliquando ut aliud os ſuper aliud efferatur, & ex oſſe malè ferruminato ac commiſſo, ueluti tophaceus aliquis nodus relinquatur. Horum autem affectuum & ſymptomatum cum oſſium continuitatis ſolutione complexus, compoſitas fracturæ differentias, iuniores medici uocaueruut, cùm tamen propriè differentiæ non ſint. Quandoquidem quod ſeorſum & per ſe conſiſtere poteſt (ut alibi ex Galeno diximus) nunquàm alterius erit differẽtia. Vulnus autem, dolor, inflammatio, & id genus alia ſeorſum, & per ſe conſiſtere poſſunt. Proinde ueræ fracturarum differentiæ, & à propria ipſarum natura deſumptæ, nec reuerà ſunt, nec rectè dici poſſũt. Quòd ſi quæ à loco quoq;, ſeu parte

Fractura ungularis.

Fractura alphitidon fracta.

Fractura κατὰ ἀποθραυσιν fracta.

Duæ ſunt potiſsimæ fracturarũ differentiæ ſimplices.

Compoſitæ fracturæ differentiæ.

Meth. 3.

ſeu parte in qua eſt fractura, differentias cenſeas, ueluti ſi nares, aures, maxillæ, coſtæ, clauiculæ, caluaria, ſpina dorſi, humeri, brachia, femora, crura, digiti, fracturam patiantur, fuerint profectò & ipſæ fracturarum differẽtiæ Albucaſi: non utiq; à propria ipſarum natura, ſicuti neque præcedentes, deſumptæ, ſed à locis, in quibus cõſiſtũt. Verùm enimuero quoniam ab ijs omnibus ſuprà commemoratis agendorum ſumuntur indicationes, donemus eas cum recentioribus medicis & chirurgis differentias appellari.

De cauſis, ſignis, & iudiciis fracturæ in vniuerſum. Cap. II.

CAVSAE. *Cauſæ fracturarum internæ nullæ ſunt, externæ uerò ea omnia, ut breuiter dicam, quæ contundere, uel diuidere oſſa poſſunt. Quæ contundunt, ea dura grauiáq;, & mole non exigua ſint oportet, uehementíque impetu deferri ac irruere. Oſſa diuidunt quæ uulnerando incidunt: item caſus ab alto, præſertim ſi oſſa ſicciora ſint, nec admodùm craſſa. Fractura quoq; oſſibus interdũ accidit ex circũtortione in luctãtibus: ut ſi tibia ſiue crus Dioclis, cruri aduerſarij Socratis cum eo luctantis per tranſuerſum ſuppoſita ſit, ita ut utraq; eius capita, & iuxta pedem, & iuxta genu deorſum uehementer deprimantur, os proculdubio tibiæ ipſius Dioclis, præſertim ſi infirmum ſit naturâ, hoc luctationis genere medium diſrumpetur, ſeu ſi mauis frangetur. Id quod in lignis quoq;, quæ à nobis ipſis circumtorquẽtur, uidere licet. Si enim lignum aliquod neq; magnum neq; ualidum, ſed paruum & imbecillum ſupra femur tuum impoſitum, ex utroque capite deorſum uehementer manibus urgeas, ſtatim id in media parte frangi aſpicies.* SIGNA. *Signa aut oſſis fracti, & præſertim per tranſuerſum, atq; in artubus, hæc ferè ſunt. Tactu oſſis partes diſunctæ ſeparataeue ac uariæ reperiuntur, membri figura inæqualis percipitur: dũ membrũ dimouetur, & manu uariè tractatur, oſſa colliduntur, & ueluti crepitus quidam ex ea colliſione auditur. Pars afflicta, contacta dolet, corpus membro fracto haudquaquàm inniti poteſt: cauſæ quæ frangunt, aut contundunt, præceſſerunt. In oſſe uerò quod per longitudinem fractum eſt, ſubſtantiæ eius craſsities non naturalis tactu percipitur, cætera ſigna nõ adſunt, præterquàm quòd dolor & inæqualitas iudicio ſenſus etiam deprehenduntur.*

IVDICIA. *Prognoſtica. Oſſa minimè periculoſè media franguntur in humeris, brachijs, femoribus, cruribus, & digitis. Quò autem propior fractura*

capiti

capiti uel ſuperiori, uel inferiori ipſius oſſis, eſt, eò peior iudicatur. Nã & maiores dolores adfert, & difficiliùs curatur. Ea itidẽ quæ in artuũ uicinia eſt, curatu difficilis eſt, uel eo potiſsimũ nomine, quòd commodè ligari non poſsit. Atque hæc ut plurimum motum relinquit difficilem. Maximè tolerabilis eſt, ſimplex tranſuerſa, peior ubi fragmenta, atque ubi obliqua. Peſsima ubi eadem acuta. Nam & carnem uulnerant, interdum neruum quoque, aut muſculum. Fractura quæ cum dolore uel inflãmatione, aut carnis cõtuſione incidit, mala eſt. Quippe quæ inſtaurari non poſsit, donec ea prius curationẽ receperint. Si oſſis fracturæ, carnis quoque nullus acceſsit, in malo etiam æger eſt, maximéque ſi id muſculi femoris, aut humeri ſenſerunt. Nam & inflãmationes multo grauiores, & (ut inquit Celſus) prõptiores cancros habẽt. Adde quòd in eiuſmodi fractura, neq; ferulis neq; canalibus (inter quæ uulnus ſaneſcere nõ poteſt) uti poſsumus. Sed nec primis faſcijs, quas Hippocrates ὑποδεσμίδας, id eſt, ſubligamina uocat, uulnus contegendum eſſe uolunt, tum huius ætatis chirurgi, tum qui ſeculo Hippocratis fracturas curabant. Itaq; ulcere non deligato, hinc & inde, hoc eſt utrinque ab eo faſcijs circumiectis quâ ulcus eſt, feneſtellam relinquunt, per quam medicamenta uulneri accommoda imponant. Quem deligãdi modum damnat ille medicorum princeps & anteſignanus Hipp. libro quem de fracturis inſcripſit, cúmq; lemmatis ac rationibus non abſurdis quidem, aut probabilibus tantùm, ſed ſcientificis quoq; & neceſſarijs, inutilem erroneum, prauúmq; eſſe conuincit ac demonſtrat. Si brachium aut crus fractum eſt, bonum eſt alterum ſaltem os integrum manere. Altero namque oſſe integro manente, neceſſè eſt neruos ac tendines minùs contrahi, quippe qui ab integro ipſo oſſe & non comminuto adhuc intendantur. Adde quòd curioſiùs omnia in continendis oſsibus fieri debent, ubi utrunque os fractum eſt, & neutrum alteri auxilio eſt. Itaq; ſi alterum os integrum manet, plus opis in eo quàm in faſcijs, ferulíſque eſt. Cor. Celſus memoriæ trãdidit ignorari minimè oportere, ſi femur perfractum eſt fieri breuius, quia nunquàm, inquit, in antiquum ſtatum reuertitur, ſummíſq; digitis poſteà cruris eius inſiſti. Quod equidem à ratione, & experientia, ab ipſúſq; Hippocratis ſententia prorſus eſt alienum. Non enim quoties femur frangitur, protinus neceſſario ipſum breuius efficitur. Sed duntaxat ſi ſtatim quàm fractum eſt, minùs quàm par ſit, à chirurgo diſtentum fuerit, uel tortuoſè diſtractum, & ſeparatæ ac diſtantes inter ſe oſsis cõfracti partes, nõ rectè atq; adamuſsim, priuſquàm ferrumen impleant, coaptatæ extiterint. Tunc enim & breuius femur redde-

tur, &

Per cãcros hic gãgrenã etſphacelũ ĩtellexit, ſicuti & alijs quibuſdam locis.

Locꝰi Cor. Celſo, aut falſus, aut mancus.

tur,& crure eius partis claudicabit homo. Sic autem de hac re lib. de fracturis ſcripſit Hippocrates. At uerò ſi femoris os fractum ſit, extenſio imprimis diligenter faciẽda eſt,ne minùs quàm debeat efficiatur. Amplior enim ſi ſit,nullam læſionem affert. Verum quoque eſt, ut in eodem opere idem teſtatur Hipp. quòd quibuſcunque utraque uel tibiæ uel cubiti efracta oſſa fuerint, illa breuiora effici. Quod ſanè intelligendũ eſt,nempe ut Gal. interpretatur,niſi ante conformationem extenſio debita adhibeatur, & commoda deligatione oſſium coaptatio ſeruetur,quoàd callus obducatur: tunc enim non ſolùm in maiorem tumorem, quàm naturaliter conueniat, membrum illis attollitur, uerumetiam breuius propter retractos muſculos efficitur. Sed hæc præſagia particularia ſunt. Porrò in quadrupedibus, præſertim ueterinarijs, non omninò eadem eſt de fractis præſagiendi ratio,quæ in hominibus. Nam ſi quadrupedis poſterioris radiũ fregerit, præſertũ mulus aut aſinus: ijs quòd medulla careant,quamuis ſanguinis compotes ſunt, nunquàm ſolideſcit. Quæ ſupra genua fracturam ſenſerunt,ut deplorata non continges. Siquidem ea nunquàm ferruminantur. Si femur fractum ſit, in periculum uenit, ſpéſq; ſaluris in anguſto eſt. Fractis armis, nullus medicinæ locus. Nam neruorum diſtenſio ſequitur, quæ caput ſcapulis annectat. Vix unquàm ſanitas contingit,ſi fracturæ uulnus aut luxatio coniuncta ſit. Si uerò coſta perfringatur, facilis medendi ratio eſt. Fracturæ quæ calloſo ferrumine coaluit, nunquàm urens medicamentum admouebis: quandoquidem eo callus ille tophaceus reſoluitur, nec ullam ferè medicinã ſentit. Hæc & quædam alia de fracturis ueterinorũ,Hierocles & Apſyrtus ueterinarij medici,nobis ſcripto reliquerunt. Fractura ſiue in quadrupede, ſiue in homine ſit quo uetuſtior eſt,hoc eſt, quò tardiùs fracta oſſa ut oportet cõmittuntur, eò deterior efficitur. Quandoquidem & callus illic gignitur, & ſpatia ipſa inania, aliena quadam ſubſtantia opplentur. Quo fit ut dum inſtauratio molienda ſit, maiore ac ualentiore multo extenſione ſit opus. Magna autem & ualens eiuſmodi extenſio, non rarò conuulſionem inuehit, ut alicubi teſtatus eſt Auicennas. Fracturæ non pari dierum numero in omnibus oſsibus ferruminantur, ſed in aliis tardiùs,in aliis citiùs. Caluaria triginta quinque diebus glutinatur. Brachium & tibia ſi ritè curentur, diebus circiter quadraginta occaleſcunt. Firmatur cubitus diebus plurimùm triginta. Si in naribus os perfractũ eſt,decem & octo dierũ ſpacio conſolideſcit. Coſta poſt unũ & uigeſimũ diẽ Celſo,aliis nõ niſi poſt uigeſimum octauum, ferrumẽ implet. Ferè etiam intra decimum quartum,&

Prognoſtica quædã de fractura in uermis.

tum & unum & uigeſimum diem ſaneſcunt: maxilla, iugulum, ſcapula, os tali, calx, manus, planta. Inter uigeſimum ſeptimum, & quadrageſimum, humeri & femina. Coxa uerò diebus quinquaginta coaleſcit Hippocrati, pes eidem ſexaginta dierum ſpatio, ſi quieſcat: conſaneſcit. Et ita de aliis pro fracti cuiuſque oſſis natura dicendum eſt. Quinetiã confert aliquid ad celerem aut tardam ſanationem, & ætas, & corpus, & uitæ propoſitum, & anni tempus, ut & de uulneribus dictum eſt. Proinde in iis nihil certum aut perpetuum eſt. Factionis Arabicæ princeps Auicennas affirmabat oſſium agglutinationem in bilioſis, conualeſcentibus, & primis ſenibus, difficillimam eſſe: in decrepitis uerò ac ualde ſenibus, impoſſibilem. Cæterùm coſta aliquando tota, interdum non tota frangitur: nempe cùm pars eius interior (quæ rara eſt) duntaxat læditur, ſummo oſſe manente integro. Si tota coſta perfracta eſt, caſus aſperior eſt. Nam & graues inflammationes, & febris, & ſuppuratio, & ſæpe uitæ periculum ſequitur, & ſanguis ſpuitur. Narium fractura peior eſt, ubi aut oſsi, aut cartalagini fractæ, cutis quoq; uulnus acceſsit. In cranii fractura malum portendunt, membrana immobilis, nigra uel liuida, uel aliter coloris corrupti, dementia, acris uomitus, neruorum uel reſolutio, uel diſtentio, caro liuida, maxillarum rigor atque ceruicis. Spem uero certam faciunt membrana mobilis, ac ſui coloris, caro increſcens rubicunda, facilis motus maxillæ, atque ceruicis. Cætera quæ ad ſomnum, cibi deſiderium, febrem, puris colorem attinent, eadem quæ in cæteris uulneribus, uel ſalutaria, uel mortifera ſunt.

Notæ mali aut boni indices i fractura cranij

Quæ agglutinationẽ remorãtur in fractis oſſibus.

Ferrumen ſeu agglutinationem in oſsibus remorantur, multa ex aqua calida perfuſio, crebra ſuperpoſitorum mutatio, feſtina nimis ac præpropera membri affecti dimotio, nimia coarctatio, & quæ parti oblæſæ (alimenti in eam diſtributionem prohibẽdo) atrophiam inducit. Sanguinis quoque uiſcoſi penuria. Item & fragmenta quæ remanſerũt.

Oſſis fracti rectè cõmiſſi notæ.

Oſſa quæ fracturam experta ſunt, rectè commiſſa eſſe, teſtantur, æqualis membri perfracti compoſitio, & figura naturalis, ſi alteri ſibi compari, nihil noxæ perpeſſo, conferatur: dolor ſublatus, ac ueluti quidam uoluptatis ſenſus, ſanguinisquoque ſolerti quadam naturæ prouidentia, ad fracturæ locum expulſi, apparitio. Proinde non minùs uerè quàm communiter, dici ſolet, quòd tumor membri perfracti, poſt primam eorum quæ fracturæ admota ſunt mutationem, ſine magno dolore apparens: atque ubi fracti oſſis partes rectè concurrerint, & in naturalem ſitum aptatæ fuerint, euaneſcens, certam ſalutis ſpem pollicetur. Sed iam tempeſtiuum eſt fracturæ in uniuerſum curandæ ueram

ram methodum,quámque ipſa rei natura præſcribit,tradamus.

Generalis curandæ fracturæ methodus. Cap.III.

AVoniã fracti oſsis ſoluta partium cõtinuitas eſt,utique(inquit Gale.) finis quò tendet is qui fracturas curabit, ſaltẽ primus unitio eſt. Quòd ſi is primus in curatione propoſitus finis per affectarum partium ſiccitatem perfici non poſsit,reſtat alter,qui eſt ut alterius cuiuſdam interuentu diſiunctæ oſsis partes glutinentur. Qui ſi nec ipſe comparabilis aduertitur,inſanabile eſſe uitiũ dixeris.Quod igitur coaleſcere(ſaltem per ſe & nullius alterius ope)nequeat tam durum os,quàm id quod in iuuenibus & adoleſcentibus,& uiris,multóque magis in ſenibus cernitur, id profectò (inquit Galenus) uel cuiuis patere poteſt. Quæcunque enim concreſcere ac coaleſcere debẽt,omnino mollia humidáque ſint naturaliter oportet. Quæ igitur dura ſiccáque ſunt,eorum diuiſæ partes coire ſimul nequeunt,ſed glutinum aliquod uinculúmue,quo commiſſa maneãt, requirunt. Itaque poteſt certe illud os tantùm unitionem per ſe,& nullius alterius interuentu recipere,quod abundè molle eſt,cuiuſmodi conſpicitur in puerulis: in adultis uerò,& ſiccioribus corporibus,ſeparatæ fracti oſsis particulæ,nõ per ſe unquam,ſed ſubſtãtia dũtaxat quapiam interueniente,ceu glutino quodam,ferruminari colligarique ſecum poſſunt. Interuenit autem ea ſubſtantia, quoniam omnis particula ſibi familiare trahit alimentum, os autem craſsius ac terrenum magis quàm aliud quoduis noſtri corporis membrum,alimentum ad ſe allicit, exugitque. Quod autem ex hoc ipſo proprio ac maxime idoneo oſsis alimento redundat,& in labris fracturæ cõcreſcit, ſuo ipſius interuentu oſsis extrema dura licet & ſicca cõglutinat,ut ſæpe uſu euenire conſpicimus. Vocatur autẽ corpus id, quod ſic fracturis innaſcitur, Græcis τῶρος, Latinis uerò callus, qui (ut ſuprà de uulneribus oſsiũ dixi-mus) mediocritatem in craſsitie, & tenuitate,duritie etiam ac mollitie ſeruet oportet. Sed de hoc adhuc in ſequentibus. Age igitur dicamus, quomodo finem hunc primum, quo tendit is qui fracturam curat, nempe unitionem aſſequi ualeamus, initium quidem facientes ab ea fracturæ differentia,qua per tranſuerſum os frangitur,& ſuo loco excidit. Quandoquidem hoc fracturæ genus ſæpius incidit. Itaque quatuor me hercle intentionibus,in hac fracturæ differentia curandà, eſt opus,quas & ſcopos appellare poſsis. Prima intentio eſt,ut fracti oſsis partes rectè cõmittantur,& in naturalem ſitũ coaptentur. Secun-

Vnitio, finis primus quò tendit is qui fracturam curat.

Quorũ fracta oſſa coaleſcere non poſſunt: & quorũ poſſunt. Libro.6. Metho. medendi.

Pari.i.calli ſubſtãtia unde naſcatur

Calli mediocritas.

Scopi quatuor,in curanda fractura, quæ per trãſuerſum facta eſt, medico proponũtur.

2. da,ut ritè commiſſa oſsis perfracti extrema, coniuncta atque immota maneant. 3. Tertia ut τὸ ἑῤῥῶ, ſeu (ut dicimus) callo interueniente diſiunctæ oſsis partes agglutinentur,coaleſcáque. 4. Quarta eſt ſymptomatum,hoc eſt accidentium,quæ fracturam ſequi cõſueuerunt, correctio. 1. Quod ad primã intentionem attinet, cùm in hac fracturæ differentia quam κατὰ πλάτος καὶ ἐπιφάνειαν, id eſt,per tranſuerſum fieri diximus,ſic à ſe fracti oſsis partes diſsideant,ut è directo nõ iaceant,clarũ eſt primum id eſſe agendum ut in directum agantur. Directum autem hîc uocamus,quum in figuram priſtinam naturalémque ſitum reducuntur. Sanè (inquit Galenus)eum ſinum habuerint,ſi quis ea quæ ſic diſſident integræ partis exemplo uſus, in contrarium adducat. A qua nimirum certiſsima iudicatio tranſpoſitionis eorum erit. Fieri enim poteſt,ut tum prorſum,tum retrorſum,tum in hanc partem membri, tum in illam facta tranſlatio ſit. Quæcunque igitur retrorſum magis ſunt acta,ea prorſum impelli conueniet. Nec minus alteram quoque fracti oſsis partem modicè ad contrariũ retrudi. Contrà quæ prorſum ſunt emota,hæc rurſus ipſa quidem retrorſum, reliquam uero partem ſenſim duci prorſum. Eodem etiam modo, & eorum quæ ad dextrã ſunt detorta medicatio eſt:ſi ad ſiniſtram ducantur,contráque eorum quæ ad ſiniſtram,ſi mutentur ad dextram,ſemper ſcilicet altera parte modicè in contrarium acta. Guido à Cauliaco (præmiſsis quil uſdã præceptis communibus, quæ hic ſuo loco referemus) quomodo primam hanc intentionem aſſequi poſsis, uerbis non adeo multis perſtringit. Itaque iubet imprimis membrũ perfractum,[ſi oſsa ſuis ſedibus(quod ſæpius contigit) exciderint, aliúdque ſuper aliud efferatur,& muſculi ad capita ſua retracti ſint] decenter intendendum eſſe. Deinde os depreſsum attollendum,& eleuatum deprimendum, atque id quatenus fieri licet ſine dolore,donec oſsis fracti fines rectè concurrant,& in naturalem ſitum coaptentur. Neque enim unquàm fracta eiuſmodi oſsa, & ſuis etiam ſedibus mota,in ſuum locum ueniunt,niſi illa per uim aliquis intendat. Intẽdere autem digitũ,uel aliud quod, membrũ ſi adhuc tenerum eſt,etiam unus homo poteſt,cùm alteram partem dextra,alteram ſiniſtra apprehendit. At uerò ualentius membrum duobus eget, qui in diuerſa cõtendant. Si firmiores nerui ac tendines ſunt,(ut in uiris robuſtis, maximéque eorum feminibus & cruribus euenit) habenis quoque uel lineis faſcijs utrinque capita articulorum deliganda,& per plures in diuerſa ducenda ſunt. Cauendum autem ſemper eſt, ne immoderatius confractum membrum extendatur. Immoderata enim diſtentio

Rectæ partium fractarum inuicẽ cõmiſsio,& coaptatio. Lib 6. Methodi.

Hippo. lib. de fracturis

Guidonis præcepta de reductione fracturæ. Cel.lib.8.

diſtentio in duris præſertim & ſiccis corporibus, uehementes dolores, febres, conuulſiones, & reſolutiones interdũ inducit. Quin etiam per eam diuelli ac diſrumpi muſculorum, ac neruorum fibras aliquando contingit. Proinde ſumma in hac re prudentia opus eſt. Igitur ægro in ſedili collocato, uel reſupinato potius, ut Sorano placuit, miniſtris duobus iubebimus, huic, ſupra fracturam, illi, infra digitos circumponant, atque ſic tentionem perficiant. Quòd ſi ualentiore opus ſit intentione, non ſolùm manibus, ſed etiam, ut diximus, habenis aut funibus intendere aggrediemur. Ergo duos funes æquales confracto membro, uerbi gratia brachio aut cruri circundamus: unum, ſuprà fracturam: alterum, infra: atque uni miniſtro ad ægrotantis caput conſiſtenti, alteri iuxta pedes, capita funium tradentes, iubebimus in diuerſa membrum perfractum diſtendere. Vbi paulò longiùs, quàm naturaliter eſſe debet, membrum, uis fecit, diſtentio remittenda eſt, ac tum demum oſſa manibus in ſuam ſedem cõpellenda ſunt. Oſſis autẽ repoſiti certũ indiciũ eſt, dolor ſublatus. Cæterũ oſſibus fracturæ iã ſic probè coaptatis, iuxta Hippocraticã conſuetudinẽ membrum deligãdum erit, ut ſtatim ſubiungemus. Modus alius reducendi oſſa fracta in ſuum locum & naturalem ſitum per diſtentionem, libro de fracturis traditur ab Hippocrate, qui & à Paulo refertur libro ſexto ſui operis de re medica, quo etiam ſi uelis, & parata habeas quæ deſcribit inſtrumenta uti poteris. Sed hic modus quem ſuprà poſuimus longe facilior, & magis ad manum eſt. Atque eo etiam Soranus medicus utebatur, éſtque hodie apud nos in frequentiore uſu. Oportet igitur (ut ſummatim dicamus) aut manibus ipſis, utique ſi confractum membrum exiguum eſt, aut uinculis impoſitis, ſi maius eſt, & ualidiore tractu opus ſit, aut eiuſmodi inſtrumento quod nobis Hippocrates deſcripſit, antitaſim oſſium facere, hoc eſt retrorſum ea trahere, ut è directo cõmittantur, exactáq; eorum coniunctio fiat, ſic ut priſtinam unionem imitentur. Poſteà uerò quàm abundè retracta fuerint, & nullus amplius ſuperſit metus, ne ſe in adducẽdo contingant, tum in directum opponere, uinculáque relaxare, ac muſculis ipſis diductorum in idem cõmiſſionem permittere opus eſt. Interim uerò (ut rectè Galenus admonet) teipſum quoque qui operi præes, manibus ſubſeruire expedit, ac ſicubi aliquid paulùm ſubſultet, ac promineat, corrigere atque formare. Cæterùm in adducendis ſic, ut ſuprà expreßimus, contrario motu partibus, ne aliquæ frangantur oſſium extantiæ, non leue periculum eſt. Non enim ueluti (inquit Galenus) in ſerra deſectis uiſitur, læuis eſt ſemper utriuſque partis finis.

Aeger quo modo collocandus, in fractis artubus.

Diſtentio quando remittenda.

Anacephaleoſis.

Lib. 6. Therap.

Oſsium extantiæ.

nis. Quòd ſi illæ (oſsium inquàm extantiæ) fortè fortuna frangantur, non poterunt adamuſsim ſecum coaptari fracti oſsis fines, tum quia forſan fragmenta inter partes uniendas intercideriint, tum etiam quòd quidpiam oſsium fortè extrà ceciderit, & comminutum perierit, unde ſpatia inter applicata ſimul oſſa, maneant inania: in quæ ſanies collecta, atque temporis tractu putreſcens, totum pariter membrum ſecum corrumpet. Atque hæc tractandæ fracturæ ratio omnibus propemodum confractis artubus cõuenit, ubi præſertim oſſa fracta ſuo loco (ut ſæpius contingit) exciderint, aliúdque ſuper aliud effertur. Neque enim ſemper dum frangumtur oſſa ſuis ſedibus moueri contingit, ſed interdum fracta in ſuo loco, ac naturali ſitu remanent. Quòd ante omnia (ut nos admonet Celſus) conſiderari debet: & ſunt notæ certæ, quibus id diſcrimẽ deprehendere poſsis. Nánque ſi ſuis ſedibus mota ſunt, reſima apparent, punctioníſque ſenſum repræſentant, ac tactu (ut ſuprà annotauimus) inæqualia ſunt. Vbi uerò loco ſuo non exciderunt, neque punctionis ſenſus ullus, neque ulla quæ tactu percipi poſsit inæqualitas adeſt. Cæterùm ſi primis diebus oſſa ipſa perfracta & ſuis ſedibus mota, repoſita non ſunt, nõ leue inflãmationis periculum ſubeſt. Sub qua & difficilè, & periculoſè uis neruis & tendinibus adhibetur. Atque hæc de prima intentione dicta ſufficiant.

Notæ oſsis fracti, & ſua ſede moti.

Secundus ſcopus.

2. Secundus ſcopus in curandis fracturis nobis propoſitus, eſt, ut oſsibus iam ſic (ut ſuprà docuimus) probè coaptatis, & è directo admotis, eorum poſitura ſeruetur, & exactè coniuncta maneant, ſic ut priſtinam unionem imitẽtur. Porrò nequaquã prohibere poteris, quin diuiſa eiuſmodi oſſa, quæ ſic effinxeris & adamuſsim ſecum coaptaueris, ſua ſede moueantur, & rurſum diſsideant, ſi laborans quoquopacto uel uigilans, uel dormiens, membrum fractum dimoueat. Ergo ut ſecundum hunc ſcopum aſſequaris, perfractum membrum prorſus immotum conſiſtat neceſſe eſt. Quòd ſi ipſi quidem ægrotanti, ut quietudini membri proſpiciat, permiſeris, uigilans fortaſsis (quemadmodum inquit Galenus) probè id curauerit, at dormiens omnino membrum mouebit. Vt igitur non dormientis modò hominis, ſed etiã ad deſidendum, itemque cum cubile reſternitur ſurgẽtis, eorum quæ ritè formata, & exactè cõiuncta ſunt, poſitura ſeruetur, tuta deligatura complecti fracturã oportet, quæq; fracti oſsis partes ſecũ coarctare adamuſsim poſsit. Tuta autem non erit deligatio, ſi uel nimis arcta, uel laxa nimis fuerit. Quandoquidem per laxiorem oſsibus moueri licet, per arctiorem uerò & uehementiùs adſtringentem, & alimenti in locũ affectum diſtributio

Membrum perfractum prorſus immotum ſeruandum.

Libro. 6. Metho.

Os fractum deligãdum eſſe, & quare.

butio prohibetur, & dolor (qui humorum in ægram partem affluxus euocat, & phlegmonas creat) excitatur. Danda itaque opera est, ut utrumque excessum declinemus. Constrictio igitur mediocris esto, tũ nostri sensus, tum ipsius ægrotantis iudicio. Ac si quidem æqualis esset crassitudinis membrum quodque, utique latissima fascia (ut Galenus ait) commodissima esset, utpote quæ totum æqualiter, continentérque ex omni parte fractum os complecteretur. Sed quoniã id non est, quod deest nobis ex fasciarum latitudine, circuituum numero pensabimus, ut in artubus ipsis, qui omnium maximè fracturæ per transuersum factæ, expositi sunt. In talibus nãque utilior est angusta deligatura quàm ualde lata & remissa. Quippe quæ nec rugas, ut ea quæ latiore fascia fit, contrahat, & totius membri cui circundata est, cutem contingat. Eò igitur usque augere tibi latitudinem fasciæ licet, quoàd nulla eius pars laxior efficiatur. Cæterùm in eiusmodi deligatura, quæ fracturis (in medio presertim brachij, uel tibiæ, aut femoris existentibus) adhibetur, duabus fascijs lineis mollibus (iuxta Hippocratis dogma) opus est. Has autem Hippo. ipse nomine peculiari ὑποδεσμίδας, id est, subligamina, seu malis subfasciationes, appellauit. Primæ fasciæ initium super fracturam iniici debet, ac circa eam bis térue conuoluta, sursum uersum ferri, & quasi in cochlea serpere, atque illic desinere. Id tamen perpetuò obseruandum est, ut multum partis sanæ fascia hæc complectatur. Ita enim fiet, ut & firmiùs reposita ac conformata ossa contineantur, & magis ab affecto loco in circumuicinas partes humores eli dantur, magisque ne hi à superiori parte eò defluant, impediatur. Altera etiam super fracturam debet incipere priori aduersa, deorsúmque (ubi primos complexus super fracturam fecit) tendere, atque inde iterum reducta in superiore parte ultra priorem fasciam desinere. Quocirca dimidio longior priore esse debet. Terminus autem longitudinis earum fasciarum, nõ unus ac certus statui potest, sicuti nec etiam latitudinis, sed pro magnitudine fracturæ, & perfracti membri crassitie utraque dimensio uarianda est. Hunc Hippocrates libro τῷ κατ' ἰητρεῖον, id est, de medicina seu medici officina, & libro de fracturis, triũ aut quatuor, aut quinq;, aut sex cubitorũ lõgitudinẽ: digitorũ uerò latitudinem constituit. Digiti autem & cubiti intelligendi sunt eius ipsius qui deligatur, nempe uel uiri adulti, uel pueruli. Hæc autem duplicis deligaturæ ratio, ex ipsa rei natura desumitur. Quãdoquidem duo hæc prima lintea fracturam quidem muniunt ac stabiliunt, nec phlegmonem (quæ in hac re imprimis est arcenda) oriri sinunt. Siquidem

Deligaturæ modus.

Cõ. in libro Hippo. de fract. & 6. therap.

Angusta deligatio artubus utilis

Ratio deligãdi artus perfractos, ex Hippo. Galeno, & Celso.

1

2

Hæc secunda fasciano bis aut ter, ut in priore ligatura, sed semel tãtum mẽbro perfracto circũdatur Hippocrati

& ab integris ad laborantem particulam ſanguinis confluxum arcent,
Prioris deligaturæ uis & facultas. *& quod iam collectum in ea eſt exprimunt. Prior quidem deligatura*
quod in læſa parte cõtinetur, ad ſuperpoſita expellit atque elidit: quod
uerò ex ijs (ſuperpoſitis inquam partibus) in locum perfractum con-
Quid ſecũda deligatura efficiat. *fluit, repellit. Altera uerò primis quidem complexibus, quos, ut ſuprà*
diximus, ſuper ipſius fracturæ locum facit, itémque diſpenſatione deor-
ſum tendente, quædam ad inferiora extrudit, quædam, ne quid ex ijs
in locũ fracturæ cõfluat, prohibet. Reliquis uerò deinceps cõplexibus,
quibus uidelicet ab infimis partibus ſurſum uerſum recurrere deliga-
turam diximus, ut eodem ſcilicet loco cum priore faſcia, ſecunda deſi-
nat: tum ad ſuperiora (uti & priore ligatura) repellimus, tum conflu-
xum ab ijs prohibemus. Cæterùm priuſquam faſcijs huiuſmodi fra-
ctura deligetur, unus aut alter pãniculus lineus, ãdido oui liquore &
roſaceo delibutus, nudo membro non abſque ratione à recentioribus
chirurgis ſuperaccommodatur, ea quidem magnitudine, ut etiam ali-
Faſciarũ lõgitudo & latitudo. *quid partis ſanæ cõprehendat. Sũto autem eiuſmodi faſciæ duæ præ-*
longæ, nempe quatuor, aut quinque, aut ſex, ut diximus cubitorum,
& circa tres quatuórue digitos latæ, aqua aut poſca potius madefa-
ctæ, & poſteà expreſſæ, preſertim ſi fractura inflãmatione uacet, re-
Si inflãmatio adeſt, cum fractura. *cénſque ſit. Si uerò dolor uehemẽs, aut inflãmatio adeſt, lanis tenuibus*
molli búſque, aut ſtupis læuibus oleo uel oxycrato imbutis mẽbrum con-
tegendum eſt, & non ita arctè deligandum. Satis enim fuerit tunc, ſi
deligatura adhibeatur, quæ & membrũ utcunq; fulciat, & admota me-
dicamenta, ad hæc ſymptomata profligãda idonea, contineat. Ve-
rumenimuero cũ hæ duæ primæ deligaturæ, ad ambos hos uſus quos
ſuprà retulimus, (nempe ad fracturæ munimentum ſtabilimentúmque,
& ut phlegmone excitari prohibeatur) non ſatis adhuc faciant, præ-
ſertim ſolæ, ad earum quidem tutelam & fracturæ ſtabilimen Hip-
pocrates remediũ excogitauit, ut ſcilicet plagulæ, ſiue ſplenia à ſple-
Splenia cur adhibeat Hippocrates. *nis forma ita appellata, unà cum exterioribus faſcijs, quas ἐπιδέσμους*
id eſt, ſuperligamina uocat, deſuper adhiberentur. Et hæc quidem ter-
tiæ deligaturæ rationem quibuſdam obtinent. Splenia enim eiuſmodi
ſiue plagulæ, duarum primarum faſciarum, quæ peculiari nomine
ὑποδέσμιδες, id eſt, ſubligamina Hippocrati appellantur, firmamen-
ta ſunt, ut commentarijs in librũ Hippocratis de fracturis Galenus
annotauit. Ne autem phlegmone ſuſcitetur, medicamento quopiam
Ceratũ humidum cur adhibeatur *ex ijs quæ inflammationum iniurias arcẽt, uti cenſuit. Quale nimirum*
eſt ceratum humidum ſiue liquidum, quod confici ſolet ex cera in roſa-

ceo

ceo aut oleo colliquata,aut eius loco roſaceum.Huius ſententiæ fuit & Cornelius Celſus libro octauo,ſic inquiẽs:Super has(duas inquam pri » mas deligaturas)iniiciendum latiore linteo ceratum eſt, quod eas con- » tineat.Quòd ſi oſsis fracturæ,carnis quoque uulnus acceſsit,neque ce- Si oſsis fra-
ratum,neque roſaceum tutò admouetur: quandoquidem hæc ulcus tum ſordidum tum putre efficerent.ſed in uicem eorum puluilli prælongi ui no nigro ac ſtyptico imbuti,ſuperiniiciendi erunt.Reliqua autem cura- tio,quæ eiuſmodi fracturis cum uulnere incidentibus conuenit, in ſe- quentibus dicetur. Porrò præter has modò à nobis commemoratas de- ligationes, quaſdam adhuc alias quatuor commemorat Aurelius Cor- Aliæ qua-
nelius Celſus capite decimo,libri paulò antè citati. Sic autem eas diſ- tuor Cor. Celſi de li-
penſat,ut ſemper inſequens priori aduerſa ſit, & tertia faſcia (quæ gaturæ.
duas primas,ac ſplenia comprehendit)tantùm in inferiore parte, tres reliquæ in ſuperiore finiant.Quia ſatius eſt (inquit) ſæpius circuire » quàm adſtringi. Siquidem id quod adſtrictum eſt alienatur, & can- » cro oportunum eſt. Quo loco (ni fallor) cancrum pro ſphacelo, quem » uulgus medicorum eſthiomenũ uocat, uſurpauit,ut & quibuſdam alijs locis. Cæterùm cùm multis complexibus atque inuolutionibus duæ illæ ſuperiùs commemoratæ Hippocratis deligaturæ,fracturam cõtineant, (aliàs enim parum tutæ eſſent) tam numeroſis faſcijs opus eſſe mini- Cornelij
me cenſeo.Hæ enim in membro ipſo perfracto,præter ſolitum cooper- Celſi opi-
to,& pruritum & dolorem (quæ duo ſymptomata à fractis membris nio refelli-
diligenti ſtudio arcenda ſunt) excitare,atque etiam eius quod iam in- tur.
fixum fracturæ eſt,perſpirationem probibere poſſunt. Porrò ubi de- center ſic membrum confractum deligaueris, de appoſita repoſitionis De appoſi-
ipſius figura,maxima tibi ſolicitudo habẽda eſt. Siquidem ſub alia for tarepoſitio
ma aut figura membrum perfractum deligare,in aliam uerò mutare nis perfra-
ac reponere,non dolorem modò(ut inquit Galenus)excitare poteſt,ue ctimembr.
rumetiam oſſa intorquere. Neceſſe enim eſt,ubi figura mutatur, alios figura. Ex
muſculorum tendi,ac uelut contractos rotundari,alios uerò ſolui ac re- Galeno.
mitti.Vbi autem tẽduntur, tum premi eos à deligatura eſt neceſſe,tum ex cõpreſsione ipſa dolere. At ubi tẽſio remittitur,quo loco deligatura eſt laxa,ibi fracturam fulcimento deſtitui. Cæterùm aptiſsima fuerit in oſsium fractorum repoſitione,ſicuti etiam & in retractione, (quam antitaſin diximus à Græcis appellari)& coaptatione,& deligatione: partis figura,quæ(ut uerbo uno dicatur)maximè à dolore abeſt,& in Repoſitio-
qua æger perſiſtere immotus diu poſsit. Hæc enim & rectiſsima eſt, nis figuram
& maximè naturalis membro,ac ferè conſueta.Rectiſsimã autem hîc ad duo dire-
ctam eſſe.

Rectißima figura quæ dicatur Galeno.

partis figuram cum Galeno uocamus, quæ uenas, arterias, & muſculos quàm rectiſsimos habet. Itaque angulosa figura, quæ ἐγγώνιος Græcè dicitur, brachio quidem maximè naturalis eſt: cruri uerò, quæ paulò minus porrecta eſt. Hæc namque & rectiſsima eſt, & à dolore maximè aliena. Cæterùm tametſi angularis figura, quæ Græcis ἐγγώνιον dicitur, propriè ea dicatur, quæ acutum angulum, quem recto minorem appellamus, efficit, per engonion tamen, id eſt angularem figurã, Hippocrates eam intelligit, quæ recto angulo conſtituitur, non prorſus tamen recto, ut quodam in loco Galenus eſt interpretatus, ſed propè ad rectum accedente, ita ut paululum ad obtuſum tendat: cuiuſmodi in manu, quod uulgò brachiũ appellamus, ea figura eſt, non quæ prorſus quidem inter extenſionem & inflexionem media eſt, ſed quæ ad extenſionem procedere incipit. Quo plerumque poſitu eos qui dolore afficiuntur, ſi diligenter inſpexeris, manus tenere deprehendes. Porrò ut dolor uitetur, cùm ad quietem membrum reponitur, non modò naturalis habitus cuius inſtrumento eſt utilis, uerumetiam conſuetudo quoque conducere nonnihil uidetur. Ergo ut aptè membrum perfractum, & decenter ligatum reponatur, ea ſitus figura illi inuenienda eſt, quæ & naturalis ſit & conſueta, & à dolore maximè aliena. Sed iam hæ indicationes inter ſe conſentiunt, & conſpirant maximè. Nã quæcunque figura magis quàm alia eſt à dolore libera, ea & maximè naturalis membro, & ferè conſueta eſſe ſolet. Atque econtrà, quæ naturalis & conſueta eſt, ea à dolore eſt alieniſsima. Atque hæc quidem figuræ, in qua cuſtodire membrum perfractum conueniat, inueniendæ ratio eſt. Vt autẽ in hac naturali, & quæ doloris minimũ habeat, figura immotum prorſus (quoàd expediet) membrum perſiſtat, recẽtiores Chirurgi ſecundum deligaturam, protinus ferulas etiam circumponunt, ipſas quidem conſtringentes, prout ſenſus & tumor ex inflammatione (ſi qua adſit) poſtulat. Veteres autem, ut Hippocrates, Celſus & Galenus, à die tantùm ſeptimo uel etiam nono & undecimo, ferulas accommodabant. Verùm non abs re factum putamus, ſi ſtatim ab initio poſt deligaturam, ferulæ injiciantur, modò nimis premendo dolorẽ non excitent, aut phlegmonem (quæ maximè arcẽda erat) accerſant, uel præſentem (ſi adſit) exacerbent. Quæ igitur à principio adhibentur à recentioribus ferulæ, non eo nomine adhibentur circumponũturúe, ut adſtringant, ſed ut adaptationis figuram contineant, & oſſa in ſuam ſedem repoſita utcunque fulciant. Primis namque diebus cùm phlegmones deuitandæ conſilium uinceret, tutum non erat perfractum membrũ

Ratio inueniendæ figuræ, in qua cuſtodire membrum perfractum conueniat. Ex Galeno & Hippo.

Ferulæ quãdo infracturis circũponendæ.

Quæ uitare oporteat in ferulis adhibendis.

Ferulæ ab initio nõ ultrà adſtringẽdæ quàm ut oſſa contineant.

ita

ita ferulis premere. Cũ uerò nullus iam amplius futuræ inflãmationis metus ſit, aut ea quæ priùs fuit diſcuſſa, membrum aliquanto gracilius quàm pro naturali habitu apparuerit, (quod intra ſeptimũ diẽ ferè ſolet contingere) tum licebit ferulas circũponere, & eas (ut fracturã ſtabiliant) ualidè ſatis aſtringere. Ferularum enim uſus idem eſt, qui & plagularum ſeu ſpleniorum, nempe ut fractum os contineant, & deligationem ſtabiliant ac firment. Sunto autem ferulæ, ut libro qui inſcribitur τὸ κατ' ἰητρεῖον, id eſt, de ijs quæ in medicatrina ſeu medici officina fiunt, rectè præcepit Hippocrates, læues, id eſt, lauigatæ & planæ: æquabiles, id eſt, neque in latus, neque in ſuperiorem, aut inferiorem partem diſtortæ: in ſummis partibus, id eſt, extremitatibus, reſimæ, id eſt, leniter deraſæ ac retuſæ: minores hinc inde quàm deligatio eſt: & ea parte craſſiores. i. latiores & ualẽtiores, ᾗ ἐξέχει τὸ κάταγμα, id eſt, qua fractura erupit. Læues autem ferulas, id eſt, non aſperas (læui enim aſperum opponitur) adhibendas eſſe cenſet Hippo. ne ſua aſperitate, & inæquabilitate (quod enim aſperum eſt, continuò etiam eſt inæquale) fractis partibus negocium faceſſant. Vtroque enim modo cõprimunt. Cæterùm quoniam fieri poteſt, ut ferulæ læues ſint, non tamẽ æquabiles (inæquabile enim non protinus neceſſariò eſt aſperum: ut patet de uia quæ aſcenſus habet & deſcenſus non aſperos) ideò non ſolùm læues, ſed etiam æquabiles, id eſt, non diſtortas aſſumendas eſſe ferulas monet. Quæ enim diſtortæ ſunt, ſimiliter, ut aſpera lædunt: ac illud inſuper efficiunt, quòd deligationem ſimul diſtorquent: qua diſtorta, pars etiam fracta diſtorqueatur neceſſe eſt. Simas prætereà in extremis partibus eas deligi uoluit, id eſt, ut Galenus interpretatur, leniter deraſas ac retuſas in extrema parte, ne ſua acutie articulum lædant, & æqualiter ubique partem fractam, propter æqualem ſuam craſſitudinem, comprimant: quod certè fieri nullo modo debet. Vult enim Hippo. ut in media parte, hoc eſt, ſupra locum fracturæ, κάρφινες, id eſt, ferulæ, deligationem magis aſtringant. Hinc ea parte, hoc eſt, ſupra fracturam ipſam, craſſiores eſſe iubet: quia ſcilicet locus is potiſſimùm (ut ſuprà oſtendimus) cõpreſſione ipſarum indiget. Vult item minores eas eſſe longitudine, id eſt, aliquãto breuiores, quàm ſit ipſa deligatio, ne cutem ultra deligationem attingant: quæ ſæpenumero ex eo quod humores à faſcijs expreſſos ſuſcipit, paulò altius turgeſcit atque extat. Sed & breuioribus ferulis utendum præcepit ſenior ille Hippo. ne pars eminentior, id eſt, gibba & carne nudata, attingatur, ut circa cubitum, & malleolos, ubi oſſiũ extuberationes ſunt.

Ferulæ quales eſſe debeant.

Læues.

Æquabiles.

Simæ.

Craſſæ.

Minores.

Modus

Modus ac ratio adbibendi ferulas.

Modus autem ac ratio adhibendi ferulas, talis eſto. Splenia triplicia aut quadruplicia oleo delibuta, ſuper faſcias ſimiliter atque æqualiter, ſi membrum in craſsitie fuerit æquale, circũdato. Si uerò inæquale, partibus magis concauis, per ſplenia repletis, membrum undique æquale ferulis accommodandis efficito. Deinde ferulas lana, aut ſtuppa mediocriter inuolutas, in orbem, non minore quàm unius digiti ſpatio inter ſe diſtantes, fracturæ circũdato, eáſque leniter ac moderatè conſtringito. Sed & in hac ferularum accommodatione ſummoperè caueto, quatenus fieri poteſt, ne articulus aliquis, (ut paulò antè notauimus) & præcipuè interior flexus pars, ab eis attingatur. Vlcera ſiquidem in ipſis nonunquàm, & neruorum inflammationes pariũt. itaque illic, hoc eſt, iuxta articulos ipſos deligatione aliquantò (ut diximus) breuiores, tenuiores, laxiores, & magis flexibiles ferulas eſſe oportet, quemadmodùm ualentiores qua fractura excidit atque inclinat. Cæterùm ſi nulla prurigo, nulla inflammatio, nulla ſuſpecta exulceratio, nullusúe dolor adeſt, & oſſa rectè commiſſa fuerint, fracturáque rectè procedat, ſic manere ferulas, & ligamẽta, ad decimum uſque diem, uel quintum & decimum, aut etiam uigeſimum, utile eſt. Si uerò in mẽbro perfracto præter ſolitum cooperto, uel dolor excitetur, uel pruritus creetur, uel eiũs quod iam infixum fracturæ eſt perſpiratio prohibeatur, propter quam non modò noxius pruritus quibuſdam accidit, ſed etiam eroſa à ſaniei acrimonia nonnunquàm cute, exulceratio cõcitatur, non abs re feceris, ſi tertio quoque die ut inſsit Hippo. deligationem ſolueris, & membrum ipſum aqua temperata perfuderis ac foueris. Hac enim perfuſione & acrem atque erodentem ſaniem diſcuties, & dolorem mitigabis, & prurigini pulchrè medeberis. Porrò cùm nec ferulis, nec deligatione, nec figura ſitúue membri appoſito, diuiſæ oſsis partes (tametſi exactè atque adamuſsim coniunctæ fuerint) citra glutinum aliquot uinculúmue (uti ſuprà diximus) coire, ac concreſcere poſſint, maxima calli, quem πῶρον Græci dicunt, gignendi ſollicitudo habenda eſt. Ad hunc igitur gignendum cogi concreſcereque aliquid proprij oſsium alimenti, craſsi terrenique oportet, quod in labris fracturæ coaleſcit. Ipſum igitur nec eluendum, nec foràs euocandum eſt, ſed ſinendum. Craſſa autem hæc terrenáque ſubſtantia, ex genuino, maximéque idoneo oſsis alimento redundans (quæ propria eſt calli materia) diem circiter duodecimũ, aut decimum quintum ab oſsis fractura ferè gigni, atque accreſcere incipit, ut recentiores chirurgi teſtatum reliquerunt. Cæterùm huius generatio (quæ in alijs citiùs, in alijs uerò tardius

Quãdo ſoluenda deligatio.

3 Tertius ſcopus.

Πῶρi generatio.

tardius aduenit) ijs ferè notis deprehenditur. Dolor qui priùs aderat, ſedatur, nullus amplius inflammationis, aut tumoris alicuius præter naturam metus adeſt, in membro perfracto bonus ac natiuus color effloreſcit. uniuerſa autem uictus ratiò puero gignendo accommodata, talis eſto. Dum callus gignitur, uictum paulò pleniorem, quàm ab initio fracturæ, laboranti inſtituito: Cibos, qui boni ſucci ſint, & multum nutriant (niſi uulnus adſit) exhibeto. Sed & quæ offeruntur alimenta, talia ſunto, ex quibus prouenire ſuccus ſoleat non ſolùm bonus, ſed etiam tenax, ex quali fieri callum maximè expedit. Quippe (inquit Galenus) cum ex ſeroſa humiditate, ac tenui gigni prorſus nequeat: ex craſſa uerò, ſed quæ fragilis ſit, ac pinguitudinis expers gigni quidem poterit non ſegniter: cæterùm tempore ſicceſcens friabilior, atquè ita fractioni obnoxius redditur. Itaque puero gignendo conueniunt Auicennæ: Riſum, panis ſimilagineus, frumentum triticeum, tandiu in aqua coctum, donec fiat (inquit) ſicut puls: id Galli uulgò appellãt [froumẽtee.] Alicam nonnulli eſſe exiſtimant. Ad hæc, pedes, uentres, & capita animalium, ſed præſertim hædi, & ueruecis. Hæc enim & multum alunt, & craſſi ac tenacis ſucci ſunt. Circa initium fracturæ uſque dum callus gignitur, (quod ferè circiter decimum diem contingit) ægrum tenuiſſimè cibato. Cibi nãque ſubexiles (ut cenſuit Hippocrates) & non ualidæ materiæ tunc ſatis ſunt. Venam interdum, cùm ſcilicet res expoſtulat, ſecato, & per uentrem ſuperuacua expellito. Carne & uino uſque ad decem dies, ex Hippocratis præſcripto, abſtineto. Poſt hoc tempus, uinum craſſum & ſtypticum audacter cõcedito, tametſi Celſus uinum per omne tempus alienum eſſe dixerit. Magnitudo calli nec minor quàm par eſt, nec maior iuſto ſit, ſed mediocritatem ad unguem ſeruet. qui enim iuſtò minor eſt, hic oſſa parum tuta reddit: qui maior eſt, dolorem muſculis inuehit. ergo calli magnitudo, ut breuiter dicam, ea ſit, quæ & oſſibus tuto uinculo ſit, nec muſculos tamen comprimat. attendendum uerò diligenter eſt, quemadmodum nos Galenus admonet, ut uel promoueatur, ſi minor iuſto proueniat: uel inhibeatur, ſi immodicè creſcat. Quibus uerò hæc efficies, paulò pòſt dicemus. Atque hæc de puri generatione, qui tertius erat ſcopus, in curandis fracturis nobis propoſitus, dicta ſufficiãt. Supereſt igitur de quarto, & ultimò ſcopo agamus, qui diſpoſitionum præter uaturam, quæ fracturæ interueniunt, emendationẽ, atque ablationem concernit. Eæ autem ferè ſunt, dolor, inflammatio, pruritus, uulſus, immoderata ſiccitas, aut humiditas callo gignẽdo obſiſtens: gãgræna, durities, puri magnitudo, aut deficiens,

Callus quibus notis generari deprehenditur.

Victus puero gignendo aptus.

Lib. 6. Metho.

Lib. de fracturis.

Puri magnitudo.

4.

Quartus ſcopus.

Symptoma ta quæ fracturam comitantur.

Dolor. Inflãmatio. ficiens, aut excedens. Itaque si dolor, aut inflammatio adsit, deligationem, si iam facta est, statim soluito, & lanam, oleum, & acetum, congruáque id genus alia auxilia parti dolenti, atque inflammatæ admoueto. Sed neque priusquàm hæc sedata fuerint, uel deligaturam adhibeto, uel ferulas circumponito, nisi duntaxat eatenus, ut membrum fulciant, & ut impositum medicamentum contineant, hoc est, laxè admodum. Celsus consulit liberale fomentum aquæ calidæ, dum inflammatio adest, cum uerò ea deest, modicum: sedata inflammatione, & dolore sublato, deligationes, & ferulæ, ut suprà diximus, adhibendæ sunt. Si noxius pruritus accidit, & erosa à saniei acrimonia (ut aliquando contingit) cute, exulceratio concitatur, aquæ temperatæ tantum superinfundere oportet, quantum ad euocãdam eiusmodi saniem est satis. Hoc quidem Hippocratis & Galeni consilium fuit. Recentiores autem chirurgici aquã salsam infundi præcipiunt, aut unguento albo, uel eo, quod uulgò populeum apellatur, membrum illini, & ut suprà dictum est, deligari. Cum ossis fractura, carnis quoque uulnus accessit, siue statim ab initio id factum sit, siue posteà à chirurgo inductum, ut ossium fragmenta, & ea præsertim quæ pungunt, eximantur, si quidem sanguis profundatur, hunc prius aptis remedijs sistito. Si inflammatio oriatur, præsidijs in eam efficacibus utitor. Si carnes contusæ sint, partem affectam, ut gãgrænæ periculum euitetur, scarificato. Quòd si gangræna quoque ipsa, aut alia quæpiam serpẽs putredo iam occupauit, cõuenienter occurrito: horum autem omnium curationem in superioribus libris tradidimus. At si nihil horum adfuerit, neque magna ossis pars nuda sit, hamulis suturísque usi, his medicamentis, quæ cruentis imponuntur, medebimur, priùs tamen fragmentis ossium euulsis. Cæterùm deligatura fracturæ eiusmodi cum uulnere factæ, hoc modo adhibenda est. Orbiculares fasciæ partibus uulneris utrobique, hoc est ab utráque ulceris parte, injici debent, obliquè uerò supra ipsum uulnus in longitudinem collocandæ sunt, sic ut per decussim ad X literæ similitudinem iuxta hiatum occlusio ex omnibus fiat. Hippocrates tamen à prima statim circumuolutione, fascia latiore totum ulcus comprehendit, ita ut nulla eius pars nuda relinquatur. Itaque si sordidum adhuc uulnus est, expurgantia medicamenta, quando opus erit, impones. Si purum, carnem producentia, linteolis illita, aliámque usu comprobatam materiam adhibebis. Hippocrates tamen statim ab initio picatum ceratum, quod ceram in rosaceo, aut oleo colliquatam, & picis siccæ aliquantulũ assumit, supra uulnus in linteolis adhibet. At Galeno authore utilius

Fomentum aquæ calidæ.

Pruritus.

Vulnus.

Contusio. Gangræna.

Deligatura fracturæ cum uulnere accommoda.

Hippoc.

utilius à tertio die, cùm ea quæ in ulcere ſunt cõcoquat, adhibetur. Cornelius Celſus omnibus his uulneribus primò imponendum iubet linamentum uino madens, cui roſæ paulum admodùm adiectum ſit. Si æſtiuum tempus eſt (inquit Hippo.) ſplenia uino frequenter ſunt irrigan da: ſi hyemale, lanæ multæ ſuccidæ ex uino & oleo ſuperimponendæ ſunt. Lanarum nanque ſuperpoſitione, & olei commiſtione refrigerationis uehementia (quæ in huiuſmodi affectibus conuulſionis periculum interdum inuehit) obtunditur. Vino autem madefactæ plagulæ, ob uinum reprimendi uim habent. Cæterùm ubi purgata ulcera fuerint, & in eis iam caro concreuit, ferulæ non incommodè iniçientur: aliqui uerò etiam ab initio ipſas accommodant, ulceris locum uitantes, & prout neceſsitas, ac uſus tulerit, ipſas modò conſtringunt, modò remittunt: ſed hæc curandi ratio ab Hippocrate, & Cor. Celſo non probatur. Hi enim pluribus tantummodò, & latioribus faſcijs (ferulas ne uidelicet comprimendo lædãt, ſimiliter & canales omninò reijcientes) deligaturam in eiuſmodi fractura, quæ cum uulnere incidit, fieri iubẽt, laxiùs ſcilicet, quàm ſi ea plaga non eſſet: adeò ut affulcitæ quidem, nõ compreſſæ tamen faſciæ ipſæ eſſe uideantur. Ita namque (inquit Celſus) numero faſciarũ efficietur, ut laxæ quoq; æquè contineant. Ac ſatius quidẽ eſt, ſæpius circuire, ut ante Celſum ſcripſerat Hippo. quàm aſtringi. Sed & in eas faſcias multiplices ingerẽdũ ſubinde, eodẽ Cel. authore, eſt calidũ oleũ, & uinũ: magiſq; ubi ſic cũ uulnere fractura à principio incidit, fame, id eſt, exquiſitiore victu utendũ, uulnus calida aqua fouendum, frigúſque omni ratione uitãdum, & tranſeundum ad medicamenta, quæ puri mouendo ſunt: maiórque uulnere, quàm oſſi cura agenda. Vt autem de hac re, quod ad ferularum appoſitionem attinet, ſic apud authores etiam eximios controuerſa, id quod res eſt ſemel ſtatuamus, hoc tibi tanquàm axioma, id eſt, pronunciatum eſto. Cùm fractura cum ulcere interdum in longitudinem membri contingit, tunc ex utraque ulceris parte ferulas etiã ab ipſo curationis principio circumdare licitum eſto. Cùm uerò trãſuerſum ulcus euaſit, idque maximè ſi maius ſit, ferulas ſtatim ne imponito. At ſi ſquamula aliqua ex oſſe reſoluitur (id quidẽ colligi ex eo poteſt, quòd & copioſior, tenuiórq; humor profluit, & caro circa ulcus laxa, & mollis effecta intumeſcit) deligatura laxiore ad curationem utendum eſt, ne ſcilicet pus intercludatur, ſed effluere facilè queat: frequentiúſque, ut cõſulit Hippo. religandum, quoad os receſſerit, ferulæque non apponendæ. Vbi uerò uel hamulo, uel quopiam alio eiuſmodi inſtrumento ſquamam euulſeris,

Ferulæ quãdo in fractura cum uulnere adhibendæ.

Cor. Celſus.

Si oſſis pars aliqua receſſerit eſt.

deligatura iterum ualidiore membrum adſtringes. Porrò per totum id, quo ulcus curatur tempus, medicamẽ aliquod, ex his quæ inflammationem arcent, linamentum continens uulneri incumbet, ac ſimplices faſciæ injcientur, quæ ſingulis curationibus reſoluentur, cùm aliæ ſuprà dictæ remaneant. Inter hæc autem, ſi quod paruulum fragmentum oſſis eminet, id ſi retuſum eſt, in ſuam ſedem dandum: ſi acutum, antè acumen eius longius eſt præcidendum: ſi breuius, limandum, & utrinq; (inquit Celſus) ſcalpro limandum. Tum ipſum recondendum eſt: ac ſi id manus facere nõ poteſt, uulſella (quali fabri utuntur) injcienda eſt, rectè ſe habenti capiti ab ea parte, qua ſima eſt, ut ea parte qua gibba eſt, eminens os in ſuam ſedem cõpellat. Si id maius eſt, & membranulis fragmẽta cinguntur, ſinere oportet ea ſub medicamẽtis reſolui, idq; os, ubi iam nudatum eſt, abſcindere: quod maturius ſcilicet faciendum eſt, potéſtque ea ratione & os coire, & uulnus ſaneſcere: illud ſuo tempore, hoc prout ſe habet. Nonnunquàm etiam (inquit) in magno uulnere euenit, ut fragmenta quædam uelut emoriantur, neque cum cæteris coëant. Quod hîc quoque ex modo fluentis humoris colligitur, quo magis neceſſarium eſt, ſæpius ulcus reſoluere, atque nutrire. Sequitur uerò, ut id os per ſe poſt aliquot dies excidat. Cæterùm cùm tam mitis antea conditio uulneris ſit, tamen id interdum maius, diutiúſque facies. Sæpe enim integra cutis oſſe abrumpitur, protinúſque prurigo, & dolor oritur. Quæ ſoluere (ſi accidit) maturius oportet, & fouere aqua per æſtatem frigida, per hyemem egelida. Deinde ceratum myrteum imponere. Interdum fractura quibuſdam uelut aculeis carnem uexat, quo à prurigine, & pũctionibus cognito, aperire id melius, eóſque aculeos præcidere neceſſe habet. Reliqua uerò curatio in utroque hoc caſu eadem eſt, quæ ubi ictus protinùs uulnus intulit. Hactenus Cor. Celſus de fractura cum uulnere facta. Nunc cætera proſequamur. Dum ualenter nimis ſiccãtur oſſa, callus ægrè prouenit: expedit igitur iſtis ita reſiccatis oſsibus, tertio, uel quarto die modice aquam calidam infundere. Hanc metam finiendæ perfuſionis habentes, cùm carnes in rubrum tumorem attolluntur. Atque in iis quidẽ, priuſquàm ſubſidere incipiant, deſiſtendum eſt. Contrà, ubi digeri quid uolumus, non priùs eſt deſiſtendum, quàm quod ex perfuſione intumuit, ſubſidat. Si uerò humiditas abundantior calli generationem impediat, ibi hanc ſiccare conuenienti deligatura & perfuſione aquæ, quæ uel minima omnino ſit, uel plurima, conabimur. Quippè minima (ut ſexto methodi Galenus ait) cum priùs deſiſtat, quàm aliquid confluat, & qui

Si fragmentum oſſis eminet. *Lib. 8.* *Si fragmenta uelut emoriantur.* *Vulnus interdum maius efficiendum.* *Si fractura quibuſdam uelut aculeis carnem diuexet.* *Siccitas calli gignẽdo obſiſtens.* *Humiditas calli generationẽ impediens.*

ad

ad manum,id eſt,in ſuperficie, ſunt humores , per halitum digerit, & qui in alto ſunt modicè liquat. Expedit autẽ ita ſolui liquarique ea, quæ per deligaturam ſunt expellenda. Plurima uerò perfuſio plus digerit, quàm attrahit: atque ita commodat ſuperfluæ humiditati. Attẽdendum uerò (ut ſuprà monuimus) diligenter eſt, ut uel augeatur callus, ſi minor iuſto eſt: uel inhibeatur, ſi nimius ſuperuenit. Vtrumque autem uitium corrigitur perfuſionis quantitate & qualitate, ciborum etiam, ac medicamentorum, quæ extrinſecus apponuntur, facultate. Ac de perfuſionibus quidem, & victus ratione, iam ſuprà eſt dictum. Ex medicamentis uerò quæcunque emplaſticam ſubſtantiam habent (cuiuſmodi eſt emplaſtrum, quod ex pice conficitur) ac modicè calfaciunt, ea (Galeno authore) callos tum promouent, tum uerò augent. Alimentum enim copioſius in locum perfractum attrahunt, ſicuti & moderatæ aquæ tẽperatæ, perfuſiones, & idoneæ frictiones. Quæ uerò digerẽdi uim obtinent medicamenta, ea callos maiores iam factos eidem Galeno imminuunt. Cum recens adhuc callus eſt, medicamentis ualde aſtringentibus Paulus utendum eſſe cenſuit, compreſſámque admodùm deligationem adhibendam, lamina plumbea etiam interdum impoſita: hæc enim calli excreſcentiam mirè reprimit ac imminuit. Huic rei efficaciter quoque ſubuenit Celſo, multa leuíſque ex oleo, & ſale, & nitro, membri perfricatio, plurimúſque ex aqua calida ſalſa fotus. Poſt hæc malagma quod digerat imponendum, adſtrictiuſque alligandum eſſe admonuit, imò uerò oleribus, & præterea uomitu utendum. Siquidem per hæc (ut exiſtimat) cum carne callus quoque extenuatur. Confert etiam eidem aliquid de ſinapi, cum ficu in alterum par membrum imponere, donec, inquit, id paulùm erodat, eóque euocet materiam. Atque ubi is tumor extenuatus, & qui nimius ſupercreuerat callus, ad mediocritatem redactus fuerit, rurſus ad ordinem uitæ reuertendum erit. At ſi ſolidus, lapideúſque callus, qui ſic immodicè increuit, iam euaſit, aperta ibi cute deradendus eſt, párſque eius eminens ſcalpris, & terebris etiam, ſi res exigat, admotis, excidenda eſt. Cæterùm ſolent aliquando in fracturis diuerſa inter ſe oſſa conferuere, & membra diſtorta callo firmari, difficultate functionum obeundarum haud exigua ſubſequente. Quod ubi contingit, & breuius membrum, & indecorum fit: & ſi capita acutiora ſunt, aſſiduæ punctiones ſentiuntur. Ergo ubi perfracta oſſa ſic conſerbuerunt, & perperàm ferruminata ſunt, ſi tener ſaltem adhuc callus eſt, & non ultra ſex menſes, ut quidam dixerunt, radices egerit, frangere rurſus, & dirigere ea oportet. Id hoc

Qua ratione pœtus, uel augeri, uel minui poſſit.

Si nimius callus ſuperĩcreuit.

Lamina plumbea.

Si callus in lapideã duritiẽ & inſignẽ nimis magnitudinem euaſerit.

Si oſſa diuerſa inter ſe conferuecãt, & nõ ẽ brũ diſtortũ callus firmauerit.

Oſſa quãdo iterũ frangenda.

modo fit: Calida aqua multa, uel decoctio aliquo emolliente diebus aliquot membrũ id fouetur, & ex cerato liquido perfricatur, aut emplastro ex althæa, uel cataplasmate ex ficis pinguibus aridis, aliisq; medicamẽtis callũ soluẽtibus (porolytica Græci dicũt) cõtegitur. Deinde facta sufficienti emollitione, modo quẽ suprà posuimus, à ministris duobus, qui in diuersa contendant, intenditur: & inter hæc medicus chirurgus pertractans ossa, ut callo adhuc tenero existente manibus ea diducit, compellitque id quod eminet in suam sedem: & si parum ualuit ab ea parte, in qua os se inclinat, inuolutã lana regulã obijcit, atque ita deligando (inquit Celsus) assuescere iterum uetustæ sedi cogit. Nostræ ætatis chirurgi malè ferruminatum os, in fractura non admodùm antiquata, diebus plus minùs quindecim, ut suprà diximus, primùm emolliunt. Deinde id in diuersa extendi iubent, & genu uehementer impulso, iterum frangunt: quod tamẽ uetustiores medici nõ probarunt. Mox fracti ossis fines ad amussim secum coaptant, ac ut suprà exposuimus curant. Si ab osse perperàm ferruminato, uetustas iam occupauit, ac callus uehementer obduruerit, satius est manum illi (ut consuluit Albucasis) nõ admoliri. Quicunque enim id rursus frangere aggressi sunt, post uehementes cruciatus in extrema discrimina laborãtes adduxerunt, adeò ut ualde pauci eorum, qui hoc tormenti genus perpessi sunt, mortem euaserint. Atqui melius est eũ, qui sic affectus est, claudicatu, aut membri alicuius deformitate affectum, ad annos adhuc multos superstitem remanere, quàm post talem, tantúmque cruciatum, miserrimè sic inter manus crudelis chirurgi occumbere. Adde quòd sæpenumero alio loco, quàm ubi fractura iam coierat, os ipsum (quod lapidosus callus firmauerat) frangitur, ut præter quotidianum experimentum, nobis autor extitit Auicennas. Quòd si laborans, & qui illi assident amici, importunis precibus, atque assiduo rogatu te compellant, ut ossis eiusmodi malè ferruminati, & cuius callus iam obduruit, ac inueterauit, curationem suscipias, in angusto spem esse coram illis præfator: deinde opus aggreditor. Summam igitur cutem, & carnem callo superiacentem cultro rasorio aut scalpello dextrè ac prudẽter secato, magna cura habita, ne nerui, musculi ue lædantur: deinde ossium, quæ non rectè coaluerãt, agglutinationem, seu continuationem (quod aiunt) excisorijs scalpris dissoluito: mox uerò eorum sic diductorum fines secum ad amussim coaptato, ita ut pristinam unionem, quoad licet it, imitentur. Demum cætera fiant, quæ suprà scripsimus. Cæterùm si ex attritu, membri corruptelæ metus impendet, protinùs scarificandum erit, reliquá-

Quid agât chirurgi recẽtiores in osse malè ferruminato.

Si ab osse malè agglutinato uetustas iam occupauit. Albucasis.

Auicennas.

Ex recẽtioribus.

Si membrũ ex attritu corrũpatur

reliquáque facienda, quæ ſuprà, in gangrænæ, & ſphaceli curatione diximus: ſi uerò tophacea aliqua durities poſt oſſis perfracti agglutinationem remanſerit, ea modo qui in antidotario exprimetur diſcutienda, & tollenda erit. Fracturæ quædã, ſupra diffinitum naturæ tempus, ſine callo interdum permanent: quod ob uarias cauſas ſolet accidere, nempe uel ob aſſiduas ſolutiones, uel ob immodicas ſuperfuſiones, quas & fomentationes uocant: uel ob intempeſtiuum motum, uel ex faſciarum multitudine, nonnunquàm etiam quia totum corpus, non ſufficienter alitur, quo in caſu membrum quoque ipſum (ut Paulus annotauit) gracilius euadit. Oportet igitur cùm alijs, tum præcipuè maciei corporis occurrere: quod commodè fiet, ſi uel calidis admotis materiam ad membrum perfractum euocemus, uel alimentum copioſius ſubminiſtremus, & balnea, reliquáſque animi uoluptates adhibeamus. Porrò eorum quæ iam callo firmantur, indicio eſſe, cùm alia tum illud præcipuè poteſt, ſi faſciolæ cruentæ conſpiciuntur, nullo etiam in parte oborto uulnere. Quod ideò forſan accidit, quoniam calli ſubſtantia, dum coit, in oſſium cauernoſos meatus perrumpens ſanguinis guttas aliquot inde extundit, exprimítque. Ac de tranſuerſis quidem fracturis, hæc dicta ſufficiant. De longis uerò, quæ non tam crebrò contingunt, reliqua omnia ad eundem ſe habent modum. Cæterùm cõprimendæ hæ magis (Galeno authore) in ipſo fracturæ loco ſunt, tũ quod receſſit, retrudendum introrſus eſt. Ac de fractis quidem oſſibus hactenus in uniuerſum dictum ſit.

Si fractura ſine calloſa pra definitum tempus remanſerit.

Lib. 6.

Note oſſis perfracti callo firmari incipientis.

Lib. 6. methodi.

FINIS LIBRI QVARTI INSTITVTIONUM chirurgicarum, de fracturis, Ioanne Tagaultio Doctore medico authore.

FORMVLA GLOSSOCOMI, INSTRVMENTI AD GIGNENDVM callum in fracturis idonei, cuius pluribus in locis meminit Galenus.



A, Axis. B, Laqueus translatiuus. C, Laqueus in rectum procedens. D, Trochleæ, seu rotulæ. E, Tabella. F, fractura.

Vide huius machinæ seu instrumenti discriptionem apud Galenum lib. de usu partium. VII. & lib. VI. de morbis curandis, Item in commentarijs eiusdem in librum secundum Hippocratis de fracturis.

Generalis diuiſio luxatio-

NVM, IN LIBRVM QVINTVM CHIRVR-gicarum inſtitutionum Ioannis Tagaultij medici.

Luxatio, Græcis exarthrema, oſſis è ſua ſede dimotio.
- *Simplex.* Nulli alteri affectui coniuncta.
- *Compoſita.* Alteri præter naturam diſpoſitioni complicata.

Luxatio tam ſimplex quàm compoſita,
- *Perfecta, ſiue abſoluta, aut completa.*
- *Imperfecta, ſiue non abſoluta.*

Completa luxatio, ſiue abſoluta,
- *Cùm os ſuo loco omninò excidit.*
- *Generis nomen retinet, dicitúrque abſolutè* Luxatio *Romanis, & exarthrema Græcis.*

Luxatio imperfecta, ſiue incompleta,
- *Cùm os, non in totum, ſed aliquatenùs duntaxat ſuo naturali poſitu dimotum eſt, dicitúrque ſubluxatio Latinis, pararthrema Græcis.*

Subluxatio, ſeu imperfecta luxatio,
- *Peruerſio, ſiue diſtortio.*
- *Laxatio, ſeu elongatio ligamenti.*

Peruerſio oſſis, quæ ſpinę vertebris maximè eſt peculiaris.
- *Lordoſis,* In priorem partem.
- *Cyphoſis,* In poſteriorem partem.
- *Scolioſis,* In latera.

Compoſitę luxationũ differentiæ, poſterioris ſeculi chirurgis.
- *Luxatio cum fractura,*
- *Luxatio cum inflammatione,*
- *Luxatio cum uulnere,*
- *Luxatio cum dolore,*
- *Luxatio cum duritie.*

Hæ propriè differentiæ non ſunt, ſed cõplicati affectus.

INSTITVTIONVM chirurgicarum Ioannis Ta

GAVLTII, DOCTORIS MEDICI, LIBER QVINTVS, DE LVXATIS OSSIBVS IN VNIVERSVM.

Quid luxatio, quæ ſint luxationũ differentiæ, & quot modis oſſa luxentur. Cap. I.

VUm luxationes fracturis proximæ ſint, conſequẽs eſt, ut de ijs generatim, (quemadmodum & de alijs ſuprà, in quatuor libris ſuperioribus, commemoratis affectibus, fecimus) nunc ſermonem faciamus. Luxatio igitur, ut formula quadam definiatur, eſt articuli è natiuo poſitu, ſeu proprio (quod dicitur) acetabulo, in alienam atque inſolitam ſedem prolapſus, quo motus arbitrarius impeditur: Græci exarthrema uocant. Huius autem (ut Paulus inquit) nullæ aliæ differentiæ habentur, præter eam quæ ex maioris minoriſque ratione ſumitur. Quum enim articulus ſua ſede in totum excuſſus deciderit, cõmuni generis uocabulo Græcis exarthrema, Latinis luxatio dicitur. Si autem è compagibus ſuis paululum duntaxat emotus eſt, aut uſque ad ſinus ſeu cauitatis ſupercilium (nonnulli marginem uocant) prolapſus, nobis ſubluxatio, Græca uerò conſuetudinẽ pararthrema nominatur. Sub qua ſanè differentia, & laxationem, ſeu ut uulgares chirurgi Auicennæ interpretem ſequuti loquuntur, elongationem ligamẽti comprehendimus, ſicuti & diſtortiones, ac peruerſiones cum pluribus oſſibus, tum uerò maximè ſpinæ uertebris familiares. Oſſa duobus modis potiſſimũ ſuis ſedibus Celſo mouẽtur. Nã modò quæ iuncta ſunt inter ſe duntaxat (inquit) debiſcunt (ut cùm latum ſcapularum os ab humero recedit, & in brachio radius à cubito, & in crure tibia à ſura, atque etiam interdum à ſaltu, calcis os à talo, quod rarò tamen fit) modò uerò ſuis acetabulis ex toto prolabuntur, hoc eſt, ſuis omninò ſedibus excidunt. Vertebræ nanque & articuli

Luxatio quid.

Exarthema

Parathrema.

Cap. II. lib. 8.

Quæ oſſa inter ſe debiſcant.

propẽ-

propemodùm omnes, tametſi ualidis neruis ac ligamentis comprehendantur, ſæpius tamen ſuis ſedibus elapſi decidunt: aut ui ſcilicet expulſi, aut aliquo caſu nerueis ligamentis uel ruptis uel infirmatis, faciliúſque in pueris & adoleſcentulis, quàm in robuſtioribus. Itaque modus hic poſterior exarthrema: prior uerò, quo tantum oſſa debiſcunt, & ſuis ex toto ſimibus haudquaquàm prolabuntur, pararthrema non immeritò appellabitur. Atque hæc ſunt luxationum diſcrimina ſeu differentiæ. Præter has tamen aliquot adhuc alias poſterioris ætatis chirurgi ſtatuerunt, quæ reuerà differentiæ non ſunt, ſed potiùs quædam ueluti præter naturam diſpoſitiones, cum luxatione complicatæ: ut cùm ipſi luxationi accedit inflammatio, aut fractura, aut uulnus, aut dolor aliquis ingens, aut tophacea quædam durities. Hæc enim, dolor inquã, fractura, durities, uulnus, & inflãmatio, cùm ſeorſum & per ſe ſubſiſtere poſſint, nullius unquàm alterius (ſi ſaltem Galeno credimus) differentiam conſtituent. Si quis tamen proteruè contendat, differentias eſſe, cũ eo certamẽ inire recuſamus: quãdoquidẽ hæc curandæ luxationis rationem & peruertunt, & non parum aliquando interturbant. Ac de his quidem in ſequentibus ſuo loco dicemus. Cæterùm modis quatuor potiſsimùm, quod ad ſitus differentias attinet, contingit oſſa luxari aut peruerti, ſeu aliquatenus detorqueri: in partem nimirum priorem ſeu anteriorem, poſteriorem, interiorem, & exteriorem. Alij ſuperiorem & inferiorem addunt. Quædam autem in omnes quatuor partes, quædam in certas promouentur. Sed præſtat ſingulorum exempla ſubijcere. Maxilla ſuperior, cùm non in homine ſolùm, ſed & in omni animante, præterquàm in crocodilo, immobilis exiſtat, luxatione non periclitatur: inferior uerò ſubinde oris hiatu in anteriorem partem luxatur, alternatúrue ac peruertitur, hoc eſt, aliqua ex parte diſtorquetur, & ex naturali ſitu in alterum repentè tranſmutatur, quod uerbo ἐκτρω expreſſit Hippo. Sed modò altera parte, modò utraque: toto autem loco non admodùm excidit, ut idem annotauit Hippocrates: quippe quòd capita, id eſt, extrema, qui & proceſſus appellantur, habeat in ſuperiori maxilla, firmiter ac tutò cardinis modo infixa, ex quibus neruoſi tendones, ualidis annexi muſculis, exoriuntur. Itaque hanc nunquàm luxari cõtingit, niſi quàm maxima oris apertio fiat. Vt cùm uel maximam rei alicuius molem ore excipere quiſpiam conatur, uel cùm oſcitando quàm maximè poteſt, os diducit, & in alteram partem os traducit, quorum primũ rarò contingit: ſecundum (inquit Galenus) euenire dementibus tantùm poteſt. Capitis proceſſus, in duos ſinus

Quæ oſſa propriè luxentur.

Affectus cũ luxatione complicati.

Modi luxationũ à ſitus differẽtia ſumpti.

Maxilla inferior, quî luxetur.

Capitis luxatio.

nus ſummæ uertebræ dimiſsi,in omnes partes prolabuntur: ſed dum in partem poſteriorem excidunt,mentum pectori agglutinatur,æger neque bibere, neque loqui poteſt: atque illi celerrimè mors ſuperuenit.

Vertebrarum ſpinæ luxatio.

Vertebræ in ſpina & in poſteriorem partem, & in priorem, tam ſupra ſeptum tranſuerſum,quàm infra ſubinde peruertuntur, ac nonnũquàm etiam ex toto prolabuntur. Sed cùm toto loco mutatæ ſunt, nulla reſtitutionis ſpes relinquitur, præcipitémque etiam mortem inferunt.

Clauicula quî luxetur

Nam intra triduum(ut Celſus ait)homo moritur. Clauicula (quam ſoli homini inter cætera animantia conceſſam eſſe Paulus exiſtimauit) nunquàm in totũ excidit:quippe quæ pectori ita cõmittatur, & inhæreat, ut ne moueri quidem in ipſo poſsit. Interdum tamen ex uiolenta quadam extrinſecus facta percuſsione,paululum auelitur. Sed neque altero fine,qui humeri articulo inſeritur, excidere admodùm poteſt.

Brachij caput.

Nam & à bicipiti muſculo,& ſummo humero prohibetur.Brachij ſeu humeri caput, quod in ſinum omoplatæ ſeu ſcapulæ demittitur, modò ad ima in alam decidit, idque frequenter, ſed in ijs maximè qui non multa carne præditi ſunt:modò(licet rarò)in priorem & exteriorem. In ſuperiorem uerò ferè nunquàm promouetur,ut quod ab utróque ſcapularum proceſſu,& eo ſcilicet qui anchoræ ſimilis eſt, & eo quod acromion Græci uocant,impediatur.

Genu ĩ tres partes luxatur.

Genu in treis partes excidit, interiorem nimirum,exteriorem,& poſteriorem iuxta poplitem. In priorem prolabi oppoſita patella prohibetur. Meges tamẽ eum cui in priorem partem excidiſſet,à ſe (ut Celſus refert) curatum eſſe memoriæ prodidit.

Cubitus,manus,& femur,in omnes 4. partes prolabuntur.

Cubitus,manus,& femur,in omnes quatuor partes prolabuntur,nempe in interiorem,exteriorem,anteriorem,& poſteriorem. Atque hæc pro exemplis adducta ſint. Nunc ad communẽ de luxatis oſſibus tractationem reuertamur, & iuxta morem à nobis hactenus obſeruatum,cauſas,ſigna, prognoſtica, & curationem luxationum in uniuerſum perſequamur.

De cauſis & ſignis luxationis oſſium in vniuerſum. Cap. II.

Cauſæ externæ.

Cauſæ internæ.

Cauſæ luxatorum oſſium,& à ſua ſede motorum, quædam ſunt extrinſecus ingruentes,ut caſus,percuſsio, & uiolenta atque incongrua membri alicuius extenſio, aut diſtorſio,ſeu peruerſio. Quædam uerò intrinſecus eueniunt,atq; ideo internæ dicuntur, ſicuti & ſuperiores externæ: ut cùm mucoſus aliquis humor,& pituitoſus, in articulis ſeu iuncturis aceruatur, qui articu-

articulationis ipſius ligamenta primũ madefacit, deinde laxiora reddit, & tandem ob eius multitudinem, ſua ſede os ipſum protrudit. Signa luxationum, quædam ſunt omnium cõmunia, quædam uerò propria cuiuſque. Asde communibus duntaxat hìc agemus. Hæc autem factionis Arabicæ principi Auicennæ à tribus potiſsimum deſumuntur. Nempe uel *à ſubſtantialiter (ut loquuntur) inhærentibus, hoc eſt, ab ijs quæ ſecundum eſſentiæ rationem inſunt: ut à mala partis ipſius laborantis conſtitutione ſeu compoſitione, in qua & tumor præter naturam ea parte qua os prorumpit, & ſinus ſeu cauitas inſolita ea à qua receſsit, manifeſtò apparent.* Vel *ab ijs, quæ ex neceſsitate conſequuntur (caſus & accidentia uocant) ut à dolore, qui ex luxatione cõtrahitur.* Vel *ab actione læſa, ſeu operationibus etiam ex neceſsitate conſequentibus, ut à motus affectæ partis difficultate, aut priuatione. Hæ itaque notæ in luxatis omnibus deprehenduntur, aliæ uerò in ſingulis.*

Signa luxationũ omnium cõmunia à tribus potiſsimum deſumũtur.

1.

2.

3.

De prognoſticis, ſeu iudiciis luxationum. Cap. III.

Onſequens eſt, ut communia quædam de luxationibus iudicia, quæ & prognoſtica uocant, hoc loco ſubijciamus. Primum prognoſticum ex Auicennæ & aliorum quorundam ſcriptis erutum, ad hũc modum habet. Quibus luxationibus inflammatio, aut uulnus, aut dolor ingens & acris accedit, hæ præterquàm quòd curatu admodùm difficiles ſunt, periculo quoq; non uacant. Adeò ut aliquoties in ijs caſibus tutum non ſit, luxatæ particulæ reductionem aggredi, ſed ſic eam remanere (ne pro læſione mors ſequatur) melius eſſe cẽſent. Aliud. Vetuſtæ omnes luxationes, & quæ ſpatio temporis iam callo obduruerunt, uel difficillimè, uel nunquàm cõſaneſcunt. Proinde ſtatim, ſi fieri poteſt, reponi luxata debent. Luxatio, in qua (inquit Guido) franguntur margines oſſium, hoc eſt, ſinus ſeu cauitatis ſupercilia, peſsima iudicatur. Repulſi enim in ſuum poſitum articuli, inibi diu perſiſtere non poſſunt: ſed leuiſsima quaque occaſione iterum relabuntur. Articuli qui neruorum ac ligamentorum uitio prolapſi ſunt, & poſteà in ſuas ſedes compulſi iterum excidunt. Indicium euidens oſſis in ſuam naturalẽ ſedem reducti, eſt, cum ueluti ſtrepitus aliquis auditus eſt, dum in natiuum ſuum acetabulum ingrediebatur: & membri nuper luxati figura, & conformatio, ſuæ ipſius aut alterius paris figuræ, quàm ſimillima tũ uiſu tum attactu

1.

2.

3.

4.

5.

attactu deprehenditur. Cæterùm ſi repoſito oſſe nerui diſtenduntur,
6. rurſus id protinus (ut cõſulit Celſus) expellendum eſt. Vt excidere omnes articuli non poſſunt, ſic non omnes reponuntur. Caput enim ſi in partem (ut ſuprà diximus) poſteriorem aliquando prolabitur, nunquàm in ſuos ſinus compellitur, ſed mortem ſtatim adfert ineuitabilem. Sic neque in ſpina uertebræ, cùm toto loco mutatæ ſunt: neque etiam maxilla, quæ utraque parte prolapſa eſt, & antequàm repoſita ſit,
7. inflammationem concitauit, ut Celſus memoriæ prodidit. Oſſa, quæ ſuis ſedibus mouentur, alia aliis faciliùs, alia difficiliùs & excidunt & reponuntur: nempe pro ratione & natura iuncturæ unde propel-
Genu. luntur. Itaque genu ut facilè prolabitur, ſic nõ magno impendio in ſuam
Digiti. rurſus ſedem compellitur. Digitorum luxatio nullum etiam faceſſit ne-
Cubitus. gocium. Cubitus uerò, ut tardiùs quidem ac difficiliùs excidit, ita prolapſus negocij plurimum exhibet. Aegerrimè enim propter tuberculo-
Humerus. rum ſeu eminẽti ũ, ſinuúmque frequentiã reponitur. Humerus autem, ut neq; difficulter admodùm, præſertim in macilentis, elabitur, ſic nec difficillimè in ſedem ſuã reponitur. Et ita de aliis. Multũ quoq; eò confert (ut Celſus inquit) & corporis, & neruorum, hoc eſt, tendinum, habitus. Nam ſi corpus tenue ac macilentum, ſi humidum eſt, ſi nerui &
Neruorum nomine apud Celſũ, ligamenta ũtelligũtur ligamenta infirma, expeditiùs os reponitur. Sed & primò faciliùs excidit, & poſteà minùs fideliter continetur. Quæ contraria his ſunt, melius cõtinent, ſed id quod expulſum eſt difficulter admittũt. Quibus in pueritia articuli exciderũt, neque repoſiti ſunt, minus quàm cæ-
8. teri creſcunt.
9. Quæ loco ſuo non ſunt, caro ea increſcit, magiſque in
Ex Hippo. & Celſo. proximo membro, quàm in ulteriore. Vtputà ſi humerus loco ſuo non eſt, maior in eo ipſo ſit, quàm in brachio, & in hoc (brachio inquam) maior, quoq; quàm in manus acie. Tum pro ſedibus & pro caſibus qui inciderũt, aut maior aut minor uſus eius mẽbri relinquitur: quóq; in eo plus uſus ſupereſt, eò minus id extenuatur. Inter luxatorum eiuſmodi prognoſtica numerantur & duo bi ſequentes Hippocratis aphoriſmi.
10. Quibuſcunque à coxendicum dolore moleſtatis, excidit coxa, &
Aph. 49. & 50. lib. 6 rurſus incidit, iis mucores ſuperueniunt. Quibuſcunque à coxendicum dolore moleſtatis diuturno excidit, coxa, iis crus tabeſcit, & claudicant, ſi non urantur. Hos autem nunc ſic coniunctim legimus & interpretamur: Quibuſcunque à diuturno coxendicum dolore conflicta-
Interpretatio duorũ aphoriſmorũ Hippo. tatis, propter mucoris ſeu mucoſi humoris ac pituitoſi copiam, in articulo ſiue iunctura coxæ coaceruatam, ὁ ἰσχιον, id eſt, coxa ipſa, (hoc eſt, femoris caput, quod in coxæ ſiue oſſis iſchij cauo inſeritur) ſuo

naturali

naturali acetabulo propulſa excidit,& rurſum incidit,(id eſt,in natiuam ſuam ſedem iterum ſponte reſiliit, aut aliter repulſa eſt: inibi tamen diu perſiſtere non poteſt, ſed ſoluta compage lubrica continenter relabitur)ijs proceſſu temporis crus(quod Græcis σκέλος dicitur,hoc eſt, totum membrum,tam tibia ſcilicet quàm femur) neceſſariò alimoniæ penuria contabeſcit,& ariditate conficitur,omnéſque in claudicationem euadunt,ſi non urãtur,hoc eſt, niſi prius ferramentis igne candentibus urendo,& mucus ille qui oſſis iſchij ſinum occupat, abſumatur,& laxitas cutis, ad quam femoris caput ſubinde lubricum procidebat,contrabatur.

De ratione curandi luxata in vniuerſum. Cap. IIII.

QVum luxata ſuo natiuo poſitu,in alienam atque (ut ſuprà retulimus)inſolitam ſedem prolapſa ſint, una nimirum cõmunis omnium luxationum curandi indicatio erit. Nempe luxati articuli & ſuo loco moti in propriam ac naturalem ſedem reductio. Porrò, ut ſcopum hunc primum & uniuerſalem aſſequaris,luxatum membrum in diuerſas partes decenter extendendum eſt,donec ſpatium inter oſſa liberum ſit. Tum id os quod ſuo loco excidit,ab ea parte in quam prolapſum eſt, in contrariam impellere oportet,atque ita in germanum ſuum acetabulum reſtituere,ut ſinus ſeu cauitatis inſolita uacuitas impleatur. Hæc autem leniter,& ſine dolore, quatenùs fieri licet,agenda ſunt. Cæterùm non una eadémque in omnibus extendendi ratio eſt,ſed alia atque alia, pro natura ſcilicet partis luxatæ,proútque nerui ac tendines ualent, aut oſſa huc illúc ue ſederunt. Modò enim manibus ſolis, modò habenis iniectis utendum eſt, modò uerò quædã alia machinamenta adhibenda ſunt,ut ex uno Hippocrate lecto,libro de luxatis & fractis,diſcere poteris.

Ab ijs ſecundum quo tendes fuerit,ut membrum quod exciderat,& iam repoſitum eſt,non amplius deinceps ſua ſede prolabatur, ſed inibi continenter perſiſtat. Repoſiti igitur articuli iunctura,modis omnibus ſtatĩ firmãda ac roboranda eſt. Firmabitur aũt optimè,ſi roſaceo plinatur,ac poſteà pãnus aliquis lineus gracilis,uetus,et lenis rhodino delibutus,ipſi applicetur: deinde ſi ſtupæ lenes ac panni multiplices, ouorum candido perfuſi,ſuper accommodentur,& poſtremò ſi faſcijs poſca madẽtibus,pro ratione particulæ longis latiſque,ſubligetur. Quinetiam ferulæ ex corio aut denſa papyro factæ,ſi neceſsitas uocet, circumdandæ Scandus ſopus.

cumdandæ ſunt. Cauenda autem ſemper eſt uehementior perſtrictio, ne inflammationem moueat. Iis ita ritè apparatis, membrum in figura ei maximè naturali, atque à dolore alieniſſima, ad quietẽ reponendum eſt. Nec uerò ante diem ſeptimum, aut etiam decimum: ſi nullum ſymptoma prauum acceſſerit, ipſum reſoluere oportet, aut alijs adhibitis medicamentis curare, ſed ita ſimere. Porrò nihil noxæ attuleris, ſi dum legitimo tempore reſoluitur, & ſecundò curatur, aqua modice calida foueris. Hic enim fotus gemina tunc ratione prodeſt. Nam & dolorem (ſi quis ſit) demulcet, & quod in laborante particula noxium conceptum eſt, digerit. Vbi autem ſic ut res exigit luxatum membrum foueris, mox huic emplaſtrum adhibebis, quod cõſtet polline, id eſt, farina uolatili, puluere rubro communiter appellato, & albo oni in unum corpus redactis. Poſt hæc uerò membrum ſtrictius obligandum erit, ut Razes medicus Arabs percelebris conſuluit. Ad eundem quoque modum, uetus omnis luxatio, & quæ ſpatio temporis callo iam obduruit, non modò fotum eiuſmodi aquæ ſimplicis calidæ (qui in hac re plurimum confert) antequàm reducatur, deſiderat: ſed etiam & eum, qui ſit ex decocto maluæ, althææ, fænigræci, atque id genus aliorum, poſtulat. Quippe qui molliat, laxet, diſcutiat, & membrum aptius extenſioni efficiat. Recentes uerò adhuc luxationes, & quæ nuper inciderunt, eius naturæ fotus tanquàm ſibi non parum incommodantes auerſantur & reſpuunt. Hi enim calfaciendo ac humectando relaxant, & diſſoluunt: unde pars ipſa afflicta imbecillior redditur, & ad recipiendam fluxionem pronior. Proinde & inflammationi opportuna efficitur, & luxati ſinus ſuperflua humiditate oppletur. Inde conſequitur, ut articulus in natiuo ſuo acetabulo diu perſiſtere non poſſit, ſed lubricus ac ſubterfugiens delabatur. Vetat etiam Auicennas pannos impenſè calidos membro recenter luxato admoueri, ne fluxionem etiam euocent, & inflammationem eo loci excitent: Quin potius eos cerato (inquit) refrigeratorio, aut uino aliquo auſtero imbutos adhibere conuenit.

Tertius ſcopus.

Cæterùm luxato, ita ut dictum eſt, in ſuam ſedem reducto, firmatóq;, & ad quietẽ cõueniẽte ſchemate ſeu figura repoſito, ipſum à dolore, & inflãmatione uindicandũ eſt, q tertius eſt ſcopus in curandis luxatis medenti propoſitus. Hunc igitur ſi conſequi ſtudueris, humorũ in partem affectam influxum modis omnibus prohibeto. Si enim fluxione tentetur, & dolorem ſtatim perſentiſcet, & inflammationem experietur. Quæ duo incommoda in luxatis & fractis maximè uitanda

ſunt.

ſunt. Hæc autem deuitabis, ſi quæ roborant & repellunt, parti luxatæ, ut paulò antè docuimus, adpoſueris: ſi prætereà tenuem ab initio probámque uictus rationem ægro imperaueris, illíque uenam, ſi nihil prohibeat, iuxta periti alicuius medici præſcriptum ſecueris: & uentrem, ſi opus eſt, purgãte medicamẽto ſubduxeris. Vtróq; enim auxilij genere (purgatione inquam & ſanguinis miſsione) fluxionem (ſi commodè adhibentur) à laborante particula auertimus. Verùm enimuerò ſi antè quàm ad curationem uoceris, luxata pars iam dolore infeſtetur, aut inflammatione occupetur, non priùs eam in locum ſuum à quo excidit reponere tentabis, quàm dolor finitus fuerit, & inflammatio conquieuerit. Si enim membrum ſic dolore, aut inflammatione affectum diſtendendo laceſsiueris, periculum eſt ne conuulſio, uel neruorum diſtentio, aut aliud prauum id genus ſymptωma ſuſcitetur. Hoc præceptum in luxatis omnibus diligenter, curioſéque obſeruãdum: à Cornelio Celſo ex Hippocratis ſententia, non minus doctè quàm eleganter, ijs uerbis traditum eſt, Quicquid loco ſuo (inquit) motum eſt, ante inflammationem reponendum eſt. Si illa iam occupauit, dum conquieſcat, haud quaquàm laceſſendum eſt. Vbi finita eſt, tentandum eſt in his membris quæ id patiuntur. Oportet autem inflammationem ipſam atque dolorem leuare ſuccida lana ex hydrelæo, id eſt, aqua & oleo moderatè calido, acetíque momento, ſuperimpoſita. Si uerò etiam febris acceſsit, & oſſa quæ ſuo loco mota ſunt, ualidíſque pleníſque muſculis & tendonibus contineantur, curioſiùs omnia facienda ſunt: ſed maximè quæ ad uictus rationem, uenæ ſectionem, & purgationem attinent. Cæterùm ſedato dolore, & finita omnino inflammatione, pleniore uictu (ſicuti & de fracturis dictum eſt) laborans refici poteſt, cibiſque uti bonis, uti uino modicè. Ac ſub finem quidem curationis, ſi è ſententia res ceſſerit, luxatum ipſum roborabis perfuſione aquæ decoctionis roſarum, abſinthij, & muſci albi quercini. Peracto fotu, Guido à Cauliaco iubet ſuperponendum eſſe ſpanadrapum, quod uocant, aut oxycroceum. Sed iámque ad uſus quoque ſuos, id membrum ſenſim, ac ſuauiter promouere oportet. Motus enim ut in dolore, atque inflammatione noxius, ac (ut ita dicam) peſtifer, ſic aliâs luxato præſertim iam obfirmato, ſaluberrimus corpori eſt. Si luxatis oſsibus uullus quoque acceſsit, multa diligentia, ac etiam prudentia eſt opus. Dum enim hæc reponuntur, ingens periculum, nonnunquam & mortem etiam maturam inferunt. Nam cùm ex diſtenſione adiacentes nerui & muſculi inflammantur, dolores ualidi, conuulſiones, & febres acutæ

Quartus ſcopus, quẽ eſt accidentium correctio.

Cap. 11. lib. 8.

"

"

Locus hic corruptus eſt apud Cel. quẽ ita reſtituendũ putamus.

oboriuntur, atque hoc præsertim in cubiti gibbero, genu, superioribúsque articulis etiam magis. Quantò enim principalibus membris, luxati cum uulnere articuli, uiciniores sunt: tantò maior timor est. Sed eò quoque grauius periculum concitatur, quo maius membrum est, quóue ualidioribus neruis, aut musculis continetur. Ideóque humeris femoribúsq; metus mortis est. Ac si reposita ossa sunt, spes (inquit Cels.) nulla est. Non repositis tamen, nonnullum periculum est. Eóque maior in utroque timor est, quò propiùs uulnus articulo est. Eam ob rem Hippocrates horum repositionem, ualentiorémque deligaturam omninò auersatur, solísque inflammationem abigentibus, & mitigantibus præsidijs, per initia uti iubet. Sic enim (inquit) ipsis superesse licebit. Itaque nihil tutò reponi posse præter digitos, & plantas, & manus, dixit: atque in his quoque diligenter esse agendum, ne præcipitent. Verùm ne digitus quidem in quo minimum ut malum, sic etiam periculum est, reponi debet, nisi ante inflammationem, aut posteà cùm iam uetus res est. Cæterùm quod ipse in solis digitis faciendum consulit, id nos in reliquis quoque articulis facere aggrediemur, ac statim quidem inter initia, dum pars adhuc inflammatione uacat, prolapsum cum uulnere articulum mediocri intensione (ualidam enim citra periculum perferre non potest) reponere tentabimus. Quod si iuxta animi institutum euenerit, in sola ratione, quæ inflãmationem arcet, persistemus. Si uerò inflammatio aliqua, aut conuulsio, aut quidpiam ex supradictis, repositio esse acciderit, rursus id (si modò sine ulla ui potest) suo loco protinùs expellendum est. At si hoc quoque discrimen, seu periculum metuamus (non enim inflammatus articulus sine ui fortasse cedet, & sua sede iterum propelletur) satiùs fuerit per initia in maioribus quidem membris, ut femoribus & humeris, supersedere, & repositionem differre. Vbi uerò inflammatio conquieuerit (id autem fit communiter post septimum nonúmue diem) præfati etiam periculum apud necessarios ægrotantis, quod ex repositione futurum sit, tum quòd si non reponatur, debilem ea parte hominem, & claudum mancúmue prorsus fore, conabimur tutò, & sine ulla uiolentia, os in suam sedem compellere. Porrò ulceris curationem eandem quæ proposita est in fracturis cum ulcere, administrabimus. Omne autem membrum, quod cum uulnere loco motum, neque repositum est, sic (si Celso & Hippocrati credimus) iacere conuenit, ut maximè cubantem iuuat: tantùm ne moueatur, né ue dependeat. Si luxatio cum fractura, sine ulcere tamen, euenerit, communi ratione membrum extendendum est, ac manibus conformandum,

Lib. de luxatorũ fractorúmue ossiũ coaptatione.

Si luxatio cũ fractura euenerit.

dum,ut in ſimplicibus fracturis ſuperiore libro docuimus. Si uerò etiam ulcus accedit,rurſus ab ijs quæ de fracturis cum ulcere,& luxationibus etiam cum exulceratione incidentibus priuatim à nobis dicta ſunt,cõgrua repetenda curatio eſt. Cæterùm,ut uerbo uno dicamus,ſi cum fractura luxatio incidit,hæc primùm, ſi fieri poſſit, illa uerò ſecũdò curáda erit. At ſi ante fracturæ adminiſtrationẽ luxatũ cõmodè reduci non poſſit,fracturã ipſam primùm curabimus,deinde cùm fractura callo iam obfirmata fuerit,luxationis curationem aggrediemur. Quòd ſi luxatio inueterauerit, & ob temporis ſpatium, calloſa inibi durities contracta fuerit,ea decocto maluæ & althææ(quam officinæ biſmaluam appellant) perfundenda eſt,deinde unguento dialthæa uulgò nũcupato,collinenda: poſt hæc, emplaſtrum quod Diachylon magnũ nominatur, ſuperapponendum erit, uel eius loco, lana ſuccida uiſcillagine quapiam emolliente delibuta. Ad hoc etiam efficax habetur,cortex radicis maluauiſci, hoc eſt althææ, in aqua decoctus, & cum axungia, uel anſerino pingui ſubactus, ut quaſi malagmatis lentor contrahatur. Itaque loco ſub his ſufficienter emollito, luxatum in ſuam ſedem dandum eſt.

FINIS LIBRI QVINTI INSTITVTIONUM Chirurgicarum, de luxatis oſſibus, Ioanne Tagaultio doctore Medico authore.



A Os coronale, quod & os frõtis appellatur. B Clauiculę, & oſſa furculæ. C ἀκρώμιον, proceſſus ſuperior omoplatæ. D Caput brachij, ſeu pars humeri ſuperior. E Os pectoris, quod στέρνον Græci vocant, conſtãs oſſibus 7. excipiẽtibus 7. veras coſtas, quæ ſuperiores ſunt & perfectæ: inferiores verò, quæ numero ſunt quinq;, nothę, imperfectæ & mendoſæ dicuntur. F Chartilago ſiniſterni adhęreſcens, ab enſis ſimilitudine dicta Græcis ξιφοειδής, hoc eſt, enſiformis, vulgus malum punicum ſeu granatum appellat. G Brachium, ſeu humerus & os adiutorij Guidoni, omniũ oſſium (femore excepto) maximum.

H Collum brachij. I Humeri orbita trochleis ſimilis. K Os inferi° & lõgius cubiti, quod Latinis vlna, & nomine totius cubitus dicitur, Guidoni & vulgo focile maius, Græcis πῆχυς. minimo occurrit digito, eſtq; rectum, vt ſuperius obliquum. L Os ſuprius cubiti (latèq; ſumpto nomine) quod Latinis radius, & focile min° Guidoni, Græcis verò κερκίς vocatur: occurrit pollici. N καρπὸς Græcè, Latinè brachiale, & raſceta Arabicè. Cõſtat oſſibus 8. duris & exiguis, ſi os quod ad pollicem ptinet, non numeraueris. O μετακάρπιον .i. poſtbrachiale, & pecten, conſtat tantùm oſſibus 4. Galeno, à ſeſe diſtantibus, palmam inter digitos ad carpum explentibus. P Oſſa digitorum, quę numero ſunt 15. nẽpe tria ſingulis.

Q Patella & rotula genu, græcè nonnullis μύλη. i. mola, aliis ἐπινυκτὶς, quaſi ſupra genu, os chartilaginoſum nulli alteri conſertum.

R Os baliſtæ vulgo, Latinis talus, ἀστράγαλος græcis. S Os σκαφοειδὲς, hoc eſt, nauiforme, ſua cauitate nauí ſimile, vnde nomẽ ſumpſit, circumambit caput aſtragali.

T Oſſa tarſi, & raſcetæ 4. carpo reſpõdent.

V Oſſa pectinis, ſeu pedij ac plantę 5. figura tereti & oblõga metacarpio reſpondent.

X Oſſa digitorum pedis, quæ numero ſunt 14. In ſingulis digitis præter pollicem terna,

ΣΚΕΛΕΤΟΝ A TERGO DELINEATVM.

B Sutura labdoeides, poſterior in occipitio: anterior quæ in ſincipite eſt, στεφανιαία. i. coronalis dicitur. Vide in prima fig.

C Sutura ὀβελιαία dicta, quæ recta & ſagittalis vulgo appellatur.

E Scapularum oſſa 2. poſtne pectus ſita, lata, figura triquetra, Græcis ὠμοπλάται, Latinis ſcoptula operta, vulgo ſpathulæ. Nulli alteri oſſi commiſcuntur.

G Collum omoplatæ.

H Os ſacrum, ἱερόν Græcè, amplum ſeu latum quibuſdam appellatum, finis ſpinæ dorſi.

K Os femoris, quod brachio ſeu humero, hoc eſt, oſſi adiutorij reſpondet, Græcè μηρός dicitur.

L Caput femoris.

M Collum femoris.

N Trochanter.

P Tubercula duo oſſis femoris.

DISTICHON OSSIum numerum complectens.

Adde quater denis, bis cẽtum, ſenaque, habebis
Quam ſis multiplici conditus oſſe, ſemel.

Oſſa fiunt è ſemine, cùm id quod eſt craſſiſſimum, à calido vrẽte induratur, ſicut lapides coquũtur à calido vrente. Sunt autem oſſa veluti truncus ſuſtinens reliquum corpus.





A Ossa θρέμματος, id est, sin cipitis 2. vulgo parietalia appellátur.

B Ossa λιθοειδῆ, id est, lapidosa vel perrosa, 2.

C Os frontis 1. quod & coronale vocant.

D Os occipitis 1. densissimum & firmissimum.

E ζύγωμα, vel os ζυγοειδὲς .i. iugale, & Paris vulgo. superiorem maxillã capiti coniungit.

F Os σφηνοειδὲς, cuneiforme, basilare, aliquando à multiplici forma πολύμορφον, colatorij, cauilla.

G Maxilla inferior: hæc in maximis oris hiationibus interdum à sua sede distorquetur.

H Processus duo maxillæ inferioris.

K ὠλέκρανον, seu cubiti tuber, superior vlnę ꝓcessus grãdior: Hipp. ἀγκῶνα nominauit.

L Ossa validissima quæ ossi sacro committuntur, Arabicè gaf herua dicta.

M Os ilium, & anchæ, pars superior ossis coxæ.

N ἰσχίον, seu os ischij, quod recipit femoris caput. Pixis coxæ dicta.

O Os pubis et pectinis, pars est anterior ossis coxæ ad pudenda.

Q Os maius tibiæ, quod & tibia nomine totius appellatur, & crus. Vlnæ seu cubito respõdet, κνήμη Græcis nominatur.

R περόνη seu fibula, & os suræ. os minus tibiæ radio cubiti, quod facile minus appellant, consimile.

S Malleolus externus, ima pars fibulæ.

T Malleolus internus, pars infima cruris seu tibiæ.

V Os calcis, seu calcaneus, Græcè πτέρνη ossiũ pedis maximum.

INSTITVTIONVM chirurgicarum lib. VI.

DE MATERIA CHIRVRGICA.

PRAEFATIO.

DE *materia remediorum, quæ ad chirurgum pertinet, plurima quidem Hippocrates, Galenus, & ante hunc Anazarbæus Dioscorides memoriæ tradiderunt. Quædam posteritas addidit nõ fraudanda laude: sua enim ueterum, sua posterorum gloria est. Atque iniquum decreti genus est, quod omnem fructum laudis & gloriæ huius disciplinæ uni Græciæ detulit, ut Arabum ac posteritatis studia perpetuis tenebris opprimantur. Illaudato solo laudatæ fruges sæpenumerò prouenium: Vixerunt Græci in media luce literarum. Extiterunt Arabes, & inde ductæ familiæ, iam desertis ac sepultis melioribus disciplinis, digna tamen luce æternáque memoria nobis reliquerunt. E uiuis fontibus Græcorum remedia primùm petenda sunt: sed ita, ut nec Arabũ riuos, nec posteritatis ingenia contemnamus. In his hauriẽdum quod saluum & incolume: repudiandum, quicquid fecerit cœnum, & disciplinæ ueterum malè conuenerit. Atque omninò hac parte perlustranda nobis naturæ fertilitas, à qua omnis ubertas, & quasi sylua remediorum ducta primùm est. Nusquàm natura magis luxuriat, nulla in re pariter atque his chirurgiæ opibus ambitiosa est. In quibus tã prolixè unmen suum explicat, ut Pronœa illa non tam Epicurea, quod quidam ait, quàm chirurgos fuisse uideatur: Plurima quidem ad uoluptatem & delicias hominis: omnia uerò ad salutem eius & conseruationem chirurgo comparauit. Nam quæcunque tota rerum facie exposita, quæcunque cauernis terræ ac uisceribus latent, quicquid est aquarum, stirpium, animaliũ, terra, ignis, maria, chirurgo inseruiunt. In fece rerum & excrementis, in carie, in rebus minimis, obsoletis, ac propè nullis, remedia condita sunt. In re una multiplex natura uario genere remediorum fœta est. In apicula quàm uariè lusit, quàm multas diuitias chirurgo condidit, mella, ceram, metyn, sandaracbã, fauos, propolim, quicquid denique locuples illa alueorum*

Interpretes materiæ chirurgorum.

Laus aliqua Arabũ & posteriorum.

Vnde petẽda materia.

Naturæ fertilitas in materia chirurgorum.

Pronœa chirurgos totius quàm epicurea.

 respub-

reſpublica continet. Quin & apes ipſas ad auxilia trãſtulit. Et in homine multa ſunt, quæ proſunt homini, ut quocunque animũ aduertas, quocunque oculos cõijcias, remediorum turba ſeſe offerat. In quo ſummopere probanda eſt maiorum diligentia, multóque magis imitanda ſtudia, qui in ea uaſtitate rerum nihil intentatum, nihil inexpertum reliquerunt: omnia elaborata & ſummo iure exiſtimata, literis conſignarunt, quibus iam perfrui datum eſt, alienis ſcilicet bonis. Primùm ergo conſuetudine, natura, & maiorum hiſtoria, infinita nobis materia comparata eſt, quæ iam deſerta ac ſupreſſa iacet, quia neglecta. Satis eſt capſula pauculis alueis diſtincta: ſatis pyxidicula: hic uno atque altero remedio contentus eſt, quæ ſcilicet accepit oraculo, nec ulli reuelãda putat. Sed ego ſic arbitror, optima eſſe remedia, quæ plurimis cognita, plurimis probata ſunt. Alteri elementa ſordent, & quicquid elementare eſt. Hinc noua elementorum ſoboles, hinc æther & cœlum ipſum ad remedia exprimenda ſunt. Vernaculæ ſunt nobis atque domeſticæ, naturæ opes, quibus uulnera coniungas, repurges ſordida, ſinus impleas & cicatrice tegas, cæteráq; præſtes omnia, quæ chirurgi opere cõtinentur. Verùm ſuis cuiq; ſtudijs frui liceat. Nos ex immẽſa, omnibuſque expoſita naturæ ſylua & maiorum hiſtoria, quæ iam publica uel multorum fide conſtent, remedia tranſferemus. Exhibebimúſque rudimentum operis ſuis quidem lineis deſcriptum, quod alius impleat, informet, ſuis denique numeris abſoluat. Nos ſpeciem aliquam & formam argumenti adumbrabimus, ſecuti Coſmographos, qui totius orbis ambitum an. uſta tabula contrahunt. Idem enim condonandum nobis, cùm non alios fines imperij, alios materiæ, de qua præſens inſtituta oratio, natura poſuerit. Genera quædam rerum & precepta artis primùm explicabimus, utendi methodum, & leges aliquas inſtituemus, ex quo cenſebitur particularis materia, & formulæ deſcribentur, quas partim ars ipſa reperit, partim optimorum medicorum uſus atque experientia comprobauit. Antidotarium inſcribunt hoc genus argumenti, nulla ratione aut uſu ueterum. ſed, ut fuit annorum licentia, è Græca uoce Latina analogia nomen detorſerunt. Multa nobis, plurima alijs reliquimus, ne uolumen, quod quinque libris Ioannis Tagaultij. & hoc de materia chirurgica commentario cogendum erat, in maiorẽ molẽ accreſceret: deinde non plus operæ hac in re licuit collocare nobis, quàm à quotidianis ſtudijs, ſtatáq; interpretandi cura relictum fuit, idque breuiori tempore, quàm hoc inſtitutum noſtrum breue, quidem, ſed uarium, expoſtulet. Ideoq; dignum uenia, ſi contracto ambitu

Taxantur noſtri homines.

Argumentum libri explicatur.

Antidotarium.

uerborum

uerborum,preſſáque periodo,quædã deſcribentur. Et in tãunmeroſa medelarum turba potior eſt uerborum moderatio, breuibúſque ſententijs res premenda eſt. Adhæc ponimus idoneos eſſe huic doctrinæ, qui iam intincti fuerint præceptis artis,quam Ioannes Tagaultius ſingulari ingenio atque incredibili ſtudio informauit. In qua genera morborum diuiſa ſint,circunſcriptæ formæ,deſignata indicia,notata præſagia,inſtitutæ leges,ſcriptæ medelæ plurimæ:in qua quæcunq; collabebantur in diſciplina uetere, conſtituta, quæ uitium fecerant,reformata:tota denig; ars,quaſi rediuiuo lapide inſtaurata eſt. Vnicã hanc partem operis interceptus negocijs in nos tranſtulit,quam ideò recepimus,ne & publica ratio deſeri à nobis, & officium neceſſitudinis repudiari uideretur. Multa igitur è Græcis,quædã ex alijs trãſtulimus. Quæ à Guidone, eiúſque notæ ſcriptoribus rudiùs tradita ſunt, paulò puriùs reddere contendimus, etiamſi intelligamus uitia corporum nõ curari eloquentiâ. Sed nec barbariſmo depelli poſſunt. Probamus quidẽ omnem orationem,modò ſentẽtijs rerum, quaſi ſuo ſucco & ſanguine condita ſit. Melior tamen hæc,ſi neque neglecta, neque ambitioſa,ſed mediocriter culta eſt. Adde quòd barbariſmus ille multas ſæpe tenebras rebus attulit,& optima quæq; ſordeſcunt plurimis,quæ ſordidis,nec ita puris uocibus deſcribuntur. In damnandis quibuſdam rebus,authores Græcos adhibui: in remedijs ea ſelegi,quæ præceptis artis congruerent magis, quæque ut res præſtò ſunt facilius comparentur. Atque hæc præfati,ad inſtitutum opus ueniamus.

Laus operis Ioannis Tagaultij.

De repellentibus. Cap. I.

Vtilitas repell.

Apotpoustikà Græci uocant,quibus & initijs fluxionum, & poſt initia utendum eſt, quamdiu uidelicet humor affluit: hinc enim phlegmones ortus atque incrementa:hinc uomicas,maligna ulcera,febrium dolorúmq; cauſas, alia denique permulta uitia corporum declinamus. Ideóque principijs obſta. Sed uacuandum priùs corpus eſt, ſi quidem poſtulat caſus,ac ferè poſtulat:quia in plethora & cacochymia,rheumatiſmi plurimùm commo uentur,quanquàm etiã in mediocri uitio humorum & copia,ubi phlebotomo uel pharmaco natura leuãda eſt. Idem remedium ſæpius innouandum,ſi quidem metus eſt, ne cùm incaluerit morâ,affecta inde pars nimium recaleſcat. Vis quoque remedij uitio conferenda: Leuius enim pharmacũ ut lactuca,in graui ardore fruſtra eſt:fortius, qualis

Vacuatio.

Modus.

eſt

eſt ſuccus è pomo Mandragoræ, liuore inficit, indurat ſcirrhum, & aliquando ita reprimit, ut in uiſcera fluxionis impetus rapiatur. Ad conſilium adhibenda hæc omnia, natura, ſitus, figura, ſenſus, robur, partiũ, humoris copia, qualitas, corpus, uiæ prætereà per quas is illabitur: neque perpetuò ſatis eſt infirmo loco repellens auxilium adhiberi: aliquandò enim ſuperius collocandum: ut ueluti præmiſſa manus uias intercipiat, nequid tranſfluat, ubi uenarum ductus atque coniugia animaduertenda. Cæterùm reprimentiũ natura admodùm cõtrouerſa eſt. Arabibus repellunt quæ influxum prohibent, refrenãt, craſſant, illinunt, oppilant, quæ denique robur partium cõfirmant. In Græcorum libris aſtringentium materia cum repellentibus ferè commiſcetur. Apud Latinos Cor. Celſ. ſcripta reliquit, quæ ſimul repellant atque refrigerent, & rurſus quæ ſine frigore repellant. Aurelianus in chronicis alia ſcribit unà aſtringere atque reprimere, alia aſtringere quæ non reprimant. Sed utriuſque, ut aliquot locis Arabum, in cenſenda materia non ſine uitio eſt oratio. Iuſtiſſima Græcorum ſententia, eáque nobis explicanda eſt. Repellit perpetuò quod frigidum eſt: frigidum aliud aqueum natura molli ac ſoluta, aliud terrenum craſſiore materia, quod quia aſtringit & magis contrahit partes, efficacius reprimit: aut certè ſolum id efficit, ſi quidem ab actionis uehementia repellentibus nomen inditum eſt. Ac certe in rheumatibus præſtantiſſima medicamenta ſunt, quæ cum quadam aſtrictione uehemẽter ſiccant ut non mordeant: qualia terrena ſunt. Quanquàm & alterum genus, quod aqueum eſt, utcunque reprimit, & ex æquo frigidum uel terreno frigidius eſt, ac refrigerio magis conuenit. Verùm præterquàm quòd humor frigore repercutitur. ſi quidem acceſſit cõſtringẽdi uis, quod iã coijt, loco exſtringitur, magis etiã ſi tenue eſt: & ſi quid reliquum ſit, ſæpenumerò reſiccatur: confirmatur pars, ut ſine pharmacorum ope quod poſteà influat, poſſit retundere. Verùm hac parte prouidendum, ne quid nimis, ne cutis grauius cõtrahatur, craſſeſcat humor, dolor exaſperetur, fluxio increſcat: grauius denique incendium irritetur. Atque ut initio quidem te iuuiſſe putes, reliquum tamẽ & ſcirrhodes & contumax perſiſtit, quod impoſterum ægerrimè diſcutias. Ac grauior metus, ſi quid uiſcerum infirmius eſt. Excipit enim celeriter quicquid retunditur: ubi omnia firma ſunt, in magnas uenas & uiſcera citra periculum aliquid refluet. Videndum quoque ne ultra modum contrabas in materiæ copia, craſſitie, uitio, molli uegetóque ſenſu corpore, dolore graui pariter & calore. Vbi laxanda potiùs uia eſt, ut diffluat calor,

Quæ adcõ ſilium adhibenda.

Cõuerſa repellentium natura.

Græcorum ſententia.

Cautio in aſtringentibus.

ac

ac dolor tẽperetur: qui ubi cruciat uehementiùs, ad laxantia & anodyna omninò confugiendũ eſt. Adſtringẽti ſimul atq; repellenti auxilio uis efficacior eſt, ſi quid tenuium partium uel natura inſitum, uel arte commixtum eſt: modò non mordeat. Iuſto enim calore temperari poteſt, multò magis, ſi (quod ferè fit) ab infirmitate fluxio, à frigore infirmitas orta eſt. Peſtiferæ materiæ non occurrimus, ubi in ſuperficiem diuertit: ſed potiùs illicimus, atque rapimus ui maiore, ſi tardiùs mota reſiſtit. Neque diſſimilis ratio eſt in criticis apoſtematibus, coxarijs, lue uenerea: ubi non repellenda in corpus, ſed foràs potiùs materia trahenda eſt. Iam uerò quæ illinunt, oppilant, offarciunt, aliàs quidem dolorem leniunt, aliàs acrimoniam hebetant, uiáſque intercipiunt. Ex quibus ſi uis, reprimant: ac reuerà nonnunquàm reprimunt, oleum roſaceum, ompbacinum, myrtinum, oui candidum, aliáque id genus. At gummi genera, reſina, gluten, farina piſtrinalis, gyris tritici, hydrelæo, oxelæo, Rhodino, repellente ſucco, auſtero uino diſſoluta, nõ tam ſponte ſua, quàm aduentitia ui reprimunt. Adſtringunt calida, folium, caſia, cinnamomum, ſpica, aloë, crocus, cyperus, calamus aromaticus, myrrha, abſynthium, marrubium, polium, ſaluia, cẽtaurium, uina quidem auſtera, & aromata plurima. Reliqua uerò tũ auſtera, tum acerba in proximum ordinẽ referemus. Leniter repellunt aqua, uinum, lactuca, intyba, polygonium, trifolium, auricula muris, lenticula paluſtris, pſyllium, liquor oui, umbilicus ueneris, ſemperuiuum, portulaca. In ſumma, quæcunque frigida aqueo elemento ſoluta ſunt. Omphacium adſtringendo efficax: Solanum ambigit. Hoc potentior rubus eſt immaturo fructu & floribus: mollioribus autem foliis & aſparagus plurimùm aquæ continet, ideóque leuiùs contrabit. Adſtringunt uitium folia, & capreoli, plantago, ſorborum, cornorum, meſpilorum, piraſtrorum, cydoniorum, myrtorum, ſpinorum fructus & folia, rhodonia, roſarum capita, obeliſci: deinde, ſed minùs, ſemina, flores, & folia: oxyacantha mediocriter: malicorium magis, cytinus, balauſtia, rbus, acacia, bolus Armenus, terra ſigillata, quercus, cupreſſi folia, germina, & nuces. Vehementer refrigerant pomi mandragoræ, hyoſcyami & papaueris ſuccus: quæ reliquis interdùm temperari poſſunt, ubi acrior inflammatio eſt, ſed priùs auferenda, q̃ inde partes liuorem ducant. Spongia è frigida expreſſa partim contrahit, fluxum inhibet, diſſipátque in uicinũ, quod iam coijt. Eodem modo lana ſuccida & ſplenia auſtero uino inſuccata. Magis etiam, ſi aquâ prius, galla et ſimilia incoxerint. Vinum aquæ præferendum, & maximè

Vbi nõ repellendum

Oppilantia

Quæ calida adſtrigũt.

Materia repellẽtium.

Aquea.

Omphacium.

Rubus.

Quæ uehementer refrigerant.

Aqua.

Vinum.

maximè austerum, ubi reprimẽdum est. In deligationibus fasciæ uino
Acetum. insuccantur. Acetum repellit, adstringitq; uehementer. Caphura re-
pellit, & tenuitate partium facilè permeat. Oculus populi ueteribus
Rosaceum. Græcis calfacit. Repellit gypsum oxycrato maceratum. Olei rosacei
frequens usus est, sed sit ex oleo omphacino, in quo rosæ sæpiùs mu-
Rõ in oleis. tatæ maduerint. Quod annum superat, exoletum est. Oleum omph-
acinum si desit, recenti oleo & uuæ acerbæ succo unà coctis, dum suc-
cus omninò exhalauerit, fingito, & ad ignẽ saligno ramo, uel simili as-
siduè commoueto. Oleum uerò nec sit conditum sale, nec ætate ranci-
dum: in myrtino, melino, lentiscino, & similibus eadem uitia fugienda
sunt, uetustas, rancor, salsugo. Mastichinum, nardinum, costinũ, adstrin-
gendo roborant, & calfaciunt. Vitiosum oleum, cũ integrum desit, tã-
Olea factitia. diu eluatur, dum uirus exuat. Eluatur aqua uel simplici, uel rosacea.
Descriptæ materiæ oleum uim combibet, si uel materia ipsa, uel succus
eius oleo incoquatur. Plantaginẽ gratia exempli, oleo recenti & pari
Cautio. aqua aut uino coques, dum solum oleum reliquum sit. In ardore ni-
mio periculosus olei usus est, quia calore incenditur & frigit. Ex-
Succorum usus. pressis succis meliùs utimur in lana succida, panniculis, ac spleniis. Por-
tulaca, semperuiuum, umbilicus ueneris, ægrè succum reddunt: nisi in
mortario tritis aliquid omphacij, uel liquoris similis affundatur.

Cataplasmata & æ rota. Cataplasmata fiunt farina in succo pisla. Ex oleis cerota coëunt,
& succis imbuuntur. Remedia neque dura sint, neque grauia, ne pres-
so loco dolores augeant. Ceruſa cichorij succo & aceto leniter dilui-
Cautio. Ceratum è Psyllio. tur. Ceratum à psyllio, Psyllij unc. quatuor in aquæ lib. quatuor ma-
ceretur percoquanturque, expresso succo, adde rosacei libram unam:
Ceratum rosaceum. ceræ unc. sex, contra articulorum rheumata. Non absimile ceratum
rosaceum. Duplice uase cera cum oleo liquefit: ubi refrixerint, cõsper
sa aqua commouentur, aqua reijcitur, succus plantaginis affunditur, ut
Ec. riãdro. quantum fieri potest, absorbeant. Inflammationes, sinus, ulcera geni-
talium quæ serpunt, adiuuat. In teneris corporibus idem ceratum co-
riandri succum imbibat. Coriandrum leniter adstringit, alijs refri-
Cerata magis adstringentia. gerat, Galeno calfacit: utere incrementis. Ceratum myrtinum & me-
linum magis adstringunt. Herpetibus, & nimio humore flaccidis ulce-
Cera. ribus conuenit, Myrtini lib. una: ceræ unc. duæ: pollinis myrtorum
unc. una. In ceratis utendum cera, quam adolescentior apum populus
confecerit: ceram uirgineam apiarij nominant, eáque è nouis fauis
separanda. Alioqui cera alba utendum erit, non sponte quidem nata,
sed factitia, qualis olim Tyrrhenica, quia suauior est, & acrimonia

hoc

hoc genus remediorum carere debet: ideóque præferenda cera è dulci ac diluto melle. In coagulato lacte & indè naſcente inflammatione farina fabacea hydrelæo uel rhodino piſta, mammis imponitur. Idem opitulatur teſtibus inflammatis. διὰ χαλκίτεως *contra rheumata hoc modo temperari debet: Adipis ſuilli recentis, exemptis fibris unc. duæ: olei recentis, litharg yri, ana unc. tres: chalcitidis unc. dimid. Conficiendum arte medicamentum: uſus tempore, unc. duas medicamenti, olei roſacei unc. tres colliquabis: ubi refrixerint, aqua frigida, ſucco portulacæ pſyllij, lactucæ, uino auſtero, ut res poſtulat, ſubiges, animaduertens quantum repellendum, adſtringendum, refrigerandum, ſiccandũ, leniendum, ut modò rhodini loco myrteum aut melinum miſceas: oxycratum hunc uel illum ſuccum alijs præferas. Quod ſequitur, exprimit ulceribus quod influxit: & quod influat, repellit. Litharg yri unc. quatuor: olei dulcis uel rhodini unc. quatuor: aquæ unc. tres: litharg yrum die uno hydrælæo coquitur: difficiliùs enim illiqueſcit: teneris corporibus & paruis ulceribus conuenit. Defenſiua uocant è boli Armeni parte una, terræ ſigillatæ dimidio, roſacei triplo, aceti uel ſucci repellentis dimid. Liquidis reliqua infriata commiſcentur: uel è bolo Armeno liquore oui conleuato: deinde affuſo ſucco è capreolis uitium, aut omphacij. Faſciæ ritè conuolutæ in repellentibus cenſeri poſſunt: quales in fracturis, & qui ab ulcere ſurſum adducuntur: ut adſtricta parte, & ita ductis orbibus paulatim laxes. Similiter cum altero membro atrophiá intabeſcente, alterum deligamus. Vincula quoque ſuperioribus partibus iniecta, quà uidelicet materiæ curſus eſt. Aliquandò etiam inferiores illaqueamus, ut cùm è crure exhalat uirus quod uiſcera appetat, ex quo et epilepſiæ et ſyncopæ cauſa præciditur. Sed in ulceribus plurimùm & fracturis, uias laqueo comprehendere oportet, ne ſi quid transfluat, dolor, phlegmone, putredo, ſyderatio, aliáque id genus concitentur.*

διὰ χαλκίτεως

De litharg. & hydrel.

Defenſiua.

Deligatio.

De attrahentibus. Cap. II.

Attrahètia unmateria

Multiplex uſus.

ΕΛΚΤΙΚΑ & ὑποσπαστικὰ *Græcis appellata, uſu quidem repellentibus conferri poſſunt, ſed natura plurimùm diſident calida, tenui ſubſtantia, quæque ui quadam rapiant, quæ in alto corpore poſita ſunt. Ideóque uiſcera, interniumq; corpus exonerant, foràs tranſlata materia: uenena in cutim euocant. Criticos abſceſſus accelerant, deſperatos pleuriticos & fortaſſe attonitos*

tonitos releuant: inguinum tumores amplificant: quódque uel peſtiferum, uel nimis uitioſum medio corpore conceptum eſt, aliò pertrahũt. Tabidas ac uelut ſyderatas partes uitæ reſtituunt: perfrigeratas ſpiritu refouent: uitioſam ſaniem exhauriunt, quæ neruis & cuniculoſis ulceribus latet: ſquammas oſſium detrahunt, coxariosq́ iuuant: hydropicos exugunt: paxillos, clauos, ſpinas, ſagittas reuocant: multò magis, ſi locus ulceris periculo inciditur, nec patitur æger anguſtiorẽ plagam ferro ampliari. Quod in uomicis, ſtrumis, panis, ægilope, oculis, auribus, reliquíſque partibus altiùs deſedit, eliciunt. Multiplex ergo attrahentium uſus, ſed nihilominus uaria materia eſt. Alijs ea uis à natura inſita eſt: atque in his modò manifeſta qualitas elementaris: modò occulta quædam proprietas & naturæ familiaritas attrahit. Aliud genus hoc habet aduentitia qualitatum ex putredine contracta acrimonia. Calor Galeno omninò attrahit, ſed quod attrahit, non protinus calidum eſt. Aphrodiſæus aliud ſenſit. Attrahunt cucurbitulæ, ſanguiſugæ, pyulcus, ſuctus, dolor, uincula, frictio, cauteria. In attrahentium uſu aliquandò quod fuerit attractum, corpore excludimus: ſed hic modus eſt, ne cum uitio partem frugi materiæ eripias. Nonnũquàm tantùm attrahimus, non etiam diſcutimus: ut quum in partem emortuam calor & ſpiritus attrahitur. Argenti ſpumam, ceram, reſinã picem, oleum, epiſpaſticis ueteres miſcuerunt, ut & temperarent, & magis emplaſticum pharmacum efficerent. Quidam etiam adſtringẽte materia obtundi uoluerunt. In primo genere ſunt dictamnus, propolis, ceram uirgineam uertit Scribonius. Rudis eſt & craſſa materia in apum officinis, nondũ cera: odore graui, ut qua pro galbano ueteres uterentur. Ea mellatione uerna, ſeparari poteſt fauorum pars quæ cellas obſtipat. Sed iam exemptis fauis, poſteaq́ mella diffluxerunt, quicquid eſt in fauis, unà confundũt, ut nihil ſyncerũ haberi poſſit. Magna uerò ſyncerę propoleos uirtus eſt: ſpiritus craſſos & uitioſam materiam ex alto elicit. Recens per ſe ſatis eſt mollis & pinguis. Sic in puncto neruo agricolæ Galenus uſus eſt: quæ ætate induruit, oleo ueteri molliri debet. In mollioribus corporibus oleo illiquatur. In duris lacte multo tithymalli: cum terebinthina ſatis attrahit.

Differentia attractiũ.

Quæ miſcẽda attrahẽtibus.

Particulatis materia.

Propolis.

Thapſia & uiſcum.

Thapſia recens utilis: bimula & uetuſtior exoleſcit. Cerato miſceri ſolet: quæ quia ut uiſcum plurimum aquæ cõtinet, quatuor & quinque horas inſiſtere oportet. Radix arundinis cum melle. Sagapenum, galbanum, ammoniacum, opopanax, calx uiua, cinis è fæce uini uel aceti, quæ loco nitri eſt, ſtrutbion, ariſtolochia longa, quæ & ſpicula, &

Loco nitri fæx cremata uini uel aceti.

ſquammas

ſquammas extrahit, lepidium, ſinapi, naſturtium, tithymallus, dracontium, pyrethrum, ramunculus, ſales, tum qui edi poſſunt, tum ammoniaci. Quædam infriata affricantur, aut gummi & reſinis concorporantur. Lixiuium in ſubtili calidáque materia extillatum: ex eadem cinis Anemonæ, calamintha, narciſſi radix, cyclaminus. Sparibi quo uites alligant fructus, & è foliis ſuccus. Acetum, ſed hoc ſuſpectum, ubi ſiccitas, dolor, inflammatio, ulcus, adſtrictio, & à neruis dolor eſt. Cantharides ex polenta & melle piſtæ. Medullæ & adipes ætate acrimoniam contrahunt: urſinus adeps, hyeminus, pardalinus, leoninus, & alij, ſed hi maximè. In alopecijs & profluuijs capillorum uitium diſcutiunt, attrahúntque quod ad capillitium utile ſit. Oleo et oleæ flore, tela ſibi refigere elephantos, teſtis eſt Aelianus. uetus ſit oleum tenue & calidum. Sulphur infriatum melle, oleo, terebinthina, ſaliua hominis, axungia. Idem in œnoſtagmate feruefit dum enatet lentor quidam (oleum appellant) quem concha excipere oportet aliquoties commutanda aqua, dum ſatis olei collectum ſit, quo demerſum corpore hydrargyron foràs elici uoluerunt ſtatim illito à balneis. Euphorbium recens acrius eſt: bimũ trimúmque paulatim remittitur: quinto & ſexto anno exoleſcit. Cerato temperatur, quod uel decuplum, uel duodecuplum oleum habeat, & triplam ceram. Modus eſt ut tantùm erubeſcat locus, & pruriat, non uratur, nec ulcus contrahat, niſi & hoc etiam neceſſe ſit. Cerato largiore dilui poteſt quod eſt acrius: quod uerò languidius pharmacum, aucto euphorbio, cerato imminuto augeri debet. Eadem lex in reliquis eiuſmodi ſeruanda eſt. Ardor affuſa aqua, aceto (quod uĩ thapſiæ efficaciſsimè diluit) ceruſa è rhodoſtagmate lota extinguitur. Succus cyrenaicus medicus, opobalſamum & alia, quæ partim exoleta ſunt, partim uſui eſſe poſſunt, ex 3. de comp. pharmacorum & γένη, & alijs Græcorum libris repetenda. Aduentitio calore trahunt, fermentum, ſtercus anſerinum, gallinaceum, columbinum, arietinum, humanum, & quæcunque talia ſunt. Scatebat quidam è grege mẽdicabulorum lue uenerea: aliquot diebus uniuerſum corpus equino fimo obruit, ut tantùm eſſet quà reſpiraret. Erat ſtercus ſtabularium, equino lotio ſæpiùs perfuſum, quódque iam computruerat. Effecit ille hac arte, ut totum uirus exprimeret: addidit aliquoties enchriſton ex axungia, larigna, & hydrargyro. Nec alia uitæ lex ſeruata eſt, quàm mantica offerebat: atque his remedijs curatus eſt. Fermentum oleo incoquitur: fundit, liquat, ſurculos trahit, pedes contuſos ſanat, mollit, diſcutit. Axungia ueteri, larigna,

Aætum.

Medulla et adeps.

Oleum.

Sulphur.

Euphorbiũ

Modus euphorbij & ſimilium.

Quæ trahũt aduẽtio calore.

Mendicus lue uenerea curatus.

Fermẽtum.

terebinthina & reſinis liquidis piſtum efficaciſsimum eſt. Aliâs cum
Coagulum. cepa cocta ſubigitur: coquit, trahit, diſcutit, aperit. Coagulum quò uetuſtius, eò efficacius. Ex ecbino animalium (quæ πολύποδα) lepore & uitulo marino colligitur. Lac eſt in lactentium animalium uentriculo uel omaſo ita concoctum. Ariſtoteles ad alui profluuia utile facit magis leporinum: equinum Dioſc. Arabes & quidam è Græcis adſtringens frigidum, ac reprimens auxilium faciunt. Alij acrimoniam elementis, reliqua occultæ qualitati attribuunt. Hoc certò habet, quòd
Quæ qualitate occulta. diſſipata cogit, & coacta diſſoluit. Magnes ferrum attrahit: repellit Theamenes. Succinum illicit feſtucas ignorata ui. Cancer fluuiatilis tritus tela extrahit: lacertæ caput: rana ſummis partibus reſectis.

Cochleæ. Cochlearum & limacum carnes, aliàs per ſe, aliàs cum ſuis uolutis tritæ, ac mixto interdùm coagulo, tela rapiunt, atque hydropicis aquã exugunt: non priùs ſoluere oportet, quàm totus humor exudauerit.

Oſtrea uiua Scorpio. Oſtrea uiua peſtiferos bubones loco transferunt, & ad ſe trahunt. Scorpio tritus & impoſitus, quod infixit uirus, retrahit. Oleũ qđ ex eo fit, idẽ efficit, & calculos educit illitũ glãdi. ſi ĩ cole reſiterit: uel pubi, ac perinæo, ſi ſuperiùs inhæſerint. Cucurbitula ſumma ui rapit. Hirudines ſuperfuciẽ fugunt. Pus, urinas, calculos, ſuctus elicit. ore mundo ac priùs loto ſit, qui exugit. Pyulcus, catheter ijſdem utilia ſunt: uincula, frictio, pbœnygmus, dropax, ſinapiſmus, ferrum candens, uel admotum, uel impreſſum, calore trahunt. Sed hoc uiolentum remedium eſt. Verùm quæ non ſanant pharmaca, ſanat ferrum: quæ nec ferrum, ſanat ignis: quod Hippocratem in Aphoriſmis ſcripſiſſe uolunt.
Aph. Hip.
Pſoricum. Mixta remedia ſunt theriaca. Pſoricum dupla chalcite & lithargyro, aut æquis partibus cadmiæ & chalciteos: uel duabus chalciteos, & tribus cadmiæ. fortius eſt quod cadmiam, quàm quod lithargyrum recipit: minùs acre lotis metallicis. Ex acerrimo aceto trita &
Quomodò tenuiora metallica. ficticia clauſa ſepeliuntur ſimo. Hac arte macerata, triplo, duplóue cerato excipiuntur. Ceratum ſeſquialtera ratione dupla, tripla olei, ad ceram conficitur. Ea metallicorum cura pharmaca tenuiora fiunt, faciliùs penetrant, & inde trahunt.
Oleum ſit uetus, ricininum, ſinapinum, ſicyonium.
Reſinæ & inde olea. Raphaninum, è terebinthina, larigna, ſtrobilina, pinea, picea, abietina, arte chymica ſi uis diſtillatum: quæ reſinæ etiam è profundo trahunt, ſed in primis terebinthina, deindè ſtrobilina: in quibus non modò calor, ſed tenuitas partium in attrahendo ſpectari debet.
Formulæ ex Gal. Orib. Act. Formulæ ſunt. Cerati unc. quatuor: terebinthinæ unc. dimid. liquatis immiſce puluiſculi, euphorbij drach. tres. Interioris fermenti

menti unc.una: terebinthinæ liquidæ unc.una: concorporata plurimùm ualent in punctis neruis. Propoleos acris & pinguis (nam cera uirginea abutendum non eſt) unc.duæ: olei ueteris unc.quatuor: galbani unc. dimid.coëant ad ignem. Picis liquidæ, picis aridæ, propoleos, partes æquales. Lithargyri, ceruſſæ, ſalis, ana drach. decem, ſeorſum tuſa, & cum olei unc. tribus in mortario piſta, ad ignem diu uerſentur, paulatímque decoquantur. Lithargyri, ceruſæ, nitri, ceræ Colophoniæ, ammoniaci, ana unc una: olei ueteris unc. ſex: reliqua uncijs ſex lixiuij ficulnei dum nõ inquiment, concoquantur. Deindè cera Colophonia, ammoniacum, deinceps quidem ac paulatim adijciantur.

Relatũ ad Andromachum.

Nucleorum è dactylis crematorum, nitri rubri, ſalis ammoniaci, uel gemmæ, ariſtolochiæ rotundæ, radicis cucumeris agreſtis, terebinthinæ ana drach. uiginti: piperis nigri & albi, ammoniaci, amomi, xylobalſami, myrrhæ, reſinæ ſiccæ, capitũ lacertæ, lactei ſucci mori, ceræ, ana drach. decem: adipis caprini drach. quindecim: olei lirini quod ſufficit ad emplaſtrum. Vix parari poteſt, niſi ad uocata ἀντιβαλλόμενα confugias. Quod ſequitur admirandum ad ſtrumas, ramicẽ gutturis, parotidas, omnem duritiem, & œdemata. Cupreſſi folia neque teneriora, neque duriora in puluerem comminues: tertiuo uino conſperges, atque ita uolutabis, dum in fæcis corpus coëant. Inde ſtruma uel ramex inducitur, tertio primùm die ſoluitur medicamentum: contractum locum inuenies, qui digitis exprimi debet. Rurſus ad tres dies idẽ pharmacum applicabis, eodémque modo ſolues & exprimes: ſeptimo die, uel ad ſummum nono, ſtrumæ uelut miraculo abolebuntur. Exugit hoc ſaniem per poros affectæ partis. Olei antiqui unc. uigintiduæ: ceræ albæ unc.quindecim: nitri uel ſalis torrefacti, aut fæcis crematæ uini unc.tres: terebinth.unc. duodecim: lixiuij querni, uel ficulnei unc. octodecim: cera cum oleo liquatur: terebinthina adijcitur, refrigeratis nitrum conſpergitur, lixiuium paulatim affunditur: omnia piſtillo conuoluuntur. Plurima ex tertio & ſexto de compoſitione pharmacorum κ' ϛ'νη, & 15. Aet. repetẽda. De ſinapiſmo, dropace, phœnygmo, & alijs alio loco. Addunt Apoſtolicon Nicolai, Oxycroceum, & alia.

Necepſonis è apreſſo.

De reſoluentibus. Cap. III.

INcrementis rheumatum diſcutiens materia cum repellente miſceri debet. Inclinante uitio diaphoretica pura ſint. & horum unicum fortaſſe genus eſt: ſed clarior doctrina

fuerit, ſi duplici differentia ſepararemus, ut alia quidem leuiora, quæ ἀραιωτικὰ: alia fortiora, quæ διαφορητικὰ ſi uis, appelles. Araeotica mediæ naturæ uicina ſunt eo calore, quem humiditas temperet: ex quo minimè ſiccant, dolorem leniunt, relaxant cutem, ſpiramenta corporis rarefaciunt, tenuitate partium intrò penetrant, quódque inhæſit parti, liquefaciunt: hinc ex humore uapor fit, qui ſubinde expirat, dũ omninò locus detumeat. Et adhuc quidem ſatisfaciunt, ubi tumor in ſuperficiem exponitur. Locúſque mollis eſt ac rarus, materia uerò calida, humida, & tenuis eſt. Quòd ſi in alto corpore humor deponitur: ſi idem frigidus, craſſus, glutinoſus: ſi dura denſáque cutis: ſi uerò longitudo quædam eſt flexus & anfractus, iam ui maiore opus eſt, uidendúmque non quale in præſentia, ſed quale futurum ſit medicamentum, quum eò peruenerit. Ex quo nec acribus quidem parcendum erit. Etenim pars exterior perferet, quæ ægra dolénſque tolerare non poteſt. Maiora uerò remedia in diaphoreticis numerentur, iam uicina epiſpaſticis: quanquàm utraque uirtus euocandi atque digerendi plurimis rebus inſita eſt: ſed ut in unoquoque uis altera ſuperat, ita genera diſtincta ſunt. In hepate, liene, uentriculo, atque id genus partibus, à relaxantibus metus eſt ne diſſoluant uires: ideóque adſtringens materia, qualis eſt aromatum, miſceri debet. Frigida craſſáque materia, incidente auxilio priùs comparanda. Mollienda quoque ubi durior concreuit, ex quo à leuioribus ad maiora remedia gradus paulatim fiat, ut ſine periculo diſcutias. Alioqui diffluet tenuè, lapideſcet quod craſſius eſt. Cum parte ſtupida, duriùs: cum ea quæ uegetiùs ſentit, clementiùs agendum eſt: quanquàm ſtupore partis abutendum nõ eſt, ut ea imperes, quæ exulcerent. Sic enim ſenſile corpus intabeſcet: contrahetur, non rareſcet: cogetur materia, non liqueſcet: horror, dolor, fluxio irritabitur: debiſcent uenæ, omnia in deteriùs commutabũtur: multò magis ſi pharmaca craſſiore conſtent materia, & ſiccent. In phlegmone quæ uetus eſt, uidendum nunquid affluat: id ferè accidit tumoribus qui inueteraſcunt, ubi medela quæ reprimat, commiſcenda eſt. Poſteaquàm uerò ſubſedit tumor, ac nihil quod exhalet reliquum eſt, confirmanda pars, quæ longo uitio elanguit, multò magis ſi ſtatis periodis, rheumatiſmo uexari ſolet. Araeotica ſunt, chamæmelum, limi ſemen: in maluis efficaciſſima, althæa: ſequitur agreſtis, domeſticæ uis nimio humore elanguit. Aqua calida utitur Hippocrates in fracturarum exolutione, quam uocat ὑδρέλαιον: uinum exiccat, reprimit, & digerit: lana ſordida bene carminata inebriata uino,

Ἀραιωτικὰ. Διαφορητικὰ.

Conſilia in uſu reſoluẽtium.

Cautio.

Ab acrioribus quũ commigat.

Particularis materia.

no,& inde preſſa:ceratum ſimiliter. Butyrum digerit,mollium corporum parotidas,bubonas,oris phlegmonas, aliáque innumera, ut per ſe ſatis eſſe poſsit. Oleum dulce,calens,& in quo illa efferbuerint. Sicyonium è foliis, fructu & radice cucumeris agreſtis. Crinelæon intinctum croco,omnes inflammationes diſcutit. Oleum caryinon efficacius è rancidis. Nux rancida per ſe,uel cum melle trita efficaciſsimè ſuggillata rapit, inuritur, aut candente ferro premitur, ut reddat oleum, quod optimè diſcutiat. Omne oleum concalfactum igne, quale eſt lucernarum, uel ignito ferro extortum,efficacius eſt. Oleum uetus,ricininum,canabinum,anethinum,quod è roſmarino,maiorana, zambace, leucoio, hyſſopo, aliiſque eiuſmodi œnelæo coctis, dum omninò expiret uinum. Rhaphaninum, ſinapinum, melanthinon, terebinthinum,hypericinon,potenter digerunt.E radice bryoniæ,& uocati ſigilli Mariæ,cnico,grano gnidio,hydropicis et œdematis olea cõparantur. E galbano,hammoniaco, & ſimilibus quæ molliant ac digerant. E dauco, caro, cumino, ruta,ut flatus excutias, cui rei galbanarium utile eſt.Si quid incidendum,detergendúmue,aliquid aceti uel oxymelitis affundi poteſt, quo tempore abſinthium, polium, centaurium, iris, ariſtolochia,gentiana, urtica, hyſſopus,& ſimilia œnelæo ĩcoquantur. Hîc uinum melius non adſtringens, giluum, tenue & odorum. In phymatibus & parotidibus duriorum corporum talia ex uſu ſunt. Braſsica per ſe,uel cum axungia trita,induratas phlegmonas & uetera eryſipelata diſcutit. Adipe & medullis recentibus laxando,ueteribus diſcutiendo utendum eſt.Maſtiche,furunculis:Ammoniacum & ſimilia chœradibus & articulorum tophis conueniunt. Fermentum oleo piſtum,& cum cocta cepa mixtum,potenter coquit,mollit,ac digerit. Pellibus animalium recèns detractis,in contuſis uerberúmque plagis uti conuenit. Fœnum græcum duris phlegmonis adhibendum. Acetum achoribus & œdematis utile eſt. Agrippa concalfacto aceto pedes immerſit,unde intolerabili pedũ cruciatu liberatus eſt. πολύαιμα collo appenduntur & ui latente,uel elementari qualitate uitia corporibus excutiunt,corallus,uiſcum,pœonia. Mirum eſt quod affirmant. Coluber è cauda ſuſpenditur ſubiecto uaſe aqua pleno,in quod ille debiſcat ore: aliquot pòſt horis uel diebus lapidem euomit,qui in breui totam uaſis aquam cõbibat. Alligatur lapis hydropicorum uentri, atque in totum exhauſta aqua liberat. E ſambuco & ebulo oleum œdemata iuuat, & hydropicos.Compoſita ſunt Cerata, q̃ ſimplicia, oleo minùs digerunt, ſed fortiùs hærent. Oleum abieti-

Olea.

Oleum liliorum cum croco.

Nux rancida.

Acetum.

Agrippa aceto liberatus.

Cerata.

tinum, chamæmelinum, anethinum, ſampſuchinum, & ſimilia, cum ſubquadrupla cera uaſe duplici colliquabis: liquatis duodecimam partem terebinthinæ, uel larignæ commiſcebis. Iiſdem oleis & giluo uino erinaceus coquitur, dum putreſcat, oleum pinguius relictum arthriticis conuenit: idem è uulpe, lutra, mele, fieri poteſt. E lini ſemine oleum mola exprimitur, cum ſarmentitio lixiuio ſubigitur, modicum larignæ ad lentorem adijcitur. Panis cibarius, ſalſus, fermentatus è ricinino piſtus, ſuggillata delet. Fauos mellis è uino friges, cum loliacea farina, momento butyri, & larignæ ſubiges. Bdellium cũ melle teritur: calx cum ueteri axungia: laſerpitium cum ſulphure: hæc omnia, molliunt, tergent, diſcutiunt. Sulphur cum oleo uetere, melle, terebinthina, uel ſaliua mixtum, aut urinâ maceratum, in uenenatis morſibus deterget, attrahit, diſcutit. Calce lota, & recenti axungia mixta in tenellis corporibus utendum erit. Lixiuium cum melle, farina hordeacea, fabacea, conuenienti cleo piſta, calidiori phlegmone cõuenit. δι' χαλκίτεως uncia una, in olei ueteris, uel ricinini unc. duabus liquefit, declinanti phlegmone: ante declinationem, & in uigore oleum ſit dulce ætate media. Orobi farina diluto oxycrato cocta, ut ſit calidũ cataplaſma, craſſa et uiſcida ſecat, & diſcutit. In contumaci uitio & minùs calente: olei chamæmeli unc. tres: ceræ drach. tres: axungiæ anatis & gallinæ ana unc. una: chamæmeli & anethi ana drach. duæ. omnia lento igne cocta percolantur, ut fiat unguentum. Olei ſicyonij unc. tres: ceræ drach. ſex: terebinthinæ drach. duæ. In frigidiore materia ita temperabis: ſeminis fœniculi, aniſi, anethi ana dr. duæ: farinæ lupinorum, ſeminis fœnigræci, lini ana unc. una, cocta uino, tuſa ex oleo & aceto imponantur. Papaueris cornuti folia cum axungia & propoli pingui trita, ſtrumas, bubones, & ſimilia molliunt, atque diſcutiunt. Colophoniæ lib. una: ceræ ſeſquilibra: oleo liquentur: liquatis addito ſalis torrefacti unc. ſex. ubi refrixerint manibus conuoluito, cylindros uel magdaleones fingito, uſus tempore aluta intendito adhibitum hoc pharmacum: pus in ſe rapit, quod cum hæreat, eradi debet, ac rurſus aluta imponi, idque ſæpiùs repetendum. Nam ueluti miraculo conditum pus emulget, & uitium diſcutit: ſed quia durius, in dolore abſtinendum. Eidem rei picis aridæ, ceræ nouæ ana lib. unam: olei lib. duas blando igne fuſa coniungito. Adipis porcini, picis, ceræ nouæ, ſaponis nigri ana unc. duæ: liquata tranſcolato, hydropiſmos & dothienas adiuuat. Vehementer diſcutit galbani, caſtorei ana unc. una: liquefiant in olei ricinini ſeſquilibra: expreſſo

Sulphur.

Vſus διὰ χαλκίτεως

preſſo & colato oleo adde picis,terebinthinæ ana drach.quatuor: ceræ quod ſufficit,ut fiat ſolidum pharmacum. Hæc autem contumacibus uitijs imperanda ſunt, in quibus eſt quod molliat, coquat, trahat, diſcutiat. Plura ſexto & ſeptimo de compoſitione pharmacorum κεφ. 15. Aetij, & alijs Galeni libris. Partem chalaſticis fouebis, ex quo diaphoreticum induces, quod initio quidem lenius: poſteà uerò ut ſubſidet tumor,efficacius eſſe oportet.

De mollientibus. Cap.IIII.

Malagmatũ natura.

Μαλακτικὰ ſunt,quæ modicè calida nulla ui ſiccandi uel bumectandi manifeſta indurata corpora emolliunt, quanquàm (ut omnia ferè multiplici natura coierunt) in malacticis cenſentur plurima, quæ primo ordine calfaciant, ſecundo ſiccent,ac tertio. Sed quà malactica ſunt, humido calidóque elemento temperari neceſſe eſt. Plurimus uſus eſt in tumoribus,quos σκιῤῥώδεις Medici appellant. Hi in muſculorum finibus ferè concreſcunt: aliquandò in medijs muſculis glandibus, uiſceribus,ulcerum labris,ex materia craſſa,lenta,& frigida,qualis eſt pituita, & melancholicus ſuccus. Sed è melancholico ſucco omninò cancroſi ſunt, & malagmatis exaſperari ſolent. Inflammationes in ſcirrhum cogi contingit,ſi materia craſſa & lenta eſt: ſi adhibita pharmaca,quæ nimium ſiccent & calfaciant, qualia ſunt ὑδροπαστικὰ & ὑγρωτικά. Hinc enim tenue exprimitur,reliquum occaleſcit. Sic enim tophi in articulis,& calculi in renibus lapideſcunt. In tenui ſeroſáque materia non ita metuendum: tota enim facilè exhalat. In craſſa & uiſcida omninò declinanda quæ ſiccant,diſcutiunt,adſtringunt: ſiquidem ſola molliendi cura eſt. Malacticis quod clementer digerat,interim commiſcemus, ubi iam malagmate cœperit tumor durus edomari. Phlegmone & eryſipelata in ſcirrhum degenerant nimis refrigerante atque adſtringẽte materia. Sed à phlegmone ſcirrhus amplior eſt. In uſu malagmatum certæ ſunt leges. Primùm enim cognoſcendum,quantum pars ægra à ſua ſymmetria receſſerit, quantúmque uitiũ increuerit: ex quo æſtimandæ remediorum uires. Tum naturas partium diſtinguere oportet: poſtremò artificioſè colligendum, qua ratione emollias: num quid ammiſceas quod detergeat,incìdat,diſcutiat. In quorũ omnium uſu modum, occaſionem,quale,quantúmque animaduertas.

Vſus.

Scirrhi genera.

Scir. cãcro. ſuſpiritatus malacticis.

Cautio.

Leges in uſu malag.

Deſperatus ſcirrhus.

Deſperatur ſcirrhus qui ſic occaluit,ut iam non ſentiat, & inde glabreſcat locus.

cus. Desperari dico, quia nullo malagmate domari possit. Etenim resci-
di ferro, & septis exedi potest, nisi à subiectis neruis, uenis, & ar-
terijs metus est. Scirrhus cui sensus aliquis uel obscurus, ut magis mi-
núsue induruit, ita leuius aut efficacius auxilium requirit. Mulieri-
bus, eunuchis, pueris, urbanis, ociosam atque umbratilem uitam degen-
tibus, lenior medela: messoribus, fossoribus, duris omninò & laborio-
sis corporibus fortior utilis est. In lenta & contumaci materia miscē-
dum aliquid quod incîdat, atque detergeat: quod in chordis & tendo-
nibus factitari solet. Tale est acetum mulsum, uel per se, uel in quo
byssopum, thymum, pulegium, & similia præcoxerint. Est & hoc a-
nimaduertendum. Scirrhus quidā simplex, alius φλεγμονώδης, ut quæ-
dam inflammatio σηπεδώδης est: Scirrhum malacticis & diaphoreticis
excuties: phlegmonem lenies & concoques. Vbi utrumque coijt, ut
hoc uel illud superat, ita remedia temperabis. Leniter emolliunt bu-
tyrum, œsypus, & lana succida: hæc oleo insuccanda amygdalino, cha-
mæmelino, in quo semen lini, althææ, fœni græci: in quo maluæ, cucu-
meris agrestis, & liliorum radix: tenella maluæ agrestis, & liliorum
folia, uel anethi cucumina præcoxerint: in quo illiquatum fuerit ali-
quid galbani, hammoniaci, bdellij. Lentiscinum, terebinthinum, masti-
chinum, usurpari debent ubi molliendum, digerendum, ac leniter re-
pellendum. Hyoscyamino locus est in calida & iam durescente inflam-
matione. Hæc ergo olea in lana sordida molliter apprimēda sunt: hinc
enim multò commodiùs malacticon impones. Omnia uerò priùs inte-
pescere oportet, & frigida omninò uitanda sunt. Expressa oleorum
materia, & cum adipe pista, malagmata confinges. In hoc quoque ge-
nere censentur, uitellus oui, crocus, cera pinguis, caricæ pingues, κηρέ-
λαιον è duplo oleo, ut sit humidissimum: æquali, ut sit medium. Iā cras-
sius est, quod ceræ partes quatuor, & olei tres continet. Caricæ pin-
gues cum irino tritæ, scirrhis hepatis & lienis opitulantur. Id habet
peculiariter scirrhus hepatis, q leniter molliētia desiderat, mixtis aro-
matibus, quæ calfaciant, & attenuent. Siræon è pinguibus caricis ad
melliginem coctis mollit, detergit, ac digerit. Adeps & sebum, u-
trumque coquit, laxat, & mollit. quæ quia materia undè generantur,
genere animalium, & loco ubi concrescunt, natura denique (nam a-
deps humidior est) differunt, cum Aristotele distinguas licèt: ut in na-
tura molli, adipe, in dura sebo potiùs utendum putes. Rursus quia mi-
nimum est quod dissident, misceri possunt. uerùm utrumque genus na-
tura, & specie animalium, ratione uitæ, & pabulo, sexu & ætate:

deindè

Particularū materia: Olea malactica.

κηρέλαιον.

Siræon. Sebum & adeps.

deinde quia hæc recentia, illa uetuſta: alia ſyncera, alia condita ſale, aromate, uel externa imbuta qualitate diſtinguendum eſt. Leniſſimus ſuillus adeps, axungiam uocant, in qua mirum eſt, & experimẽto conſtare ueteres ſcripſerunt, quòd eâ genibus adligatâ, redit in os ſapor, ut etiam expui uideatur. Ex quo fortaſſe non unius hydrargyri qualitati, ſed totius mixturæ ex hoc & axungia illitis in lue uenerea, os grauiùs exhalat, & ſaliua madet. A ſuillo ſunt uitulinus, hœdinus, caprinus, bubulus: quibus ſi uis, uulpinum & leporinum adijcies. Atque hi leniunt magis, & concoquunt. Efficaciſſimus eſt leoninus, cui proximi ſunt hyeminus, pardalinus, urſinus, & hi duriora corpora emolliunt. In medio ſunt, taurinus, hircinus, ceruinus. In uolatilium genere efficax anſerinus, anatinus, olorinus: ſiccior è gruibus: ſuauis gallinaceus: calidior columbinus. Ex anguillis & piſcibus fluuiatilibus languet: humanus mediocriter ualet ad omnia. Domeſticorum animalium pinguia humidiora ſunt, ut ſuum, quàm aprorũ: è maribus ſicciora & calidiora. Caſtrati mares fœminis reſpondent. E iunioribus humidior, è ſenioribus ſiccior eſt adeps. Pinguia oleo magis molliunt, & calfaciunt, ætate tenuiora fiunt, & acrimoniam contrahunt. Purgatur adeps exẽptis uenis, quas fibras uocant. Salſus uel conditus aromate ſiccior eſt: conſtat uerò pepticis & malacticis aduerſari, quæ nimium ſiccant. quanquàm Plinius conuenire ſcribit ſalſam axungiam mollire magis. Id in ſuillo fortaſſe concedi poteſt.

Mirum de axungia.

Tres naturæ adipum.

Salſus adeps

Vetus adeps ut recens fiat.

Recens adeps ſi deſit, & uetus ad curam reuocandus eſt, liquefieri priùs oportet, mox frigida ſæpiùs lauari: poſtremò etiam uino q. odoratiſſimo. Eo modo ſæpiùs liquatur, cogitur, lauatur aqua, dum omne uirus exuat. Medulla in ſebalibus ſebo, in adipoſis animalibus, adipi reſpondet: uiſcera, chordas, tendines, muſculos emollit. Ex oſſibus humidior, è ſpina ſiccior eſt. Prima laus ceruinæ, quæ nullis malacticis inferior eſt: uitulina ſequitur, tum ouilla, & caprilla: acrior taurina quàm ut emolliat. Atque hæc leuiora ſunto. Durioribus naturis conueniunt: Ammoniacum quod aceto liquari poteſt, leniter decoquendum, ne efferueſcat. Bdellium molle ac pingue ſaliua hominis ſubigitur, mollit, coquit, modicè digerit. Styrax idem efficit. Galbanum præter hæc ſepton, & anodynon eſt: repurgatur, liquefit uino uel aceto, neque coctionem ſuſtinet. his efficacior opopanax. Ladanum mollit, ac repellit. Propolis ammoniaco uicina eſt. Sint hæc omnia mollia & pinguia, pro ſua quæque natura. Malacticis reſinæ commiſcentur, quia hæc emplaſtica eſſe oportet. Reſinæ

Medulla.

Secundus ordo.

Emplaſtica eſſe oportet malag.

Reſinæ.

ſunt,

ſint, quæ acrimonia careant. Chia, larigna, picea, abietina, terebinthina. Pinea nimiùm ſiccat, ſtrobilina acrior eſt. Bitumen, pix aridior: in ſumma, quæ nimiùm ſiccant, quæque acria ſunt, reijcienda. Pix
Aceti uſus. mollis & bene pinguis, qualis olim brutia, commiſceri poteſt. Succedit his miraculoſum ex aceto remedium. Scirrhus malactico oleo fouetur, tum emplaſtico malagmate inducitur. idque aliquot diebus repetendũ. Sitque initiis leuius malacticum, poſteà etiam paulò efficacius, ac poſtremò aliqd aceti cõbibere oportet: ubi uerò mollior tumor extiterit, pyritem, lapidem molarem, aut ſilicem unde ſcintilla decutitur, candentem igne, acerrimo aceto demerges. Exhalabit plurimus uapor, quo ſcirrhus aptè infumandus eſt, contecta parte, & omninò præcluſa uia, ne diſſipetur fumus, ſed totus in ſcirrhum coëat. Locum uerò ſatis infumatum oleo tepido fouebis, & ut priùs, malagmate cõteges: poſt dies aliquot aceti uſum reuocabis, ut ſit aceti & remediorum uiciſſitudo. Verùm neque diutiùs, neque ſæpiùs haliti aceti pars uexanda eſt, ne in lapidem concreſcat, & neruoſum genus grauiùs lædatur. Sed ut molliendo profeceris, ita acetum repetes. Et in malacticis uſus ſimiliter interpellari debet: primùm enim è caricis, medullis, adipibus, cera & oleis, exigua reſina, malagma conficies. Tum ut res ſuccedet, ad ammoniacum & ſimilia ueniendum: ac primùm quidem citra acetum, pòſt etiam cum aceto comparentur: quibus cùm uno, uel altero die fueris uſus, ad ea, quæ leniora, quæque ſine aceto ſunt, redeundum: ut ueluti circulo quodam, & è re nata auxilia repetantur. In muſculis & liene tutior aceti conſuetudo eſt. In chordis & tendonibus neque diutiùs neque frequentiùs utendum erit. Ammoniacum aceto fuſum manibus diducitur, ut ſit luti craſſitudo. Fermentum coquitur aceto, hepati duro & lieni. Ac fortius acetum in quo tritum hyſſopum, thymum, pulegium, & ſimilia maduerint. E lini ſemine hydrelæo cocto, & adipi mixto: althææ radice arida trita, uel inde raſa parte medullacea, reſinæ momento mediocre fiet malagma.
Πάρυγρον. Πάρυγρον recens (ſi quid phlegmones) inueteratum alioqui, Heræ & ueteribus laudatum eſt. Adipis ſuilli recentis & bene purgati unc. quadraginta quatuor: ceræ unc. uiginti quatuor: ceruſæ, litharg yri ana unc. ſex. liquabilibus fuſis reliqua trita miſceantur. Aliud.
Aliud πάρυγρον. Litharg yri, ceruſæ ana unc. tres: ſuccі ſeminis lini, olei, ana unc. uiginti: ceræ unc. octo: adipis ſuilli unc. quatuordecim: Colophoniæ unc. octodecim: pernionibus, & calloſis rimis calcaneorum competit.
Διαλθαῖον ueterũ. Διαλθαῖον, carbunculis, clauis, furunculis: litharg. olei, ana lib. una: galbani

bani libræ dimidium: ceræ, terebinthinæ, ana libram unam: radicum althææ, fasciculos quatuor: litharg. diu ex oleo teritur in mortario: cera & terebinthina fusa commiscentur: postremò radices tusæ ligneo pistillo concorporantur. Radicum althææ & liliorum, ana unc. duæ coquantur in hydrelæo ad aquæ consumptionem. tum ℞. olei indè expressi, adipis suilli, lithargiri, ana libram unam: litharg. ol. coquitur dum non inquinet, & adeps commiscetur. Colophoniæ purissimæ unc. duæ: ceræ albæ unc. quatuor. mastiches unc. una: olei, quod sufficit, ut sit iusta crassitudo. Terebinth. ceræ, ana unc. nouem: galbani, nitri, ana unciam: thuris pinguis, sesquunciam: medullæ cerui, uncias duas: propolis pinguis, sesquunciam: olei laurini, sepi uituliní, ana drachmas duas, uel eo plus, uehementer molliet, atque discutiet. Violentum quod sequitur, tantùm rusticorum; & iam præmollito scirrho. Caprinum fiercus solutum oxycrato, polentæ iunges, & affuso si uis oleo, cataplasma finges. Stercoris caprini unc. duæ: radicis cucumeris agrestis, ficuum immaturarum, ana uncia una: staphios, agrias, bdellij, farinæ fabarum, amygdalarum amararum, ana drach. quatuor: fæcis olei antiqui, quod sit satis ad emplastrum. E uetteri caseo, ac iam putri, potētissimum sit remedium. Subigitur caseus, è iure in quo suilla perna bene pinguis coxerit. Topbos mollit quasi mira culo coccū cnidiū desquāmatū, cū myrrha et aceto tritū. Διὰ χυλῶν, Aquæ sext. uiginti [Orib. duodecim] radicū althææ recētis, lib. tres: [Orib. quatuor] fœni græci, seminis lini, unciæ nouem: [Orib. unc. octodecim] radices purgatæ, tusæ, diem integrum macerentur aqua, postridiè fœnum græcum lotum fideliter & purgatum adijcitur: tertiò lini semen similiter lotum eadem aqua in qua reliqua etiamdum madent, immergitur, quarto die coquūtur omnia ad crassitiem, tum expressa & traiecta colo materia usui seruatur. Iam uerò ℞. ol. pinguis æstate lib. septem & semis. hyeme lib. quatuor: succi prioris lib. quatuor: mixta in primis coquito, dum bullæ extent, tum litharg. tritī lib. duas sedulò cōmisceto, agitato bene puro foco, bullire sinito dū non inquinent, & medicamentū colorē flauū iucundūq; trahat. Hoc sublatū igne cōuoluito rude, manibus subigito, in pastillos fingito. Vsus tempore ℞ pastillorū unc. duas: ceræ, olei, ana unc. unā colliquato. Potest medicamentū alijs malacticis uniri, tam efficax, ut hoc unū sine alijs chirurgo satis esse possit: glutinat superficialia ulcera solutū rosaceo, uel myrtino: alias implet, & cicatrice tegit. Liquatum chamæmelino, uulnera neruorum inflammatione liberat: podagricis quouis tempore opi-*

Mnaseæ secundi ordinis.

Ἀνάκομποι γίας Gal. & Auic.

E putri æ seo.

Διὰ χυλῶν.

Vis medicamenti Διὰ χυλῶν.

tulatur: ueteres uteri phlegmonas persanat inditum pessario.

Διὰ χυλῶν Oribasij.

E semine lini, fœni græci, hordei, radice althææ, ut priùs maceratis, coctíque succus exprimitur: tum libris duabus succi, addũtur litharg. olei, ana libræ duæ: ceræ unciæ octo: litharg yrum cum oleo diu teritur, & cum cera leniter concoquitur, infuso oleo: postremò succus adijcitur, uersantur omnia, & sedulò commiscentur. Sunt & alia διὰ χυλῶν malagmata, ut Alexandri è Psyllio, quod Aëtius describit: & Magnum Mesuæ ad strumas sine gummi, & gummosum quodque paruum, album, & magnum, passim conficiuntur. Paruo utendum in duris inflammationibus: album mediocres scirrhos adiuuat: magnum reliquis efficacius est. Est & διὰ μελιλάτου ueterum & recentiorum dialthæas de mucillaginibus. Oleo è maioriana & sicyonio, aliísque id genus molliri possunt, & adiecto galbano, & similibus, fortiora reddi. Priuatim conueniunt duris inflammationibus mammarum, uiolaria & althææ folia hydrelæo cocta, adipe uituli conteruntur ouorum uitelli duo, infecta croco commiscentur. Hœdina capita, ueruecini pedes cum althæa & uiolaria percoquuntur: in expresso succo, oryza bene munda, & asperiore linteo attrita, decoquitur: butyrum recens injcitur: postremò cùm iam corpulenta pulticula est, ouorum uitella croco tincta commiscentur. Plura malagmata ex septimo de compositione pharmacorum κρᾶσις, & decimoquinto Aëtij describũtur. Sed octauo κρᾶσις alia sunt, quæ siccant, cõtrahunt, indurant, nec emolliũt: quanquàm malagmata & Asclepiadi, & Andromacho appellata. Quæ uerò malactica, corpulenta & emplastica sunto, si neque dolor, neque phlegmone prohibet. Locus oleo fouendus, ex quo subijciatur malagma remollitum pingui uel oleo, ne celeriùs exaresçat: tum enim reuellendum est, & aliud imponendum: alioqui pluribus diebus hærere conueniet.

Malagmata quæ usurpanda.

De suppurantibus. Cap. V.

Quãdò & ubi præcipuè utẽdum

IAm hoc genere utendum nobis est, cùm ab alijs remedijs desperatio est. Ac ferè maiores phlegmonæ suppurant, pulsant, dolent. Dum pus conficitur, inquit Hippocrates, dolores fiunt ac febres. Suppuratis, omnia ferè conquiescunt.

cunt. In ſuggillatis hæc eadem remedia ſæpe conueniunt. Sunt autem natura modicè calida & humida, iiſdem limitibus circumſcripta, quibus temperiem hominis definias. Ideóque eligenda materia, quæ naturæ corporũ elementari familiaritate cõſentiat. Emplaſtica ſunto διαπυϊτικὰ (ſic enim hæc appellant ut ἐκπυϊτικὰ & πεπτικὰ) ut præcluſis inde ſpiraculis, natiuum calorem inhibeas, in quo concoquentis naturæ robur eſt. Ita ſubſtantia quidem calor augebitur, neque qualitate creſcet: ſolidæ partes confirmabuntur, inſitus humor ſaluus perſiſtet: diſſipabitur uerò, qui inanibus ſpacijs alienus eſt. Ex quo uitium concoquetur, & conſuetudine partium ſimilarium exalbeſcet, fiétque tandem pus album, lene, & uniforme: quod quia alimento eſſe non poteſt, exeſa cute uias ſibi faciet, atque ita effluet. Non abſimili ratione χαλαστικὰ uocata ἐκπυϊτικὰ fient, ſi acceſſerit craſſities partium: eodem modo quæ leniunt, calfaciunt, & adſtringunt. Emplaſtica modicè calida, omnia concoquunt. Præit in ijs, quod eſt tenue: reliquum uerò uel contracta, uel illita cute uias intercipit, ne quid ſpiritus exhalet. Contrà uerò ſi expirat calor, nec emplaſtica materia eſt, nihil ſuppurat, & aliquandò alienus calor ſuccenditur, undè putredò. Echecolla per ſe hærent: reliqua uerò uel gummi, uel reſinis implicanda, uel commodè alliganda ſunt. Malactica calidiora ſunt, & leniter ſiccant, inſitúmque humorem paulò minuunt: quo nomine à pepticis diſtinguenda, ne ſimilitudine fallant. In pepticis uitanda, quæ detergent, & uehementer calfaciunt. Nihil enim quod ualde diſcutiat, pepticum eſt: & quod deterget poros expurgat, quos illinere oportet. A ſiccantibus metuitur, ne frugi materiam exorbeant: multò magis, ſi præterea calfaciant. Neque uerò contra nos faciet, quòd in hyſtorijs medicorum permulta peptica ſint, quæ mixtis diaphoreticis, deterſorijs, atque ſiccantibus temperentur. Qualitas enim rerum mixtura retundi poteſt, & multa uitia eodem tempore interdũ coëunt, undè uaria miſceri neceſſe ſit. Ac ſæpè facit abſceſſus natura, ut acria etiã miſceamus. Peptica ſunt, aqua tẽperatè calida affuſa parti: modus eſt, ut indè erubeſcat locus, ac leniter extumeat. Nimiũ ſit, ſi indè ſubſidet, aut expalleat. Hydrelæo, & oleo pingui ac dulci, modicè calido, & butyro ſimiliter utẽdũ eſt. Triticũ ore ꝑmanſum, ſaliuáq; hoïs cõmolitũ ruſticis corporibus cõuenit: leniora ſunt, farina tritici, et indè panis, ꝑpurgata furfure: diſſoluẽda aqua, oleũ, uel butyrũ additur: coquũtur oĩa ut ſit cataplaſma quod lenit ĩflãmationes

Natura ſuppeditanda.

ἐκπυϊτικὰ.

χαλαστικὰ ſiunt ἐκπυϊτικὰ.

Malactica quomõ differãt à peptica.

Vitanda.

Materia.

Aqua.

Oleum.

Triticum, farina, panis.

 uulnerum,

uulnerum, & celeriter maturat. Vbi calor aliquis ſupereſt, minùs
cocto pane ac recenti, quem uel hydrelæo, uel pauciore oleo inſper-
ſeris, utendum erit. In contumaci uitio, ſed minùs calenti, panis ſic-
cior uberiore oleo molliri debet. Panis conditus ſale, efficacior eſt.

Farina hordeacea. Farina hordeacea per ſe inutilis, uerùm quæ bene purgato gra-
no extunditur, & caſtratur furfure, eodem modo quo triticea com-
parari poteſt, hydrelæo cocta, conſperſa oleo, mixta butyro: ſic e-
nim pus faciet, & calidiorilus phlegmonis conferet, præſertim hy-
ὠμίλωσις. drelæo cocta. Tale fuit cataplaſma ueterum ὠμίλωσις, uel ὠμὴ
λόσις ex farina hordei, quod priùs toſtum non fuerit: quanquàm eti-
am licentia quadam ad alia farinarum genera nomen tranſtulerunt.
Eſt & alia ὠμίλωσις ex farina hordei, fœni græci, ſeminis lini, in
ſapa coctis ad glutinis corpus, adiectis interim duobus uel tribus ui-
Adeps. tellis. Adeps ſuillus phlegmonæ familiariſſimus, deindè uitulinus.
Taurino & caprino in duris frigidiſque tumoribus utendum
eſt. Leoninus, & reliqui huiuſmodi, inutiles. Gallinaceus, & hoc pau-
lò acrior anſerinus uſurpari poteſt. Pix & reſina in feruenti phle-
gmone, roſaceo: in frigidiore, uetere oleo, Sicyonio, uel ſimili liquan-
Pix. da ſunt. Pix arida, qualis Coracina & Colophonia, uberiore o-
leo diſſoluitur: pauciore, quæ liquida eſt: mediocri, quæ naturâ mollis,
digitis cedit, lentoris particeps, qualis olim Brytia & Lycia. Pi-
Picatum, & ceratum. catum ceratum, & anodynon, & pyopæon eſt, ideóque inflammatis
ulceribus conuenit. Reſina ſit terebinthina, & lentiſcina. Cera lan-
guidior, reſina acrior, confuſa ad ſuppurandum ualent. Eluantur
priùs, ſi quid acrimoniæ cõceperint: molliantur oleo, uel butyro, cũ exa-
ruerint. Oeſypon ueteres ĩ cepticis cẽſuerũt. E flore lilij ſuccus expri
Syrion. mitur, ſuppurationes cõcoquit, et uuluas mollit, quod mel, et Syrion uete-
Siræon. res appellarũt. Siræõ uerò melligo è coctis caricis detergẽdo et molliẽ
Decoctum caricarum. doidoneũ eſt. Decoctum caricarũ leniſſimũ eſt, quod maximè coquit,
ac digerit: In aquæ ſextarijs ſex, pinguium caricarum lib. quinq; deco-
quendæ, dum ſextarij duo reliqui ſint: magis maturabis, ſi indè piſta
Cataplaſmata. farina triticea, cataplaſma finges. Vbi uerò digerendum magis, ac
refrigerandum, hordeacea melior eſt. Eodem modo althææ deco-
cto, & uuæ paſſæ ſucco, farinas uel panem puriſſimum incoques,
Crocus. & indè cataplaſmata intinges croco. Crocus coquit, & leni ad-
ſtrictione confirmat partes, & poros contrahit. Pinguiſſimas paſ-
Melligo paſſæ uuæ. ſas, exemptis nucleis, per noctem aqua macerabis, poſtridiè coques

ad mel-

ad melliginem. Inueteratis & calloſis tumoribus conueniunt, colla librariorum quòd ſit è puriſſima farina: uiſcum aucupatorium, ſtyrax piguis, ladanum, galbanum, ibus in corporibus temperatis molle, album, pingue, dumque manditur, minimè friabile. Rhodinum & mirteum in calidiore & dolenti phlegmone miſceri poſſunt: ut pix, reſina, uiſcum, colla, & ſimilia: ubi peruicax malum & platyſmata diutiùs hærere neceſſe eſt. Miſcentur quoque ſtercus ſuillum, columbinum, caprillum, nitrum. Et iam notum mulierculis remedium, pueri ſtercus calidum, duris & inflammatis mammis: aliis quoq; partibus impoſitum. Certum experimento eſt, breui tempore concoquere. Ac in fœditate excrementorum auxilia inuenta ſunt: furunculos & parotidas mollit, ac ſuppurat cataplaſma è coctis ficubus, calce, iridis radice, uel nitro. Omninò ſi nitrum deſit, ſale torrefacto in mollioribus: uſta fœce uini, uel aceti, quæ acrior eſt in durioribus, utendum erit. Fœx ſit recens, nam celeriter exoleſcit: uulgò etiam nota eſt medela è cepis cineribus coctis. Tetrapharmaco ueterum primas tribuit monendo puri, non aſpernabilis autor Cornelius Celſus. Idem remedium à Græcis ſuppurando uſurpatum. Conſtat pice, reſina, cera & adipe: uſus tempore, oleo, uel butyro ſubigitur. Pix ſit mollior, reſina fricta, uel Colophonia, quæ in teneris corporibus oleo molliri poteſt: cera pinguis, adeps in mollibus naturis, uel ſuillus, uel uitulinus: in durioribus, taurinus, uel hircinus. Hoc tetrapharmacon Paulus baſilicon, Scribonius emplaſtrum Ariſti nigrum appellauit, & aliud baſilicon deſcripſit. Tetrapharmaco ibus additum facit Macedonicum, quod & pepticon eſt. Baſilicon minus, hoc imbecillius commutato adipe in oleum, quanto adeps oleo efficacior eſt. Sic oleum quoque, uariè commutare licet. Oleo rhodino, myrtino, uel ſimili, tetrapharmacum durius molliatur, ut corpus & affectuum natura exigit. Mirabile hoc ad molliendum & ſuppurandum. Ceræ terebinthinæ, medullæ, cerui, adipis uituli, anſerini, bubuli, butyri recentis, mellis optimi, olei roſarum, myrrhæ, ana uncia una. Myrrha cum melle ſubigitur, & prunis leuiter incoquitur, ex quo reliqua adiecta ſedulò miſceātur. Picis unc. una: ceræ unc. tres: axũgiæ ueteris purgatæ unc. ſex: adipis taurini, œſypi ana unc. tres: reſinæ pineæ uel magis piceæ unc. quinq;: liquatis utitor. Reſinæ unc. duodecim: ceræ, æruginis raſæ ana unc. 8. ſæpi uituli unc. duæ: aceti, mānæ, ana unc. 1.

Efficaciora remedia.

Loco nitri.

Tetrapharmacon.

Macedonicum.

Viride Andromachi.

manna & ærugo cum aceto liquantur & conteruntur: reliqua diſſoluta commiſcentur: mollit,coquit,purgat,digerit. Ceparum & alliorum coctorum in cinere ana lib.unã: uitellorum numerum quinarium: radicis lapathi coctæ lib.dimid. farinæ,fœni græci,unc.tres: fermenti unc.duas. axungiæ lib.unã: fiat corpus. In frigidis & craſsis humoribus conuenit. Locus oleo peptico, ſucco, uel hydrelæo foueatur, ſympepticon medicamentum inducatur, mollis ſtuppa,uel lana ſuccida ſuperponatur: omnia decuſſata faſcia colligentur, ut qua parte diuiſa faſcia eſt,conus abſceſſus aduertat, nec affectum locum opprimas: ſemel in die uel rariùs commutari debet,niſi uel dolor urgeat,uel pharmacum exareſcat. ita uerò formari ſympeptica oportet, ut neque liquidiora diffluant, neque corpulenta nimis locum opprimant. luſtum corpus eſt cerotomalagmatõn & emplaſtrorum, ac quod antè dictum eſt ἐχέυολα & glutinoſa eſſe meliùs eſt, ut per ſe ſine uinculis hæreant: quanquàm & emplaſticis lanam ſuccidam, aut mollicula ſplenia ſuperdari, & omnia colligari nihil probibet, idque hyeme magis & frigore.

Vtendi modus.

De aperienda vomica. Cap. VI.

Noxæ ſuppreſſæ ſaniei.

VAe ſuppuratio, ſponte ſua non rumpitur, ferro, igne, uel medicamentis aperienda eſt. Alioqui ſerpit ſanies, & cuniculos agit: uenas, neruos, arterias, & uicina corpora depaſcitur: atteruntur oſſa, & cariem ducunt, liue ſcit cutis, & in rugas quaſi ſenio marceſcens contrabitur. idque metuendum magis in digitis, articulis, partibus corporis, quæ in decliue patent. Sic enim parotides femorum, abſceſſus in fiſtulas cauantur, & quæ facilè putreſcunt, qualis anus eſt, os, & loci genitales. Quare etiamſi tumor nondùm ſatis maturuit, ea pericula ferro anteuertunt, multò magis ſi peſtifera aut uirulẽta materia, uomica includitur: quanquàm animaduertendum, ut ne nimis citò. Nunquàm enim uis naturæ gratis inferenda eſt, ſed ſemper aliquid beneficij, nihil maleficij proponi debet. In uomica quæ tardiùs erupit, membranæ, neruacea corpora, & alia ſemiputria ſæpe occurrunt, quæ nec intempeſtiuè reſcindenda ſunt. Sua enim putredini maturitas eſt. Alioqui noua inflammationis & conuulſionis pericula creari ſolent. Neque perpetuum eſt aperire ui, quod ſuppuratum eſt: ſed ſi nullum in mora periculum apparet, diaphoreticum remedium imponendum, quo loco mollior abſceſſus

Cautio.

ſceſſus eſt, & digito cedit. Sic enim ſanies exugi poteſt, idque faciendum magis, cùm alta parte ucmicæ, non declui, ſuppuratio ſe colligit. Quòd ſi ferro, uel igne utendum eſt, priùs animaduertere oportet, ne quod uas inſigne, neruus, tendo, uinculum, ne quid neruoſum, quales membranæ quædam ſunt, aut potiùs lati tendines conuulnerentur. Parcendum etiam quibuſdam partibus, quæ uegetiùs ſentiunt, & à quibus uis ignis ad principia tranſeat celeriùs. In muſculis fibrarum interſtitia culiello ligneo, uel digito diducenda, ne fibræ præcidantur: idque cùm in profundo ſanies reſedit. In his omnibus anatomica diſciplina opus eſt. Cauteria periculoſa, occipitio, temporibus, & ubicunque caluaria mollior eſt, ubicunque uel exitus neruorum, uel aditus uaſorum eſt. nec ea ipſa oculus ſuſtinet. In cranij fracturis, ubi modiolis, cycliſcis, terebellis, uia puri fit, à futuris neruorum radicibus molliori oſſe ferrum declinamus. In ſtrumis, & colli abſceſsibus, à carotide arteria, uena ſphagitide, uocali neruo abſtinendum. Illinc hæmorrhagia, quam ægrè ſupprimas: hinc uel omninò mutus, uel certè ſemimutus homo relinquitur. Exteriore parte humeri tendo eſt, qui ignem ferrúmque non ſuſtinet. In empyicis & deploratis pleuriticis ſcalprum & cauterium inferiore parte meſopleurij collocamus, quia uidelicet ſuperiore uena, arteria, neruus eſt. In extremis ilibus multi ſunt tendines, multa uaſa coëunt, ex quo uomicas hac parte prudenter aperire neceſſe eſt. Inuritur carnoſus podex, & ferrum ſuſtinet, non ita, quòd illic neruaceum eſt. Eadem ratio in genitalibus ſeruari debet, ubi ab arterijs cauendum, quæ illuc plurimæ coëunt, biántque maioribus clauſulis: nam indè hæmorrhagiæ non ita facilè ſupprimuntur. Sub natibus, neruus eſt, qui ſi iuxta ſuppurationem præciditur, aut nudatus uiolatur frigore, ſubiectum crus ſtupidum relinquit. Idem animaduertendum in reliquis partibus, ne nudi maneant nerui, & frigore contrahantur. In bubonibus glandulæ ſunt, quas perreptant uenæ & nerui. Ideóque ſi quãdò inurendũ, apprehendenda priùs cutis eſt, & in uulneribus, quæ ferro fiunt, eadem ratio ſeruari debet. Hoc reliquis partibus cõmune eſt, quibus ſubiectæ uenæ, nerui, & arteriæ. In articulis perpetuò ſuſpectus ferri & cauteriorum uſus. Ideòque iſchiadicis inferiore parte quàm malum eſt, ignem adhibemus: in perinæi tumoribus qui inciduntur, ſummopere cauendum, ne quid intus uulneres, quod poſteà egerrimè glutinetur. Hæc omnia pericula facilè declinabit, & alia, quæ breuitatis ſtudio omiſſa ſunt, quiſquis in anatomicis operibus

A aduertẽda in uſu ferri & ignis.

Vbi cauteria periculoſa.

In capite.

In collo.

In exteriore humero.

In meſopleurijs.

In ilibus.

In ſede.

In genitalibus.

Sub natib⁹.

In buboniebus.

In articulis

In iſchiadicis.

fuerit exercitatus. Alioqui ſæpenumerò errare neceſſe eſt. Et quia non ſemper ſimiliter, ſed uariè, nerui, uenæ, arteriæ, in corpus diducũtur, ſi quid è profundo reſcindendum ferro, lentè quidem, & perpetuo duce oculo culter dirigendus eſt. Id quod in ſtrumis, & ubi pus altius deſedit, facere oportet. Primùm ergo cutem nudabis, ſi quid uaſorum aut nerui occurrit, idipſum digito, uel ligneo ueruculo ſeparandum diſtinctis fibris, nec ita momentaneis membranis, quibus illa inter ſe coniugantur. Atque ubi ad locum perueneris, in quo collnuies latet, & iam omnia tuta ſunt, opportunè parti gladiolum infiges, & ita uomicam repurgabis. In reliquis uomicis uidendum, ut quantum oporteat, culter deſcendat. Profundius uulnus hæmorrhagias commouet. Superficiale ſæpenumerò fruſtra eſt. Eodem modo cauterium ſuperficiem exurit, uel altiùs imprimitur. Et hoc quidem in molliore corpore mollius, qualis è ſubere, & quibusdam radicibus confingi poteſt. In metallicis aureum æneo & ferro clementius eſt. Sed de his alio loco pluribus. Rectum uerò, an tranſuerſum, uel obliquum uulnus eſſe debeat, figura partium, flexus, rugæ, fibræ primùm indicant, quẽ admodùm conſilium iuuant ſubiecta uaſa & corpora: præterea in collo, qua parte eunt uena, arteria, & neruus, rectum magis quàm trãſuerſum adigitur. Alioqui tranſuerſum meliùs. In fronte è rugis tranſuerſum ſit nec ita profundum, quia membrana ſubeſt: alijs rectum placuit magis. In inguinibus è flexu tranſuerſo ducitur: duplex interim anguſtum, & oblongum in myrti folium. In uentre, niſi flexus prohibeant, ut ſunt fibræ muſculorum. Eodem modo in reliquis. Simplex aliquandò ſufficit decliui parte, duplici aliquandò & trigono opus eſt. Atq; omninò ea parte ſcalprum imprimitur, quæ mollior digito cedit, magis acuminatur: & qua commodiùs ſanies effluat, ὑποῤῥυσιν appellant exanitionem: uel ut alij, exaniationem, in qua & ἀντιδιαίρεσις eſt, & ἀντιδιαίρεσις. Nam ubi propenſa parte foramen eſt, facilè purgatur ſordes: ubi uerò in ſublimi, reſtitare ſolet, deorſumque ſubſidet, & ſinuat: ſiquidem uomicoſa pars nequeat pro arbitrio communari. Quale eſt in trunco corporis, ac ferè capite & parotidibus. In manu & crure, etiamſi altiùs os ulceris poſitum ſit: poterit tamen ita inclinari, ut ſanies liberè excurrat: túmque manus quidem è mitella ſuſpendi debet, ut carpus gibbero ſit altior. Crus autem puluino innitatur, ſublato genu & decliui in coxas femore. Vtrumque ea ratione collocandum, ut ſine dolore ita perſiſtat. At ſi cui parti id denegatum eſt, nec ea poteſt pro libidine conuerti, aduerſa parte uulnus

In alto puore.

Cauteria. Figura uulnerum.

ὑπόῤῥυσις. ἐπιδιαίρεσις. ἀντιδιαίρεσις.

inferendum,

inferendum, quod ἀντιδιαίρεσιν *appellant. In alijs quoque manu & crure, quæ commodè inuerti poſſunt, quum ſinus longior, cuniculoſum ulcus, ſordes uberior, etiam aduerſa parte lanceola immittitur, ut duplici exitu dato, uitium celeriùs expurgetur. Eſt cum ab ore ulceris ad fundum ducto gladiolo tota cauitas detegitur, ut in fiſtulis: nonnũquàm anguſtius orificium ferro ampliatur, aut quod amplum quidem ſed rotundum, aucto uulnere in longum, aut aliter deformatur. Sed hoc non tam purgando, quàm glutinando fit. Quibuſdam locis plurimæ concurrunt arteriæ, plurima uitalis ſpiritus materia eſt. Hîc paruo uulnere contentus eris, ne confertim ac ſemel erumpente ſanie, ſimul, magna uis ſpiritus diffluat, unde animi deliquia, & nec opinatæ mortes conſequantur. Et hæc quidem de ferro & cauterio in aperiendis uomicis breuiter dicta ſint. Reliquum eſt, ut eodem compendio de medicamentis quæ aperiunt, dicamus: quibus ideò utendum, quia mollior æger eſt, quàm qui uel ferrum, uel cauterium ſuſtineat: quãquàm medicamenta hæc cauteria quædam ſunt naturâ, quædam cauſtica. Ideóque à quibuſdam ueterum cauteria frigida uocata, à recentioribus potentialia: cauteria quidem, quia reuerà urunt: frigida, ut ad ferrum & ſimilia quæ igne rutilent, comparentur. Neque tamen ſic urunt, ut quæ cauſtica & ſeptica poſteà deſcribentur. Theriaca igitur adhibita, uomicas aperit: urticæ ſemen è uino tritum, frangit, purgat, incarnat, cicatrice tegit. Caulium radices uſtæ, tritæ, & uetere axungia exceptæ, ita è radice cannæ, uolutis oſtracodermon, & teſtis priùs crematis: adeps collectus è ranis uiridibus arboreis: lac ficulneum, & tithymalli, cauli aridum puluis, batrachij caulis, & folia: caninum ſtercus album tritum: terebinthina, uel adipe uetere concorporantur. Melligo anacardina ſimiliter excepta. Sed hæc ita inſiſtere oportet, ut aperiant, nec cruſtas ducant. Mixtum eſt, Fæcis, cremati uini unc. duæ: fimi columbini, propoleos, ſalis torrefacti, æruginis, ana drac. tres: aquæ marinæ, uel in qua ſubduplum ſal illiquauerit unc. unã: olei antiqui, aut feruefacti, unc. duæ: arida ſeorſum tundito, æruginem, fæcem, ſalem in mortario ſimul terito: tritis in puluiſculum aquam conſpergito, & iterùm oleum miſceto, ut fiat unum corpus. Ex quo fictili uaſe placido igne omnia coquito, dum tota exhalet aqua: poſtremò præmollitam propolim imponito: & ubi ſublata igne paululũ refrixerint, colũbinũ fimũ inſpergito, puſillæ plagulæ, & oblõgæ, quantum medicamento opus eſt, inducito, & conuenienter adaptato: tum amplius ſplenium malagmate illitum ſuperdato.*

Cautio.

Medicamẽta aperientia uomicas

Fimi

Fimi columbini, nitri, ana drach. quatuor: caricæ, ſeptem: quibus arida trita commiſceto, ac bene pinſito, inducitóque ut priùs: quòd ſi durius medicamentum uidebitur, purgatam axungiam & mel coniungito. Arſenico, puluere angelico, uel uocato mercurio, prudenter utendum eſt, ut habeatur ratio corporum & uomicarum. Excipiantur butyro, axungia, terebinthina, uiſco. Superponendum folium ex ijs quæ leniunt, uel molliunt: alioqui ſplenium epicraſtico, uel malactico illitum. Obſeruandum in uſu horum medicamentorum, ut æſtus uomicæ, & phlegmones acquieſcat: ut quantũ uulnus eſſe uelis, tãtũ ſplenium conſtituas, in quo aperiens pharmacum poſitum eſt: uidendum ne uenam, neruum, arteriam uioles, ne diutiùs relinquas. Quòd ſi dolor acciderit, non committendum diutiùs ut uexetur æger, ſed ſtatim reuellendum pharmacum, & leniendus dolor eſt, paulóque clementiùs agere oportet. Minùs uexabit pharmacũ, priùs ſota parte laxante remedio. Epicraſtico iam facto uulnere, temperandus calor. Plura libro decimoquinto Aëtij, & capite de pyroticis.

De purgantibus. Cap. VII.

Ratio purgandi.

SEquitur, *ut purges. Ac ſi uomica debiſcit foràs, neque fiſtuloſa eſt, molli flocco, uel linteolo tum ſinum ipſum, tum labra ulceris expurgabis: deinde medicamentis in concerpto linamento cauum implebis, dum rubens, ac nimium neque ſiccum, neque humidum cauum extiterit. Quòd ſi non ita expoſitum uitium eſt, ſed intùs latet, difficilior cura eſt. Et ſi quidem capite includitur, neque per aures, nares, uel aliter diffluit, modiolo, cycliſco, ac terebellis patefacere uiam oportet. Ad thoracem unica ferè uia eſt ab ore per aſperam arteriam, niſi uulneris orificium in ſuperficiem ueniat: hic pyulcis, collyrijs, ſuctu, ſuppuratio exorberi poteſt, ijſdémque machinis, uel melicratum, uel aliquid tale inijcere licebit, ut aliquid ſputis repurgetur. Ad uentriculum, & inteſtina prima per gulam aditus eſt. Clyſteribus inteſtinum craſſius expurgabis. Medicamenta uerò καθαρτικὰ detergeant modicè, & ſiccent. Detergenda ſordes, quæ corruptelâ corporis concreſcit. Exiccanda ſanies, humidúmque recrementum, quod ſtata naturæ lege ab alimento partis reliquum fit, aut aliunde illabitur: ac ἐυπλωτικὰ peculiariter appellant, quibus uis purgandi data eſt. Vitanda quæ adſtringunt, undè ſordes pertinaciùs inhæreat: quæ laxent, undè robur partium elangueat: acria,*

καθαρτικὰ.

Triplex excrementum ulcerum.

Vitanda.

acria, ut quæ colluuie ſordium cauum impleant. Sale, & eadem materia ideò abſtinendum, quia ut detergeant, adſtringunt tamen, & ſordes impingunt, ac ſæpenumerò uellicant. Hæc autem ita inaudire neceſſe eſt, ſi non ſerpit ulcus, atque putredine uicina depaſcitur: ſi nõ eſt callus, aut aliquid tale undè conſilium euariet. Vt ſunt corpora, & ſordes ulcerum, ita qualitas remediorum diſtingui debet. Adde quòd uel recens, uel inueteratum malum eſt. Molli corpori, recenti malo, nimiùm neque ſordido, neque humido, parti præterea ſenſus acrioris leniora auxilia conueniunt. In contraria conditione, contrariis conſilijs locus eſt. Quòd ſi pars aliqua apoſtematis maturuit quidẽ, & pus reddit, alia uerò cruda eſt, huic ſympeptica, illi catharticа: ſi quid durius, illic malactica: ſi quid phlegmonodes, leniẽtia ſuis quæque locis eodẽ tempore accommodabis. In purgando plurimùm ualet recta abluendi ratio, de qua obiter dicendum eſt. Vbi ergo molli uellere, uel linteolo ſinum & labra exterſeris, ſi præterea abluas, magnoperè curationem adiuuabis, ut ad cætera per ſe natura ſufficiat. Itaque ſi ſanies acris eſt, ſero: ſi copioſa ſordes, melicrato: ſi multa ſimul, & acris, ſero in quo ſaccharo oleum, uel tantundem mellis diffuſum ſit. Cùm iam cœperit cauum eſſe purius, œnomelite: poſt etiam uino è dulci auſteriuſculo utendum erit. In fœtido ſinu putri et cruento, oxycratum conuenit. Acetum, oxymeli, œnomeli, dilutum marrubij, abſinthij, aloës, myrrhæ, pauculo conditum melle, putredines efficaciter iuuãt: & aſſato melle uti, melius fuerit. In fluxis, humentibus, & malignis ulceribus, ex atramento ſutorio, & caricis in cinerem uſtis, puluiſculus œnomeliti inſpergitur. Nec improbandum ligni ſancti remedium. Alij œnoſtagma probant, quia ſiccat, & putredinem prohibet, cui aliquid mellis infundere licebit. In nomis, phagædenis, chironiis, & omninò malis ulceribus, ueteres uſi ſunt ijs, quæ & detergeant, & adſtringant: ſed hæc rectè diluas, ut liquida infundantur. Ideóque aqua aluminoſa, uel in qua malicorium, myrta, ceteráque eiuſmodi coxerint, uſurpari poſſunt: uerùm meliùs fuerit detergente materia priùs expurgare, q̃ adſtringentia injcias. Lixiuiũ è calce ſæpiùs elota terget & ſiccat, nec ſine re laudatũ eſt. In calloſis, ægrè cohærẽtibus, cuniculoſis, nimium ſordidis, ex cinere ficus, tithymalli, aliſque id genus lixiuia fit, qua quotidiè ſinus perfunduntur. Canceroſa adimit, quæ è ſanſa. i. oliuæ nucleo comparata eſt. Aqua è larigna deſtillata, & reſinis eiuſmodi detergendo idonea eſt. Melicrati, & eorum quæ mel uel ſaccharum recipiunt, modus eſt, ut ſit decupla, ſexcu-

Scopi diſtinguendi remedia.

Aduertẽdum.

De ratione abluendi.

Cathartiàs quomodò utendum.

ſexcupla, uel octupla aqua, dilutiore uti oportebit, cùm iã purior ſinus eſt: in ſordidiore acrius conuenit. In ulcere ſatis expoſito linteolum priùs inſuccatur, leniter exprimitur, inſinuatur cauo: humidiori, exactiſſimè triti puluiſculi inſperguntur. Sicciori, & quod ſorde offarctum eſt, emmota uel ſine tiltis pharmaca mollia imponuntur: ex quo bene carminato uellere, os ulceris obſtipandum eſt: deinde ſuperponenda mollis ſpongia, uel quod Syriaca, & iam uulgari lingua cotton appellatur. Alioqui linteo aliquoties in ſe conuoluto, tota ulceris regio contegenda eſt. Atque hæc omnia uino inculcabis, & expreſſa injicies. Poſtremò artificioſè colligabis. Omninò tamen cauendum erit, ne quid durius aut grauius ulceri incumbat. Poſteà uerò quàm tempus redierit, in quo uincula ſoluantur, atque reuellantur indita cathartica, recognoſcendum ſedulò, quanta, qualiſque ſordes fuerit. Si enim minor appareat, bene eſt. Optime uerò ſi purum ulcus eſt, & iam aliquid carnis ſuccreuit. At ſi ſoluto magis ſordeſcit, ita diſtinguendũ eſt. Nam ſi cauitas maior, nouus calor & dolor adfuerint, id acriori medicamento attribues. Temperabis ergo cerato roſaceo, ſi maior calor eſt: ſi uerò flaccidum ulcus apparet, myrtino. Quòd ſi nihil horũ extiterit, magis tamen obſorduerit ulcus, imbecillius cathartícum adiecto melle temperabis. Et ſi humidius, ſiccantẽ pollinẽ ſine mollibus inſperges. Aliquandò uerò nimium ſiccando & contractum, & exuccum ulcus reperies, qua in re ſiccantia humido dilues. In ſumma: iuſtam pharmaci qualitatem æſtimabis, ſi purum ulcus indè redditum eſt, ſi naturaliter ſentit locus ulceris, qui ſenſu præditus eſt: ſi modicè rubet, ac nimiùm neque ſiccus, neque humidus eſt. At quicunque ſenſu caret, ſi non naturaliter ſentit, ſi nimiùm aut aridus, aut flaccidus eſt: ſi pallidus, albidus, liuidus, aut niger eſt, is nondùm purus eſt.

Probatio medicamẽti

Vermiculãtia ulcera.

Accedit aliquandò ad ſordes ulcerum, ut etiam uermiculentur, quo tempore aloë cremata inſpergitur, ueratrum album cum melle, polij & abſinthij puluiscũ pice imponũtur, uel nuclei perſici è perſicariæ ſucco piſti: plantago arefacta, centaurium minus, marrubium, calamynthа, porrum, & ſimilia uſurpantur. Arida teruntur, uel inde exprimitur ſuccus. Eidem rei lixiuium conuenit, urina, tilta denique imbuta ieiuni hominis ſaliua.

Cancerоſa.

In cãceroſis, cancri fluuiatilis cinis cum cadmia, aut cerato inditur, Irionis ſemen conlæuigatum melle, lens cocta cum melle: mel in tegula torrefactum, & ſolani ſucco madidum: oleæ uirentis ſurculi exuccati, malicorium uſtum, Aizoi ſuccus, umbilici ueneris, ſolani, intybi, lactucæ, pſyllij, omphacis, attriplicis. Exprimere

oportet

oportet,diu trita materia piſtillo,& mortario plumbeis. Eodem modo tritus pompholyx diu conuoluitur,affuſo ſucco qui conueniat. Floccus, aut uermiculus ijſdem ſuccis madidus imponitur,ac ſæpius repetitur,ut ſucci frigus contineat. Sed hæc ad accidentia ulcerum magis pertinẽt, quanquàm& quædam in his cathartica ſunt. Repurgant tincta melle linamenta: aridum mel quod melitæis uaſis inhæſit, quódque in tegula crematum eſt:mel roſaceum, quod & alienum calorem attemperat: ſerum lactis,terebinthina cum melle & roſaceo pari menſura. Eadem cum butyro neruis utilis eſt: liquefieri oportet,& unà commiſceri.Iris,ſerpentibus & plenis ſorde:marrubij ſuccus condîtus melle: ærugo lota,caprinum ſtercus exuſtum & è uino piſtum deſperata ſanat. Maligna curat dracontij radix, colligitur ſub canicula, ſiccatur umbra,aliquot pòſt diebus ſecta in taleolas,filo traijcitur, atq; ita pẽdẽs umbroſa domo,aſſeruatur: uſus tẽpore trita inſpergitur:melli mixta uel cerato,ne acrior ſit,imponitur.Ex eadem radice ceruſa factitia clementer purgat. Cicer,orobus,faba,hordeum, freſa omnia,& melli infriata:Lupinus uſtus,tritus,& iſperſus,malignatibiarũ ulcera purgat, implet,cicatrice claudit. Teſtarum, & uoluminum crematorum,cinis eorum,quæ ὀσρακόδερμα. Ernacei cinis,amygdala,ſtachas, anagallis,ariſtolochiæ radix,gentianæ,cyperi,urticæ ſemẽ & irionis, humidioribus,cancroſis,putrilaginoſis,gangrænoſis, mirificè proſunt. Dipſaci radix in cinerem uſta. Eadem ad melligînem uino cocta, & pyxide ſeruata.Radices ſolani,cortex,herba,ſuccus,cacoëthe iuuãt, & nomode ulcera.In ſumma, quæ nitroſa, & amara: quæcunque ita detergent & ſiccant,ut non mordeant,non adſtringant, purgandis ulceribus idonea ſunt.Arſenicũ,& quæ ex hydrargyro conficiunt,quãdiu acrimoniam retinent, irritant ulcera, ſed putredini repugnant, ubi nec adſtringentibus,ut alumine ſciſili: nec mordentibus metallicis ſimul,& adſtringentibus,ut ſquama æris,ferri,ſtomomatis abſtinendum eſt.Nã et arſenico,et chryſocolla ueteres uſi ſunt. Minium quod è ſulphure & hydrargyro fit, his coniungi debet. Clementius, quod ceruſa uſta comparatur, uel plumbi gleba ſterili. Secundum genus Græci σανδίκα uocant. Ex quo diuturnis ulceribus & maleficis medicamentũ parant.Sandic.lib.una:olei dulcis,lib.duæ, coquantur lento igne,diũnõ inquinent.Aerugo octuplo,decuplo,& duodecuplo cerato mixta. Cera,terebinth.ana drach.ſex:uel un.una:olei unc.tres,uel 4. liquefiãt in uaſe duplici. Liquefactis adde ærug. drac.3. Clementius eſt uſta priùs,et lota ærug. Poteſt dupla ceræ terebinthina cõmiſceri:

Materiã.

Radix draconti.

Lupinus.

Minium.

Mixta.

Sandiæ.

Exærugine

Viride Andromachi.

terebinth.lib.2.ceræ,lib.1.roſacei,unc.3 uel 4.ærug.un.2.uel 3.Liquatiſet coctis reliquis ærugo inſpergitur.Quod plus æruginisrecipit,magis ſiccat,& deterget:quod minùs,glutinãdo idoneũ eſt. Aegyptiaca ſerè ſimilia ſunt; Aeruginis unc.1. ſquamæ æris,unc.2. aceti,unc.8. mellis,unc.2. Arida cum aceto terito: mel adijcito: omnia dum ruffeſcant, coquito: maleficis conuenit. Clementius eſt, ex mellis,& terebinthinæ pari pondere. Cera uiridis in Aegyptiacis numerari poteſt,trita inſpergitur,uel mollita oleo imponitur.Maligna iuuat:Libar gyri libra una: lenter coquatur in aceti libra una: olei,lib.duabus. Iã inſpiſſatis adde ærug.unc.1 iterũ coquantur,dum ruffeſcant. Mellis lib.1.aceti,lib.ſemis: ærug.unc.1. aluminis,drach.4. coque ad ſpiſſitudinem,dum ruffeſcat. Alij quoq; aliter,modò uſta,modò lota:aliàs etiã uſta,& elota ærugine parant cathartica. Modus ſit, ut ne mordeat. Habes χλωρὰ è cruda:ξηρὰ è cocta deſcripta à Gal.primis libris de cõp.phar.κατὰ γένη. Farina hordei,cicerum,fabarum,orobi, cum uinellis,momento mellis,& terebinthinæ,fiat cathartici. Alioqui farinæ conuenientis,unc.tres: ſucci apij, abſinthij,marrubij,uel ſimilium, lib.1.mellis,unc.nouem:ad iuſtum corpus concoquuntur. Hordeacea in duabus partibus aquæ,una mellis roſacei ꝓcoquitur: purgat, lenit, calorem tẽperat:poteris addere momentũ larignæ,quam è ſucco plantaginis elueris.Farinæ in memoratis ſuccis coctæ, cõtra cancros & fiſtulas ualent: in laboribus neruorum,tereb.inth. conuenienter additur: myrrha & aloë,in putredine: in calore,fabacea & hordeacea præferenda:calidior orobea,& è ciceribus. Amiciſſimũ neruis,quod ſequitur: Reſinæ,mellis,tereb.ana ſelib.myrrhæ,ſarcoc.farinæ,fœni g. ſem.lini,ana unc.1.Liquatis alijs reliqua cõmiſcentur. Pus educit,& purgat mellis ſelib.terebinth.un.3.farinæ,fœni græci,un.1.radic.ireos drach.quatuor.Puri craſſiori,Galbani,ammoniaci,reſinæ,terebinth. ſepi taurini,ceræ,olei antiqui ana in aceto merſa,paulatim fundantur igne. Efficaciter purgat,& ſiccat: his Illyricæ,unc. quinque: farinæ, orobi, unciæ tres: mannæ, thuris, calcis lotæ, ana unciæ tres: ariſtolochiæ, unciæ tres, & drachmæ quatuor: terantur omnia in puluerem: fiſtulas expurgat,& glutinat. Quod ſequitur,uetera ulcera repurgat,excreſcentem carnem reprimit, cicatricem ducit: Chelidoniæ, plantaginis,ſcabioſæ, liguſtici, urticæ, ormini ſylueſtris,ana manip.1.cõquaſſata,ſeptẽ diebus in oleo macerãtur: deindè cocta exprimuntur:expreſſo ſucco adde ceræ un.3.terebin.un.6.reſinæ,un.2. bulliãt ad corpus.Subductis igne,adde ſarcoc.aloës,ana un.1.ariſtolochiæ

Aegyptiaca.

Cera uiridis.

Alia è farinis.

Neruis amicum.

Pus educãs

Puluis Oft. ad fiſtulas.

Viride ex herbis,

chiæ longæ, æruginis, ana unc. ſex. Fiat unguentum. Vnguentum Apoſtolorum uariæ deſcribunt: reſpondet ferè ueneri antiquorum, quo bi uſi ſunt, attrahendo, molliendo, glutinando, & contra feravum morſus: quod quia uariè deſcribitur, ex Aëtio uertimus, tantùm thure addito, & myrrha. Litharg. unc. 25. ammoniaci, unc. 9. Colophon. unc. 16. æruginis, galbani, ana unc. 2. bdelij, opopan. ana unc. 3. ariſtoloch. lõgæ, uel rotundæ, thuris maſc. ana unc. 6. myrrhæ, unc. 4. ceræ, ol. ana lib. 2. Lithargyron in oleo coquitur, media ebullitione inditur æruginis [recentioribus, decoctionis fine, ut melius purget] ubi non inquinãt, puluiſculus Colophoniæ inſpergitur. Summotis igne, reliqua ex aceto trita immittuntur: poſtremò uerſata in mortario commiſcentur. Mellis cocti lib. 1. thuris drach. 4. myrrhæ drach. 2. Efficacius eſt. ſi drach. 1. æruginis, & tantundem terebinthinæ exceperit. Plura ex primo de comp. pb. & γένη. 14. & 15. Aëtij.

De ſarcoticis. Cap. VIII.

Ἀπεφίσματον ulcus.

VOd iam purum quodq; ἀπεφίσματον ulcus eſt, carne impleri debet. Tale eſt, quod ſordibus purgatum, modicè ſiccatum, ſine rheumate, dolore, phlegmone, callo, intemperie conſtitutũ eſt. In ſumma, cui nihil accidit, quò minùs impleri poſsit. Hic ergo carnem regenerato. Sed hoc naturæ opus eſt, q̃ carnem è ſanguine cõficit. Oportet ergo tantum talémq; ſanguinẽ naturæ ſuffici, ut indè carnẽ p̃creet. Inſtituenda uitæ lex: cibi boni ſucci, uitatis acribus, auis, uenatio, ſuilla elixa dari poteſt. Vinum in dolore & phlegmone alienum eſt: datũ alioqui modicè, nec ita uetus, aliquãdò p̃deſt. Reliquum uerò ſarcoticis medicamentis perfici debet. Quæ reuerà ſarcotica, inſtam materiam naturæ cõparant, modicè detergẽt, ſiccant primo gradu: uel ita, ut ne nimis calfaciant. Licentiæ eſt uocare ſarcotica, quæcunq; repellunt, tẽperant, mollíunt, intẽperiem corrigunt: in ſumma, ſummouent oĩa, q̃ naturæ opus intercipiant. In ſarcoticis uitãda, q̃ adſtringunt, immodicè ſiccãt, quæque acrimoniâ mordicãt. Illa frugi humiditatẽ partiũ, et materiã carnis ebibunt. Acria coliquãt, et aucta ſorde ulcera amplificãt. Seligẽda materia, q̃ naturæ corporum et partium cõueniat. Nec ſi qd Dionis ulcus impleat, ſtatim et Socratẽ iuuare poteſt: Nec quod in glande carnem inſtaurat, p̃inus & p̃putium incarnabit. Finge Socratem, cui femur ulceratum ſit: thure alioqui ſarcotico putredinem gignes. Ariſtolochiæ puluere carnem reſtituunt. Etenim Ariſtolochia carnem generat, ubi thus ſordes commouet.

Sarcotica.

Vitanda.

Diſtinguẽda materia quomodo.

Thus & Ariſtolochia.

Ac rursus Dion sit paulò humidior temperatis : huic thus cõmodum, Aristolochia inutilis est. Thus quod in Dione carnem constituit, in humidiore, uel siccior nihil tale efficiet. In siccioribus partibus, siccior: in humidioribus, minùs siccãtia utilia sunt. Ideóq; & præputio, & toti pelli, quæ colem induit, siccior: peni, & glandi minùs siccantia conueniunt: carni etiam, quæ minùs siccẽt: oculo minùs, q̃ nari; huic, q̃ auri. Sinus humidior, siccior: aridus, minùs siccante curari debet. Nudatis ossibus uitãda pinguia, aridis utendũ ut carne impleas. Vlceribus pudendi, quæ humidiora sunt, anethum ustum inspergitur, cucurbita sicca, usta, pompholyx, lapis hæmatites, pini cortex: horum aliquid in pollinẽ tritum, & mãnæ momento mixtum. Quæ uerò madida nõ sunt, aloë sicca, & mannæ portiuncula incarnantur. Eadem ratio in ano, & eius naturæ partibus seruari debet. Oĩa ergo remedia suis finibus distinguenda, & naturæ partium ulcerúmq; accõmodanda sunt. Languidius sarcoticum, uel saniem aceruat, uel mollẽ carnem, flaccidámq; gignit. Efficaciore cauum exarescit, uel callosum germen enascitur: sæpè etiã excitatur dolor, et grauiter ulcus arroditur. Sarcoticorũ genus, quod multa pficit, sæpè usurpatur: quia uidelicet eo cura celeriùs absoluatur. Quod uolumus subiecto exemplo intelligas, ídque in usu reliquorum pharmacorum semel dictum sit. Glutinat, siccat, deterget, & carne implet: Strobilinæ unc. 3. ceræ unc. 1. æruginis rasæ drac. 4. thuris masculi drach. 2. aceti, quod sufficit: æruginem pluribus diebus cõterito: thus uno die: tum cæteris, liquatũ cõmiscето: gangrænis, nomis putrilaginosis, & uetustis conuenit. Fiet clementius, strobilina mollita priùs, rosaceo: uel terebinthina, strobilinæ loco mixta. Quòd si terebinthina careas, quod sæpè fit, larigna, quæ omninò terebinthinæ similis est, utendum erit. Alia larignæ differentia, ceterà quidẽ terebinthinæ similis, sed gustu mordacior, sensu acrior, et odore grauior est. Mitius quoq; fuerit cerato mixto, cera lota, diutiùs trita ærugine, aceto, non ita forti, sed uinoso: postremò, si æruginẽ minuas. Atq; ubi uincit, cõsilium glutinãdi sit thus pari pondere cum ærugine: si magis siccandum, lithargyri, uel similis metallici bene triti partẽ aliquã cõmiscebis. Ex aliis etiã acrioribus, ut sqãmis, tostis, tritis, lotis, aliqd poterit adiungi. Si flaccidior caro est, p̃ter metallica, myrteo oleo, uel melino: si calor extitit, rosaceo uti oportebit: si parùm p̃cessit caro, aristolochiã, et aliqd è sarcoticis unies. In duritie, adipes, medullas, ammoniacum, & similia colliquabis. Alumen interes, si quid affluit: Ladanum, quod simul mollit, ac reprimit: Aloën, q̃ repellit, terget, digerit, et sarcoticõ est.

Natura partium.

In ossibus nudatis.

Vlcera pudendi.

Signa imbecilli sarcotici, & acrioris.

Sarcotica impropriè.

Viride Gal.

Ladanum.

Aloë.

Sic

Sic ergo πολύχρηστον temperabis, quod & aliter alijs accommodes, & ad multa uitia transformes, ut interim carnem repleas. In contumaci ulcere animaduertendum, aliud quidem tale esse, quod suauissima desideret: aliud, cui non nisi acribus, extremísque auxilijs prodesse possis. Pudendorum, & sedis ulcera maligna, neque acria, neque uim ignis sustinere possunt, qua uidelicet parte neruacea, & suauissimis medicamentis curari debent: qualia sunt, oui candidum, cadmia lota, ceruſa, pompholyx, amylon, manna, myrrha, ſtyrax, ſucco ſolani, Aizoi, et ſimilium extuſo in mortario plumbeo, piſtillo plũbeo: uel chymicorum oleo, quod extillant plumbo. Spodio, antiſpodio, quod ex oleaſtri floribus & folijs, ebore, cornu cerui, crematis nucleis dactylorum, ficulno ligno, lentiſci, cytonij, myrti folijs, cum tenerrimis ramorũ partibus, moris immaturis in ſole arefactis, uel è buxi coma, rubi, et terebinth. teſtis, & uolutis oſtreorum, buccinorum, purpurarum, & ſimiliũ, taurino glutine, et linteorũ cinere, fæce uſta & elota: uruntur ea omnia crudo fictili ĩ fornacibus, donec figlina percoquatur: tenuiſſimè læuigare, & ſi quid ſupereſſe putes qualitatis ignis, eluere oportet: ſi nolis adſtrĩgere, aceto macerabis, et ſiccabis. In fluxionibus leniter adſtringere melius eſt: in putredinibus, aceto, oxycrato, æno melite, uel oxymelite: in cancroſis, ſolani ſucco & plãtaginis imbui, & indè ſiccari conuenit. Corallo ſimiliter uti licet. Criſtallũ laudãt in oris ulceribus & cancris. In clemẽtibus auxiliis aloë eſt. Fuligo thuris terebinth. myrrhæ. E ſtyrace, & pice liquida ualentior eſt: ex œſypo, et butyro, ſuauior. Elui poteſt, q̃ acrior uideatur. Mãna repellit, & ad multa utilior thure eſt. Coloph. pix, reſina, p̃ſertim ſiccæ, humidioribus corporibus cõueniunt. Coloph. modò p ſe, modò cũ thuris polline ulceratis genitalibus inſpergitur. Caries lignorũ, magis ex adſtringente, & detergẽte materia peculiariter, q̃ ulmo collecta eſt, expurgat, implétq; humida. In Chironijs, maleficis, et extremorũ ulceribus p ſe, uel cerato mixta uſurpatur: farina corticis capparis interdũ eõmiſcetur, q̃ eadẽ purgat, ſiccátq; maligna: farina hordei & fœni græci humidiora corpora iuuare poſſunt. In ſecũdum ordinẽ referũtur: Ariſtolo. iris, & ſimilia, q̃ detergẽt, digerũt, euocãt, farina lupinorum, orobi. Pumex crematur carbone puro, et uino albo eluitur: p ſe tritus, uel cum ſexta ſulph. parte, iuuat chironia: bis lõgè optimum medicamẽtum eſt plumbum uſtum et elotum, ut & putrilagineſis, & cãceroſis. In acriore ſanie, cõtumaci ulcere parte humida, quæq; faciliùs putreſcat, acria uitãda ſunt. Acrimonia multorum, partim uſtrina, partim lotura, uel

Duplex genus ulcerum cõtumacis.

Antiſpod.

Cryſtallus.

Fuligo.

Pix et reſina.

Colophon.

Caries.

Sec. ordo.

Pumex.

Vbi uitãda acria.

Metallica. uel utroque diluitur, uel cerato roſaceo miteſcit. Talia ſunt quædam metallica, ſquama, chalcitis, atramentum ſutorium, quibus uſtis, lotis, & alijs rebus temperatis, & parcè quidem utendum erit. Lauantur pluuia, ſi quæritur adſtrictio, alioqui puteali, fluuiali, uel fontana. Chryſocolla concreta ſanies è putri uena metallica, difficilium ulcerũ efficax remediũ eſt: factitia quoq; ex ærugine, quæ alumen recipit, & ſalem, in ijs, quæ nimio humore madent, & rheumate utilior eſt. In hoc genere cenſentur, quæ Græci uocant κεφαλικὰ, καταγμαϊκὰ, & καταγματικὰ. Illa caluariæ, hæc reliquis quoque oſſibus fractis imperantur, quanquàm interdùm utriuſque ratio commiſcetur. Cephalica catagmaticis acriora ſunt, ſquamas & ramenta oſſium detrahũt, foràs euocant, quæ in alto latent: utraque tergent, digerunt, & ſiccant.

Chryſocolla. κεφαλικὰ. καταγμαϊκὰ

Adſtringentia mixta cephalicis. Vſus cephalicis.

Miſcetur his quod adſtringat, ſed oportet ex aceto fortiſſimo diu in æſtu atteri, dum in tenuiſſimum pollinem abeat. Sic enim quod influat repercutitur, & uis tergentium altiùs penetrat. His autem ſic utendum eſt nudato oſſe, quod in caluaria ſæpe fit ad uocatam διαπλόην, arida inſpergenda. Nudatis enim oſſibus pinguia malè conueniunt. Sintque paulò acriora, ut non ſolùm ſquamas, ſed uiſcidum humorem ex alto trahant. Videndum etiam ne qua parte ſyderatum uel corruptum os liueat: elimandum enim, ac omninò repurgandum. Atque ubi cœperit caro ſuccreſcere, & os integi, cephalica cerato temperanda: ſic enim coges ſarcoticon, quia uidelicet quæ euocant, tergent, diſcutiunt cerato mixta implere poſſunt. Cerati modum definient natura uiriũ, corporis, uirtus denique medicamenti. Parantur cephalica ex iri Illyrica, erui farina, mãna, ariſtolochia, panacis Heraclij radice, magis cortice (opopanax calidior eſt) radice bryoniæ: in ſumma, his quæ detergeant, ſed non rodant. Acria enim miſcentur, ut ramenta auferant, Cephalicon quod tollit ſquamas, oſſa corrupta rapit, & caua implet, Iridis Illyriæ, panacis, ana drach. quatuor: ariſtol. rotundæ, mannæ, ana drachmæ duæ: tuſa leuiſſimè, & traiecta cribro inſperguntur, uel melli mixta imponuntur. Farinæ orobi rubri, drach. octo: iridis, drach. decem: mannæ, ariſtoloch. rotundæ, ſquamæ, ana drach. quinque: tritis, uel cum melle utitor. Sunt qui addant radicem bryoniæ, & aliter parent. Corticis pini, ſquamæ, pumicis uſti, ana drach. ſex: mannæ, thuris, ariſtolochiæ, iridis, reſinæ pityinæ, ana drach. quatuor: myrrhæ, aloës, ana drach. duæ: tritis utere, uel cum melle. Athenæus loco corticis pini, drachmas quatuor gallæ miſcuit. Plura ex ſecundo & quarto de compoſitione pharmacorum

Materia cephalic.

Cathegetis

Ex orobis.

corum & χένυ. Iam uerò multa per ſe nocent, mixta ſarcotica ſunt. *Sarcotica mixta.*
Oleum ſordes colligit, ſic & cera: ærugo rodit: tria hæc mixta, carnẽ regenerant: magis etiã, ſi quid ſarcotici ammiſceas. Sic. n. purgãt, et carne implent. Quale eſt, Cerati roſacei lib. una: ærugínis unc. i. mannæ, thuris, unc. duæ: ceræ, terebinthinæ, ana unc. quatuor: ærugínis ex aceto lotæ, unc. una: uel ut efficacius, unc. duæ: thuris, unc. duæ. Ita ex oleo, cera, ærugine, reſina, terebinthina, thure, manna, & materia ſarcotica, ſexcenta pharmaca confinges ea arte, quam Galenus tradidit, quibus extergeas, ſicces, repellas, ac ſimul impleas.

Trigener, Cera, colophonia, terebinthina, pariter colliquatis: re- *Trigener.*
frigerata hæc in frigidam conijcies, diúque manibus uolutabis: nuda *In fracturis oßium.*
oſſa capitis incarnat, ſquamas deducit, & cicatricem trahit. Admirandum eſt maſtiche pariter mixta in oßium fracturis. Iudæi, Colophon. lib. una: maſtiches unc. una: olei ſeſquuncia: liquata, & in frigida piſta ſine linamento ulceri impones: purgat, & præ cæteris implet, ſed cicatricem non generat. *E farina piſtrinali.*
Optimè incarnat farinæ piſtrinalis è tritico unc. duæ: picis, Colophoniæ ualde tritæ, unc. una: arido cauum impletur. Gal. Ceræ drach. ſex: olei unc. tres: liquefactis adde thuris, iridis, ariſtolochiæ, ana drachmam unam: ærugínis drach. dimid. Aliud, Radicis Anchuſæ, un. duæ: aloës, un. quatuor. Fiat puluis. *Theriaca.*
Theriaca efficaciſſimè purgat, incarnat, cicatricem ducit.
Maleficis ulceribus tibiarum, litharg. un. ſex: cum adipis capril- *Maleficis ulceribus tibiarum.*
li, olei roſacei, ana un. ſex, coquito: coctis adde maſtiches unc. ſex, parùm refrigeratis miſce uitella quinque ouorum. Hactenus experimenta ueterum, nunc ad recentiorum remedia tranſeundum eſt.

Aureum Meſuæ. Ceræ un. quinque: reſinæ un. tres: terebinthinæ *Aureum Meſuæ.*
lib. unam: mellis, ſeſquunciam: maſtiches, thuris, ſarcocollæ, myrrhæ, aloës, croci, ana drach. tres: fiat unguentum. *Fuſcum Nicolai.*
Fuſcum Nicolai multa habet undè concoquat, & emolliat. Similiter & quod Croceum deſcribunt. *Crocæum.*
Tetrapharmacum dolorem lenit, maturat phlegmonẽ, putredinem augere poteſt: ſiccare uerò & expurgare non poteſt. Galenus locis aliquot Theſſalum reprehendit, & alios, qui tetrapharmaco ut ſiccante, purgãte & incarnante, uterentur. Actuarius iã à doctrina ueteri degenerans, uim molliendi, coquendi & incarnandi tetrapharmaco tribuit. *Tetrapharmacum.*
Omnia ulcera perſanat: Artemiſiæ, ſcabioſæ, abſinthij, ormini, ſenecionis, tamaricis, apij, uerbenæ, piloſellæ, lanceolæ, pimpinellæ, linguæ canis, mille folij, chelidoniæ, ana manip. unus: ex omnibus reiectis radicibus exprimatur ſuccus, cui adde *Oia ulcera perſanant.*

axungiæ ueteris, lib. duas: ſepi hircini, libram unam: olei libras duas: mellis uncias tres: mediocriter bulliãt, & in mortario piſta uniantur. Dia ireos: Sepi uaccini, ſelibra: olei roſacei, unc. tres: ceræ unc. duæ: radicis ireos, unc. una: thuris, ſarcocollæ, maſtiches, aloës, ariſtolochiæ, ana drach. duæ: cum terebinthinæ unc. tribus, fiat unguentum.

Dia ireos.

Puluis Raſis: Olibani, aloës, ſarcocollæ, ſanguinis draconis, radicis ireos, ana. Ita cum maſtiche, farina fœni græci, & id genus remedijs ſarcoticos pulueres confinges. Oportétque exactiſſimè cõleuari, ne aſperitate lædant. Itaque materia in pila tunditur, tenui cribro ſecernitur, poſteà molitur, ac deinde tenuiùs cribratur: quicquid non tranſmeat, repetitur in pilam, ac tam diu conteritur, dum ad extremam tenuitatem perueniat. Hæc arida ſunt, quæ humidioribus ulceribus conueniunt. Alia per ſe induntur cauo, uel penicillo uulneratio capta imponuntur. In fiſtulas mittuntur clyſterio, ſed diluta. Ab his thorulus mollis uino madens ſuperdatur. Vinum ſit è dulci auſteriuſculum. Poſtremò omnia commodè alligantur. Aeſtate bis, hyeme ſemel in die commutantur ſæpiùs etiam ſi dolor phlegmonæ, uel aliquid tale interceſſerit. Ac lintei lanugo bene munda impacta cauo ſæpè ſufficit.

Puluis Raſis.

Puluiſculi quõ parãdi

Vtendi modus.

De epuloticis. Cap. IX.

Lenum ulcus clauditur cicatrice. Epuloticum ſiccat, adſtringit, ſed citra morſum, atque hinc reprimit, & quod in carne humidum eſt, ſorbet: carnem contrahit, & cute tegit, aut certè callo tenui, qui cuti ſimilis eſt. Ex quo ſiccare magis neceſſe eſt, quàm quod carnem gignit, uel glutinat.

Natura epulotici.

Aliud genus eſt, quod quia excreſcentem carnem adimit, epuloticon appellant, aeri natura, & iam mordaci. Addunt & tertium genus, quod ſiccat quidem, ſed non adſtringit. Cicatricem ducunt, galla immatura, myrta, malicorium, æris ſquama, chalcitis, miſy, ærugo uſta, lota. Et quod præſtantiſſimum eſt, æs uſtum, & elotum. Metallis acribus excreſcens caro conſumitur: uſtis, & elotis trahitur cicatrix. Vruntur hæc fictilibus crudis, carbone puro: extinguuntur uino, mortario interuntur affuſa pluuia, mox ſiccantur, cribrantur linteo: in mortarium aliquoties repetuntur, ne quid arenoſum aut ſcabrum reliquum fiat. Abluuntur etiam ea ratione, quæ ex Dioſcoride & Galeno repetenda: ut eadem materia excedentem carnem adimas, in duris

Secundũ genus epulot.

Tertium genus.

Epulotica.

Ratio urẽdi metallica

duris ac mollibus corporibus cicatricem ducas. Eryſimi ſemen, ſco- Diſtinctio remediorũ.
ria plumbi, ſtibia, cerato myrtino excepta. Erinaceorũ, *purpurarum, buccinorum, oſtreorum, calculorum marinorum, ſilicum, & ſimilium crematorum cinere, metallis acribus ſimiliter utendum eſt: ut crematis quidem ſuperfluam carnem adimas, uſtis & elotis, cicatricem contrabas. Hæc omnia tam poſſunt manſueſcere lotura, quàm ſuauis eſt ceruſa lota. Flaccidis carnibus balauſta affatim inſperguntur. Liberaliùs injici oportet, ubi caro demenda eſt: parciùs, & in ſubtiliſſimum puluerem conleuata, atque acie cultelli capta, ubi cicatrice plaga tegenda eſt. In calloſo ſtupidíque ſenſus corpore, ſi neque plethora, neque cacochymia, acrioribus ad cicatricem uti licet. Quæ enim molliora corpora colliquant, duriora in cicatricem contrahunt: & acria cerato roſaceo fracta epulotica ſunt, ut uel pluuia, uel adſtringente uino lota.* Vinum *ſit neque recens, neque ætate mordax, aut* Vinum.
languidum: præſtat quod annis eſt & qualitate medium. Siccant, nec ita ſtringunt, myrrha, argenti ſpuma, oſtrea, diphryges. Iam uerò alia ὠδίπασα, *quæ arida tenuiſſimè inſperguntur. Alia* ἐμπλαστρώδη, *& firmo corpore. Hæc in platyſmate adhibentur. Corpus accipiunt à cera, quæ pinguis ſit, uel natura ſua, uel myrtino, melino, lentiſcino oleo remollita. Ac ſit olei pars decima, uel duodecima. Terebinthinâ quoq;, & larignâ tẽperare licet: ut œſypo, ſi quid tumoris, uel calli ulcerũ labris reliquũ fuerit. Eodem modo, medulla cerui & uituli. Sic. n. epuloticon diutiùs inſiſtet, neq; breui exareſcet, unde lædat ſcabricie, et ante tempus decidat: ac tertio quoq; die abſoluere ſatiseſt. Cerata cõueniunt è roſaceo, myrtino, melino, terebinthino, lentiſcino, fraxinino. In ceratis epulotica applicantur multò magis, ſi hæc acriora: nec ita malignum ulcus eſt. Elarigna, & dupla cera cerotum confici poteſt. Spodos factitia, quod antiſpodium uocant, in epuloticis cenſeatur: uis eius eluatur, ut ſunt corpora, & ulcera: fugienda* μαλακώδη, *quæque* μαλακτικά: *adeps, maximè ſuillus, oleum, cera, reſina, ammoniacum, & ſimilia, in ulceribus, quæ difficiliùs cicatricem trahant. Fugienda acria, piper, ſinapi, ſed præcipuè ubi uel plethora, uel cacochymia. Ad hæc quæ humectant, ut aqua. Quòd ſi omnibus ritè inſtitutis ulcus cicatrici pertinaciùs reluctatur, aut iam opertum, clauſúmque reſcinditur, horum aliquid ſubeſſe conjicies. Nam uel plethora, uel cacochymia eſt, undè perpetuò madeſcit ulcus: hîc purgante pharmaco, illic phlebotomia, quæ uacuet, & reuellat, opus eſt.* Vitanda.
Aliquandò in quantitate & qualitate uitium eſt: tũmq; primùm phle- Cauſa rebellis ulceris.
botomo,

botomo, deinde catbartico medicamento occurrere oportet. Emulgendus atque etiam præcidendus uarix eſt, ſi inde materia transfluit. Quibus ab hepate, liene, capite, aut alia corporis parte ſcaturit colluuies, neceſſarium parti remedium adhibebis. Aliâs uicina malè habita ſcalpro lacerabis: calloſa labra adimes: partem ægram, totámque uiciniam, priſtinæ naturæ reddes: os ſubiectum ſi qua parte ſyderatum, aut cariem duxit, abrades, aut etiam cauterio mures: uel ſi qua reſtitant ramenta, maturè detrabes. In ſumma, omnia ſummouebis, quæ cicatricem tardant, aut eandem refricant. Lithargyrus per ſe trita, attrita operit. Eadem è uino lota tritáque reſiccatur: tenuis plũbi lamina, plumbũ uſtũ, lotũ, ſummoperè medetur cancris. Implet, & ad cicatricem ducit cadmia cremata, pluribus diebus ex aceto, uel uino modò giluo, modò albo auſteriuſculo terere oportet. Ladanũ molle & recens è uino, uel ſaliua piſtum cum elegantia iuuat. Ceruſa, pompholyx, calx elota, bolus Armenus, terra ſigillata, & ſimilia, quæcunque ſiccant, adſtringunt, nec mordent. In mixtis prætulit Gal. διὰ κοδμίας, & διὰ λαδάνου medicamenta. Quæ cùm multa ſint, ac uariè concinnentur, pauca, & paratu facilia deſcribemus. Cadmiæ, lithargyri, ceruſæ, ana unc. una: ceræ, unc. quatuor: roſacei, unc. tres.

Redit ad materiam.

Mixta remedia.

Ceruſæ, cadmiæ, ana unc. quatuor: ceræ, myrtini, ana unc. ſex.

Plumbi uſti, unc tres: cadmiæ, æris uſti, ana unc. duæ: Colophoniæ, olei myrtini, ana lib. duæ: uini antiqui odorati, quod ſufficit. Cadmia pluribus diebus in ſole teritur ex aceto, uel conueniente uino. Quòd ſi æs uſtum ſimiliter lauatur, melius eſt διὰ κοδμίας medicamentum: διὰ λαδάνου prætumidis ulceribus auxilio eſt, implet, & ad cicatricem perducit. Picis aridæ, denar. centum: æruginis raſæ, denar. uiginti quatuor: æris uſti, denar. quindecim: ſquamæ rubræ, denar. uiginti quatuor: ladani, unc. nouem: lithargyri lib. tres: olei, uini optimi, ana unc. triginta. Lithary. oleo coquitur, coctione media reliqua metallica iniiciuntur, uolutantur rude, dum non inquinent: hîc pix immittitur: refrigeréſcentibus ladanum unitur è uino tritum: omnia in mortario conficiuntur: hoc & reliqua medicamenta, quæ ſiccent, & non mordeant, diutiùs coqui melius eſt. Adhibetur hoc in platyſmate, deligatur, nec ante quartum diem exolui debet. Alia quarto de comp. pbar. κατὰ χ'νν. Sunt & hæc epulotica: Aeruginis, æris cremati, ana ſemuncia: aluminis fiſſilis drach. duæ: ceræ drach. ſex: æruginе uſta melius eſt: metallica excipiuntur cera præmollita igne, uel cerato ex larignæ ſemuncia, & ceræ uncia una: alioqui cerato myrteo,

Διὰ λαδάνου ex Critonis

Quòbec adhibenda.

teo,uel roſaceo. Squamæ,ærugimis,ana uncia: ceræ pinguis, unciæ ſex: larignæ,ſemuncia. Liquatis ceræ & reſinæ reliqua trita conmiſcentur: hæc in platyſmate apponuntur,quod ulceris locum nec eò amplius circumſcribat. Munitur uicinia his, quæ phlegmonem arceant: tertio quoque die,uel quarto, medicamentum reuellitur: auſtero uino fouetur locus,platyſma innouatur. Repetuntur hæc,dum cicatrix duci incipiat: reſinæ loco, uel œſypus, uel medulla eſt,ſi quid ineſt duriùs. Et hæc quidem efficacia ſunt,& maligna iuuant. Aliud: Ceruſæ, litharg yri, ana libra una: olei myrtini,libræ duæ:ceræ,ſelibra: terebinthinæ,unciæ tres: aluminis ſciſsilis, uncia una: piperis, ſemuncia, uel paulò minùs: leuius erit,ſi ſeſquunciam thuris addideris. Parabile & mirabile: Aluminis ſciſsilis ſemuncia, in uini, aquæ pluuiæ, uel quæ in cauis quercuum deſidet,unc.nouem,diluitur: linteolum uetus, ſed mundum,aquâ inculcatur; exareſcit ſole: depectitur, & concertum imponitur. In ſedis uitijs,& inueteratis,uino quàm aqua,uti melius eſt. Aliud,in quo ueterum & poſterorum conſenſus eſt: Linteolum aqua illa,uel uino madẽs,ſed expreſſum,molliter apprimes loco: cui deinde pertenuem plumbi laminam induces, & alligabis.

Albũ è ærugine & litharg.

Aliud.

Lamina plumbi.

Ceruſæ,drach.duæ: gallarum,myrti,recrementi,plumbi,ana drach. una: fiat puluis. In ignis exuſtionibus & calore: Ceruſæ,litbargiri, bordei toſti,ana unc.una: ceræ,unc.tres: roſacei, uel myrtini,unc.octo: metallica è uino terito, ceram cum oleo liquefacito, hordeum cribratum inſpergito, omnia coquito, excolato, in mortario conficito.

Album Gal.

Aliud: litharg.ceruſæ, ana libra una: coquantur in olei albi libris duabus: aquæ puriſsimæ ſelibra, dum aqua exhalauerit,& purum pharmacum conſiſtat: purus ſit ignis. Liquatis adde terebinthinæ, uel larignæ potiùs in malignis, uncias duas, uel tres: ceræ albæ, uncias quatuor,uel ſex: ut augetur reſinæ modus, ſic & cera augenda eſt. Poſtquàm uerò hæc cum cæteris coierint, adde thuris ſemunciam, pompholygis, oſtreorum, cadmiæ, ana unciam unam. Vſta hæc in cinerem, trita,& ex aqua lota: dulci quidem in acri ſanie; marina,uel aceto in calloſis,& tumentibus labris uſurpentur. Inopiâ marinæ,ſubduplum ſalem aquâ diffundes. Quòd ſi multus humor affluit, uino albo pellucido leniter adſtringente, commodè lauabis. Calx ſepties elota, è roſaceo, uel aqua diluitur, in æſtu medio ſubinde uerſatur, teritur, abluitur: poſtremò cùm iam ſatis lota, tritáque exaruit, è roſaceo piſta imponitur: cicatricem trahit: ulcera neruorum maligna,& ambuſta iuuat. Probanda quoque remedia poſteritatis:

Larigna potior eſt, q̃ terebinth. in malignis.

Ratio inbis abluẽdi metallici.

Calx.

Recentiorũ pharmaca.

Ceruſæ

Vngu. albũ coitatis. Ceruſæ uncia una: litharg yri ſemuncia: roſacei libra una: aquæ roſaceæ ſeſquuncia: metallica in mortario fortiter perfricantur piſtillo duro, quod cùm fit, deinceps, ac paulatim liquida affundũtur. Vng. deſiccatum rubrũ. Album Raſis: Olei roſacei libra una: ceræ unciæ duæ: ceruſæ unc. una: capburæ drach. una: albumina uuorum tria. Melius fiet cum drach. ſex litharg yri. Aliud: Balauſtiorum, ſanguinis draconis, cadmiæ argenti, æris uſti, oti, ana: fiat puluis. Addunt ſantalos, nymphæam, minorem plantaginem, roſas, ubi calor ineſt.

Album Raſis.

Puluis epulo ticus.

Plantago. Album è ceruſa. Vtraque plantago cum radice trita epulotica eſt. Emplaſtrum album è ceruſa non omninò diſſimile albo Galeni. Ceræ unc. quatuor: roſacei lib. dimid. terebinth. unc. tres: ceruſæ unc. duæ: litharg yri unc. una: thuris, aluminis, cineris è cochleis crematis, ana ſemuncia: cera, oleum, terebinth. ſimul funduntur, fuſis reliqua commiſcentur, piſta omnia in mortario uniuntur. Actuarij: Litharg. ſeſquilib. ceruſæ lib. quatuor: ceræ albæ lib. ſeptem: olei myrtini quantum ſufficit. Litharg. ol. coquitur, ceruſa additur, & cera. Litharg y. nutritũ Raſis & Auicennæ: Litharg yros tenuiſſimè teritur, ex aceto & roſaceo diu exercetur in mortario, ut quidam uolunt, plumbeo. Modus eſt, ut indè craſſior fermentetur, & exturgeat. Sunt qui addant uni parti litharg yri iam nutriti, ſextulam æris uſti, uel cremati plumbi: aut tãtundem aluminis, balauſtiorum, rubiæ, ſanguinis draconis, cadmiæ argenti. Idque ſingulari ope in malignis & pertinacibus uitijs. In cancroſis ceruſa iungitur piſtillo & mortario plumbeo. Ceruſa per ſe curat abraſa: ex uino trita, humidioribus ulceribus idonea eſt: ex aqua roſacea lota, pellit, cicatricem contrahit, & calorem attemperat, butyro mixta, mollit, coquit, & epulotica eſt, ut licet et emplaſtro deſiccatiuo rubro, & alijs. Epuloticis utimur, iam propè pleno, ſed nõdum adæquato ulcere. Celſus linamento è frigida preſſo integit: ubi iam æquatum eſt, ſicco: ac bene fiet, ſi in frigida alumen maduerit, & quod ſiccum imponitur, in ea merſum, poſteà inaruerit. Et hæc quidem in leni ulcere faciunt ſatis. In malignis, linteolo bene puro ſinum molliter extergebis. Epuloticum induces, quod plurimum ſiccet: deinde ſi quid eſt durius, platyſma, quod attenuet labra, ſuperdabis, quod æquali linteo conteges, ex quo ſplenion ſubijcies expreſſum frigida, alioqui uino, ac frigiditatem ſplenij affuſa ſubinde frigida continebis: poſtremò commodè ligabis, tertio primũ die ſolues. Hîc linteolo ſicco, molli, puro, ſaniem detergebis, & ut priùs, omnia reuocabis. Recentiores uino calido cui balauſtia concoxerint, aut ſimilia, ulcus fouẽt.

Alioqui

Alioqui aqua, quæ uim aluminis conceperit, ubi calor aliquis eſt, molli uellere humorem ſorbent, pharmacum impetrant, ſuperdant ſtuppas uino madidas uel aqua: omnia glutinantibus faſcijs conſtringunt. Galenus interdicit aqua nec ulcus nudum contingere oportet. Plurima epulotica ex 1.2.4. de comp. phar. κατὰ γένη & 14. Aetij.

DE GLVTINANTIBVS CAP. X.

LOngiùs fortaſſe quàm res poſtulabat de glutinantibus ſermo dilatus eſt: uerum ita nos coëgit, traxitque conſequens medelarũ ratio: nec alius locus obtigit commodior, in quo de illis orationem inſtitueremus. κολλητικὰ Græci uocant, συμφυτικὰ & τραυματικά. Quidam etiam ἕνωτικα: & peculiariter quæ coniunctis uulneribus adhiberentur. Siccant hæc omnia ad 2. ferè gradum, media ratione uer ea quæ cicatricem trahunt, & quæ carnem regenerant: non detergent, ſed aſtringunt, prohibéntque ne quid humoris labris ulcerum obueniat: nec in cruentis ſolùm uſurpari ſolent, ſed ad ſinus, fiſtulas, maligna uetuſtáque ulcera transferuntur. Opitulantur celeriùs, ſi integra partium natura eſt. Si paucus ſanguis idemque purus affluit, ſi non abraſa non præciſa, ſed uel ſalua, uel parte aliqua etiamdum hærens cutis eſt. Etenim cuti cum ſubiecta carne naturalis quædam amicitia coijt, ut ægerrimè ſaneſcant, quibus omnino illa excidit: faciliùs, ubi incolumis ſeruata eſt. Mirum quòd præciſa, ſed loco ſuo reddita coaleſcit ac mortua reuiniſcit, quòdque è plaga liuore ducto, non in iuuene ſolo, ſed etiam ſene uiuidum colorem recipit. Magna igitur cutis habenda ratio: non eò id tantum quòd inde celeriùs glutinatur ulcus: ſed quia interiecta cute plurimis iuuatur, quæ nuda alioqui caro non perferat. Nudum ulcus linteo, lana, ſpongia irritatur: medicamentis paregoricis, ſordes colligit: uellicatur catharticis: iuuatur omnibus ſi familiari tectorio munitum eſt. Ideóque & abraſa cutis & pendula, ſuo loco inducatur, & reducta molliter apprimatur: ſic enim unà cũ ulcere celeriùs coaleſcet. Animaduertenda quoque labra ſunt, quia uidelicet, alia contracta alia euerſa plurimà debiſcunt. Contracta deligatione abducenda, quæ in ulcere laxior, hinc inde ſana parte arctiùs contrahatur. Colligenda uero quæ plurimùm hiant à ſanis partibus ineunte faſcia quæ ut ad oras propiùs accedit, ita firmius conſtringatur, ſed ita ut ne nimis cogendo nimis comprimas & dolorem ingeneres.

Facultas glutinãtiũ.

Cutis quã faciat adcelerãdã glutinationis.

Rõ adhibẽda labris.

Rõ deligandi.

Euerſo tantùm altero ulceris labro, hinc linthea abduces & in alterã parte m quaſi trahendo uolutabis. Si utrumque euertitur, ea quam ἐκ δυοῖν ἀρχῶν ἐπίδεσιν uocant, neceſſaria eſt: et ut ſunt ulcera, ita remedia diſtinguuntur. In recenti paruóq; ulcere faſciola in orbẽ nexa, ſatis eſſe poteſt: niſi uel à cacochymia, uel pleithora, uel acriore ſenſu partium ſubeſſe periculum uideas; hic enim uel ſi acus minima pupugerit, dolor, φλεγμονή, cõuulſio denique ad exitium ſequi conſue uit. Statim ergo colleticis abſtinendum, & paregoricis utendum erit. In mãiori uulnere, maiora remedia quærenda ſunt, deligatio, ſutura, fibula, medicatio: hícque audienda ſunt magnum & paruum in ſectione, non quorundam ueterum more qui ἐπικαιρον inſigne uulnus è natura loci: μέγα, è periculo ſtatuunt. Atque in glutinando, natura corporum diſtinguenda: quia uidelicet ut illi loquũtur hoc δυσελκὲς, illud εὐελκὲς. Ac difficultas ferè naſcitur ex ijs quæ in rebelli ulcere φximo capite tradita ſunt. Primũ igitur in cruẽto uulnere, ſiquidẽ ne que profundum eſt, neque hæmorrhagia extitit, ſpongia, lana ſuccida, molli panniculo detergendus cruor eſt, atque illa priùs inculcanda frigida, exprimenda, atque ita adhibenda. Quòd ſi altè deſcendit uulnus erupitque ſanguis, frigidæ loco aceto utẽdum erit, ut inde grumum attenues & ſanguinem ſupprimas. In neruis, ab aceto metus eſt: Ideóq; ſpecilli extremo limbeolũ alligabis, quod uel ſapa uel melicrato made facies. In lacunis ubi iam glutinandum, unum et œnomeli idonea ſunt. Ac cum iam deterſus cruor eſt, nihilque labris intercedit, qualia ſunt, pilus, grumus, oleum, pluma, & ſimilia, ſequitur ut latera lateribus, oræ oris ritè coeant. Ponimus aũt neq; dolore, neque φλεγμονή, neq; ullo alio uitio ulcus laborare: ac iuſtam carnẽ lateribus uulneris inter eſſe. In rectis uulneribus labrã facilè adducũtur, multo magis ſi molle corpus eſt, adducta faſcijs continenda ſunt, ex duplici initio: alioqui ſimplicibus, ſed ſutura interdum addita, & fibulis. In tranſuerſo uulnere, oræ diſſident magis, quare ſuturis & fibulis opus eſt. In magnis & φfundis uulneribus uincula ex duobus initijs neceſſaria: eadẽ quo que in latis ſimul & profundis, ſed hæc præterea aliis futuris cogenda ſunt: neutra uerò præproperè glutinanda: ac faſcias auſtero uino & nigro maduiſſe iuuat, quod in uulneribus cæteris præferendum eſt, quia repellit, φλεγμονήν prohibet & cogit: in quo etiam aliquid eorum quæ aſtringant licet incoquere: ſed modus ſit, ne nimis cõtrahas, unde excitetur dolor. In molli parte, extrema auricula, imo naſo, fronte, bucca, pericranio, palpebris, cute gutturis, uẽtre, mẽbranis

Paruũ ulcus non negligẽdum.

ἐπικαιρον uulnus.

μέγα.

Quomõ ex tergendus. cruor.

Ratio glutnandi.

In rectis uulneribus.

In tranſuerſis,

Vinũ nigrũ auſterum.

In quibus ſuendum.

branis quæ non ſunt tendines, ſutura conuenit. Præputium aſſuitur & infibulatur, ut & carnoſum genus ubi nimium debiſcit uulnus, nec oræ facile cõiunguntur. Sed de his alio loco pluribus. Particularis materia, ut ſexus: ut molle durúmue corpus; ut recens uetuſtum, paruum magnúmque ulcus eſt, ita diſtingui debet, quod in faſcijs, ſuturis ac fibulis ſimiliter ſeruandum eſt. Ebulus, ſambucus, ſymphytum, ſyderites, palmæ cortex, plantago, fraga equiſetum, pini, tedæ, dracontij folia recentia, anagallis, ſalix, androſæmon, aſtragalus, pblonunculus, araneæ tela, & ea precipue cui è piſtrino farina inſederit. Spongia, lana ſuccida, limbeolum expreſſa è frigida, uino, uel liquore qui contrahat: caſeus recens & oxygalactiuus. Iſatis ſatiua neruos etiã præciſos in ſine muſculorum iungit, & duriora corpora conglutinat. Neruos etiã iuuat pentaphylli foliũ cum melle, alia aſſata tritaq; myrrha ulceribus capitis idonea. Sarcocollæ, gũmi genera & reſinæ q̃ non mordeant nec ita detergeant. Pix ſicca magis q̃ humida: hordeum uſtum, aloe ex aqua trita: herbæ ſuccus & folia, quam ex India comportant, & patrio nomine zambanã appellãt. Aloe uulgaris eſt quæ tenace uitra in multos menſes uiget: è laquearibus ædium & tabulatis magna uiroris commendatione ſuſpenditur. Conſtat hoc remedium certo experimento nautarum. In colleticis quæ ad manum ſunt, præcipua laus attractylidi. Eius cacumina auſtero uino uel oxycrato incoquuntur; excipitur concha quod enatat. ulmi cortex alligatus, eiuſdẽ quoq; foliũ intritum glutinat & ambuſta iuuat, ut ſine manifeſta cicatrice coeãt. Purgat, implet, cicatricẽ ducit, glutinat, & artificialibus balſamis miſcetur aqua quæ ulmi foliculis concluditur, bene purgata uermiculis. Et balſamo quodam raro & precioſo principes utuntur glutinando. Sunt qui aquam quæ caſtratis uitibus exudat uere uitreo uaſe excipiant, annum integrũ bene operculatum uas & clauſum exponunt ſoli, loco ſubdiali, ſed qui ab iniurijs cœli tutus ſit: uas ſubinde ad ſolem uertunt, melligo tandẽ cõcreſcit quæ ſit balſamo uiribus æqualis. Efficatiora ſunt ſorbus, meſpilus, piraſter, quercus, & quæcunq; acerba ſũt: terũtur, affuſo ũterdũ umo, quod aſtringat: atq; ita alligãtur. Addunt bolũ Armenũ, terrã ſigillatã et ſimilia. Cõpoſita ſunt: Cerati myrtini un. 3 ceruſſ. un. 1. uetuſta glutinat. Aloe arida, oenomelite coquitur, emmo tum inde tinctum ĩponitur: capitis ulcera cõiungit. Galenus pharmaca temperauit mollioribus naturis ex Lithargyro oxelæo & œnelæo durioribus ex bitumine, ærugine, ſquamma, aloe & myrrha:

In quibus etiã ſibula.

Particularis materiæ diſtinctio.

Iſatis ſatiua.

Zãbanã Aloe.

Vlmus & è folliculis aqua.

Balſamum.

Aqua uitis.

Compoſita remedia.

Ex litharg. & oxelæo nigrum.

Litharg. un. 4 ol. & aceti, ana unc. 8. uel eo plus, ut diutiùs coquatur, Oxelæo faciliùs liqueſcit argenti ſpuma: diutiùs tamen uexari morta rio, ac deinde integrũ diem excoqui neceſſe eſt, idq; luculento foco, & ſereno aëre: quod bene coctum ritè coijt, nigrum euadit, nõ abſimile ei quod nigrum uocant: fortius fit, ſi oleum uetus eſt: acetum uerò tenue, pellucidum, & acerrimum. Fiſtulas ſine callo, maiora minoráq; ulnera, cruenta, lacunoſa, difficillima. & parotidas glutinat. Quod uero ex œnelæo, cruenta iungit: Litharg. lib. dimid, teritur diebus quindecim ex uini gilui, tenuis, & odori ſelibra, uel libra una: deinde affuſa olei libra una, ut priùs coquatur. διὰ χαλκίτεως, fiſtulas & magna ulcera coniungit, & cicatrice tegit. Axungiæ ueteris bene purgatæ fibris, & ſine ſale lib. duæ. olei ueteris, litharg. ana lib. tres: chalcitidis un. ſex: conficiatur ex arte: quòd ſi ſpatha palmaria defuerit, ſa ligna rudicula cõmouebis potiùs, q̃ radice cannæ, cui non exigua uis in eſt abſtergendi. Diuturnis maximíſque ulceribus, & quæ ægrè cicatricem ducunt: Succi foliorum lilij un. quinq;: mellis & aceti, ana un. 1. coque ad craſſitudinem: efficaciſſimè glutinat. Cochlearum carnes cũ thure. & myrrha tritæ neruorum uulnera. & alia quoq; uniunt. Cruentis, ſuggillatis, exciſis, quacunq; corporis parte: utiligini, leprę, maculis & cruſtis auxilio eſt. Attractylidis effoſſæ cũ radice & ſiccatæ umbra, deinde tritæ, olei dulcis ana un. 4. Colophoniæ unc. 18. ærug. uni. 2. ceræ unc. octo: liquabilia ſimul liquato: excolatis ærugine primùm: deindè attractylida commiſceto; mixta in frigidam conijcito, diu manibus uerſato ac per noctem frigida macerato: poſtridiè uſui reponito. Barbarum Gal. Cerę. picis reſinæ, bituminis, thuris, ana un. ſeptem. Aliud: Picis lib. 1. bituminis, ceræ, ana ſelib. ammoniaci, mãnæ, ana unc. 3 ceruſſ. ſeſquunc. ol. drach, 18. aceti unc. 18. Aliud ad cruẽta: Aerug. raſæ, denarij. 12. litharg. denar. 20. aluminis, picis aridæ, reſinæ. pini aridæ ana denar. 1. aceti, ol. ana un. 9. Plura primo & ſecũdo de cõp. medic. & γένυ. Iã uerò adſcribẽda remedia poſteriorũ.

Puluis ruber ex ſanguine draconis, & ſeſquialtera ratione, uel dupla thuris. Alij calcem, bolum Armenum, uel ſantalos commiſcent. Sũt qui hoc modo cõficiant: Symphyti maioris, boli Armeni, ana un. 1. picis Græcæ, un. 3. maſtiches, olibani, ana ſemun. ſanguinis drac. mũmiæ, ana drac. 2. Pulueres ſuturis inſpergũtur, uel in cerato inponũtur. Sãguinẽ draconis colleticõ uariè cõficiunt. Thus, maſtichẽ, bolũ Arm. æqualiter mixta, hirci ſanguine mactati Auguſto mẽſe cõcorporãt: alij aliter ex eadẽ materia: quidã bolum Arm. terunt, efficiúntq; ut multũ ſorbeat ſangui-

Excæneleo.

διὰ χαλκίτεως.

E ſuccò lilij.

Cochlearũ caro.

Barbara.

Recẽtiorũ

Puluis ruber.

Sanguis draconis.

ſanguinis hircini,& ſorborum ſucci. Plinius ſorborũ ſucco,& caprillo ſanguine cõpingit. In his omnibus prouidendũ,ne ſupra modum cõtrahas: quod ſi metuitur,cerato pharmaca tẽperabis. Eidem Pli.& Solino ſanguis eſt draconis,qui dum uulneratus elephas concidit, colliſo caſu dracone colligitur. Aetius è ſucco herbæ Indicæ quã draconteam uocant,ſingi credidit. Dracontio noſtro uis ineſt glutinandi. Plantaginis utriuſq;,cõſolidæ,betonicæ,uerbenæ,pimpinellæ, piloſellæ, millefolij,linguæ canis,caudæ equinæ,ana manip.1. Cõquaſſata coque cũ lib. tribus ſepi arietini: colatis adde reſinæ,ceræ,galbani,ana quart. tres: ſarcocollæ quart.1.terebinth.quar.1.& ſemiſs. Liquata oĩa miſcentur. Viride Bonantini.

Centaurij minoris manip.6.macerẽtur per noctem in uino albo: tũ in eodẽ coquito,dũ medium uinum cõſumptum ſit: colatũ ſuccũ iterùm coquito ad mellis craſſitudinẽ: poſtremò reponito: uſus tẽpore accipito terebinth.lib.1.ceræ nouæ quar.1.reſinæ,thuris,gummi Arab.maſtiches ana unc.1.ſucci p̃dicti un.3.lactis muliebris un.2. Fiat emplaſtrũ. Betonicæ,centaurij,ana manip.2.coque,& cola ut priùs: excolato ſucco adde reſinæ quar.1.terebinth.ſelibrã: ſarcocollæ unc.1.ceræ unc.2. Liquata omnia bulliãt,acetum paulatim affundatur: ubi refrixerint, oĩa manibus è muliebri lacte conuoluantur. Ceræ albæ,reſinæ,ana quart. 1.olei unc.2.terebinth.lotæ,un.1.thuris,maſtiches,ana ſemũc. Fiat unguent. Pimpinellæ,betonicæ,melãgianæ,uel loco huius telephij,uel maioris ſemperuiui,uerbenæ, uermicularis,aut potiùs ſemperuiui minoris,ana manip.1.coquantur uino ut priùs, dum duæ partes exhalauerint: & alijs ſimiliter percolentur,colatus ſuccus iterum coquatur,tum adde reſinæ lib.1.ceræ albæ ſelib.maſtiches unc.2.refrigerata ut priùs è muliebri lacte ſubigãtur. Aliud: Olei bedegaris lib.1.ceræ quar.1.ſeminis albarũ roſarũ ſemũc. Fiat ung. Ol.bedegaris finges,cymis bedegaris,aut ſi deſit,attractylidos in ol.& uino nigro coctis, dum uinũ expirauerit. Semẽ roſarum eſt,quod detractis foliis,et apicibus luteis,excuſſo capite decidit: Chelidoniæ,panis cuculli,orumini,lybiſtici,ſcabioſæ,ana manip.1.ſepi arietini lib.1.ol.ſelib.ceræ,maſtiches,thuris,aloës,æruginis,ana unc.1. E uermibus neruoſis partibus glutinandis,utriuſq; ſymphyti,cynogloſſi,piloſellæ,utriuſq; plãtaginis,ana manip.1.uermium terreſtrium lib.dimid. trita omnia macerentur ſeptem dies in olei ſeſquilib. Deinde cocta leuiter excolentur: expreſſo ſucco, miſce ſepi arietini purgati lib.1.picis nauallis ſelib.picis Græc.quart.1. ammoniaci,galbani,opopanacis,terebinth.ana unc.1.thuris,maſtiches, ana ſemũc: macerata pinguia ĩ aceto,et ſoluta cæteris uniãtur. Lũbrici terræ

E cẽtauria. Dini. Anserini. Vng. gloriæ. Viride ex hortis. E uermibus Vermes terreni.

terræ per ſe triti, & impoſiti neruos glutinant. His ergo utendum, ut priùs, conſtituto ulcere, ſtuppa è uino rubro preſſa ſuperponenda: hypodeſmides, ſplenia, & reliqua lintea eodem uino inſuccanda: ligandúmque uulnus, ut contineas, reformes, cogas, quantum uidelicet ulcus expoſtulat.

De pyroticis. Cap. XI.

Δρῶσαι. Πυρωτικὰ ſunt ῥοπάλη, σπασμὸς, φοινιγμὸς, καθαιρετικὰ, σπλη-
νικὰ, ἐλαφρωτικά: ignis denique & inde cauteria. Dropacas pi-
cationes uertunt, non è uerbo quidem, ſed πηλώτας & πί-
τανα ueteres appellarunt, unde Latina uox conuerſa eſt.
Alij etiam δροπακισάς è pice, & quarta, uel quinta parte olei, quibus
ſubdecuplum, plus minúſue piperis, pyrethri, euphorbij, & ſimilium,
miſceri ſolet. Sic enim meliùs calfacit, ut accepto ſulphure, cinere ſar-
Vſus. mentorum, & ſale ſiccando magis conuenit. Nam & dropax, quí-
que deſcribentur, ſinapiſmus & phœnigmus, eo ſunt, ut refrigerata
calfaciant, confirmétque partes, quæ partim frigore, partim aſſidua
fluxione elangueſcunt. Alia quidem poſſunt plurima: hic tamen præ-
Μεταυγκριτικὰ. cipuus eorum uſus eſt. Et hæc in genere μεταυγκριτικὰ ueteres ap-
Πτύσματα. pellarunt. Alutæ dropax impingitur, uel linteis complicatis, quæ
Διπλώματα. πτύσματα & διπλώματα Græci uocant. Deglabratur cutis eraſo pilo,
dropaciſmus calens inducitur: idem ſubinde reuellitur, priuſquàm re-
frigeſcat. Renouatur pharmacum, dum inde efflóreſcat locus in
Modus. ruborem, & leniter extumeat. Nimium eſt, cùm morâ pharmaci ſub-
ſidet tumor, & exalbeſcit. Hoc enim uolumus, ut dropacis ope reuoca-
ta anima, pars uelut intermortua reuiuiſcat, calorem ſuum, ac ſpiritũ
recipiat, & iam proprio alimento perfruatur: poſtremò etiam corpo-
retur, quæ confecta macie intabuit: uerùm alia tardiùs, alia celeriùs
uitã recipit. Quæ breuì rubet, ea celeriter inſtauratur: tardiùs, quæ
ægrè recaleſcit: deſperatio eſt, quum neq; frictione, neq; fotu tepi-
da, neque dropace meliùs coloratur. Alijs ſatis fuerit, ſi tribus aut
quatuor diebus adhibeatur dropax, nec aſſiduè quidẽ, ſed bis hyeme,
ſemel æſtate. Alijs bis térue ſingulis diebus, nonnunquàm tertio, uel
quarto quoque die, ut uidelicet uel facilè cedit, uel contumax languor
eſt. Ac tepida priùs fouiſſe confert: uel ſmegmate affricaſſe, quod a-
liquid thapſiæ, ſinapi, euphorbij, piperis, pyrethri, capparis receperit. Quòd ſi affixus dropax pertinaciùs hæſit, tepidâ diluendus eſt:

quem

quem quum detraxeris, furfurum decocto, & ſimilium, partem extergebis. Sinapiſmus *paralyticos, coxarios, podagricos, inueterata rheumata, hemicranias, quæque caloris inopiâ languent, adiuuat. Caricæ unǫ die aquâ macerandæ: aut cappares. Si grauius malum eſt: uel ſi lenius, & acrior ſenſus eſt, panis triticeus: hicque magis, cùm in ſuperficiem tantum agere oportet. Macerata tundenda ſunt: lenis erit ſinapiſmus, qui ſubduplum ſinapi ſeorſum triti acceperit: acrior, qui duplum: mediocris, in quo utrumq; ex æquo temperatum fuerit. At quo tempore pinſitur medicamentum, paulatim affundenda aqua eſt, in qua illa maduerint. Sunt in ueteribus, qui acetum prætulerint: alij aquam, quòd experimento didicerunt, ſinapi uim aceto exopeſcere. Eodem modo, quo dropax, uſurpari debet. Si quis dolor, aut feruor à medicamento extiterit, tepidæ, uel roſacei fotu, illitu cerati roſacei: ceruſa è roſaceo trita, & alijs id genus extinguitur.* Sinapiſmus. Materia.

Phœnigmus *rubore facto etiam ueſicas mouet, & exulcerat: in eorum genere, quæ quia illita exulcerant, uocantur* ἀμυκτικὰ. *Ex naſturtio, ſinapi, radice helenij, bryoniæ, lepidij, columborum fimo, maximè ſylueſtrium, caprillo ſtercore (unde διακοπεργίας) aceto piſtis. Scilla trita, nucleis allij, & tunicis, lacte tithymalli, ficulneo, pulegio, cantharide, urtica, ranunculis, thapſia, euphorbio, fæce uſta, metallis acribus, & alijs id genus: lana ſordida bene carminata, & calente igne, aſſis carnibus, & ouis, dum uehementer calent, impoſitis. Viſco, melle, axungia ueteri, terebinthina, cerato, acrioribus, gummi, & reſinis, ut res exigit, & corpora uel mollia uel dura ſunt, excipere oportet. Aliâs quoque friabilia affricantur: emplaſtra uerò imponuntur loco: hic prius palpatur manibus, exercetur ferulis, aut aſſerculis euerberatur: affricatur etiam, ut laxatis ſpiraculis medicamenti uirtus celeriùs penetret.* Phœnigmus. ἀμυκτικὰ. Materia. Mel anacardinum. *Anacardia trita ſeptem diebus macerant aceto: in eodem coquunt, dum pars tertia euaneſcat: refrigerari ſinunt: excipiunt concha, quod enatat oleoſum. Id mel anacardinum eſt. Alij conquaſſant anacardos: ſepeliunt melle, dum hoc uim anacardij ſatis conceperit. Fermentum aceto tinctum, anacardino melle, uel cauſticis rebus concorporatur. Puluiſculus è ſinapi, piperis, euphorbij, ana drach. una infricatur: uel inſperſus anacardino melli. Ita cerato è thapſia, & alijs utendum eſt. Breui mora rubor fit, deindè bullæ excitentur, ulcus etiam, ſi diutiùs inſtiterint: ueſicæ cõfiguntur, humor exprimitur: relinquitur ulcus, dum uitium reddiderit: hac arte coxarij, podagrici, hemicranici ſæpe releuantur: repurgãtur uiſcera,*

Catharetica. ra, ſexcentáque uitia percurantur. Cathæretica ſunt, æs uſtum non lotum, ærugo, ſquama æris, & rubra magis: teſta, & terra furnaria, teſtarum, concharum, & ranarum cinis, alia quoque in epuloticis deſcripta: hæc ferè in ſuperficiem agunt, excreſcentem carnem complanant, ac leniter radunt. Septica altiùs ſubeunt, tenellam carnem tabefaciunt calore multo, nec ita craſſo corpore. Arſenicum: Sădaracha, dryopteris, chryſocolla, pityocampe, aconitum, ſanguis equi admiſſarij. Eſcharotica ut nihilo plus caleant, rodunt tamen acriùs, craſſiore materia, quæ duris & calloſis corporibus conuenit, ut ſepta mollioribus. In eſcharoticis calx uiua, uini fæx cremata & aceti, quæ ſecundum menſem non ſuperet. Nam quæ uetuſtior, exanimari ſolet: ignis denique & cauteria: utriuſque generis uſus eſt in calloſis fiſtulis, putrilaginoſis, humore fluentibus, ac ſolutis ulceribus.

Septica. Eſcharotica. Vſus ſeptorum & eſcharoticorum.

Ratio uitæ in uſu eſcharoticorum. Septa. Eſcharoticis peculiariter utimur in cancris, carbunculis, hæmorrhagijs: hîc frugalis uita, frigida liberaliter pota, uini abſtinentia, alimenta refrigerantia, magis etiam ſi ſubeſt febricula, imperanda ſunt. Septon, quod exeſt ſine morſu: Sandarachæ, auripigmenti, ana drach. duæ: calcis uiuæ, mannæ, thuris, ari ſtolochiæ, ana drach. ſex: pumicis, reſinæ, ana drach. quatuor: iridis drach. duæ: teruntur omnia. Arſenici lib. una: calcis uiuæ drach. duæ: diebus triginta in aqua merſa tundere oportet, idque in ſole, & bis quotidiè aquam cõmutare. Auripigmenti, ſandarachæ, calcis uiuæ, pumicis, ana dach. quatuor: eodem modo merſa, tuſa, & ſiccata uſurpantur. Squamæ æris drach. quatuor: ſandarachæ drach. duæ: ellecori nigri, aluminis ſciſſilis: uel auripig. ana drach. una. Squamæ, ſandarachæ, auripig. elleborinigri, ſeminis urticæ torrefacti ana cum roſaceo tritis utere.

Elleborus. Sandarachæ, alumnis ſciſſilis, ana drach. quatuor: auripig. ſquamæ ana drach. una: in ſerpente ulcere, & humore fluido, utéris arido. In cancro, & ſiruma, cum roſaceo ſubiges: bis in die commutatur. Atque hæc ferè materia ſepticorum eſt, quam exuras, eluas, cerato & aliis temperare poſſis. Elleboro magna uis ineſt contra callos: fiſtulæ iniectus, ad tertium diem callum adimit.

Callus quid ἐκτύλωσις καὶ λόχνη ſunt. Callus, dura quædam eſt, & compacta caro, undè pars ſtupet, albicat, nec expirat. ἐκτύλωσις καὶ λόχνη ſunt, quæ callos detrahunt.

Curatio alli. Oppugnantur calli, primùm quidem malacticis: deinde cauſticis: poſtremò igne & ferro: unguibus eraduntur, lacerantur ſcalpris, exſcinduntur cultris ad uiuum, & ſi quid reliquum ſit, cauſtico remedio abſumitur, uel candente ferro inuritur: ſed fluxio reprimenda, priùs quàm excetur callus. Exciſo

callo

callo tepida fouendum, tum abluendum aqua, ubi alumen diſluxerit. Materia.
Repurgandum melle, & ærugine, ſi qua ſordes extiterit. Eccilotica ſunt: ſcilla cocta, & cum calce trita: nitrum, ſal, torrefacta: fæx cremata ueteris acriſque uini, uel aceti: cortex ſalicis uſtus, & aceto piſtus. Vſta calx cum pueri impubis urina: ærugo melli, ſali, thuri æqualiter mixta. Laſer aut calx cerato irino uel liguſtrino capta: Teſta, terráq; furnaria, pumex crematus ex aceto, trita: naſturtij farina aqua ſubacta: bdellium pingue cum melle: ammoniacum aceto fuſum cum pari ærug. Radix lilij uſta in cinerem: ærugo cocta, læuigata: amygdala è melle trita. Squamæ unc. 1. æruginis drach. duæ: cerati lentiſcini, uel myrtini, unciæ octo, plus minúſue: harpax cum modica ærugine. Olea eccilotica.
In hoc genere laudatur oleum lentiſcinum, quia præterquàm quòd mollit & digerit, etiam adſtringit, repellitque: quibus omnibus difficilia ulcera cũ oris induratis egent. Terebinthinum ſimiliter & maſtichinum quæque ſimilia ſunt. ἐκτιλωτικὰ & σαπτικὰ ijſdem rebus quibus amyctica excipi poſſunt, uiſco & alijs. Satis profeciſſe putes, cùm ſuis marginibus uitioſum corpus à ſano exceſſerit. Quòd ſi ſeptis nihil effeceris, ad eſcharotica, ignem, & cauteria ueniendum, atque omninò uis pro magnitudine & contumacia ulceris adhibenda eſt. Eſcharotica.
Eſcharotica ex ſeptorum materia conficies, ſed ut firmior trahatur cruſta, è metallicis acribus miſcendum erit, quod ſit craſſa, & adſtringente potentia. Qualis eſt cadmia, chalcitis, chalcanthum, quæ per ſe cruda, trita, & ſaliua hominis, uel aceto capta, cruſtam cõtrahunt. Eadem uſta leniora quidem, uerùm eſcharotica. Septa miſcẽtur, cùm altiùs imprimenda cruſta. Celeriùs operatur ignis, & meliùs ſi ægri perferunt. Atq; is nõ uno modo adhibetur. Cõceptus aqua feruida, ligneo tubulo, canali, penna ſcriptoria inducitur, extrema part in æquabilem circulum circumſcripta, quæ clauos, uerrucas, & ſimilia, quæ urere oportet, includat: altero extremo debiſcente, aqua feruens, plumbum fuſum, uitrum, & ſimilia illiquantur: dum uim ſuam una collabens ignis ſatis impreſſerit. Alioqui lana mollis, ſpecilli nucleo alligata, feruente oleo, uel butyro intingitur, atque ita imprimitur. Fortius eſt, ſi uel è uitreolo, uel antimonio, & uocato ſublimato, aliiſque id genus, oleum fuerit extillatum. Quidã nucali teſta, uoluta cochleæ & oui urunt poſteaq; igne incanduerint. Alij radice Ariſtochiæ, gẽtianæ, ſtrutbij, ramento myrti, buxi, & ſimilium, cauteria effingunt. Vſtio ab igne.
Oportet igne contineri, dũ extrema parte carbunculent. Vſtione Arabica ueteres, ut pòſt etiam recentiores, uſi ſunt. Auro & argento le-

nius:

nius: ære, & ferro acrius inurunt. Cæſim punctim cauteria imprimũtur. adiguntur longiùs & latiùs, & in circulum circumferuntur: uno loco uel pluribus: ſemel acſepiùs: ut natura rerum, partium et corporũ ſuſtinet, & uitia requirunt. Ex quo uariæ cauteriorum formæ affingũtur. Locum igni circumſcribere oportet, nucali teſtã uel re ſimili, quæ ſuis marginibus conſtans, pateat in medio: Cerato roſaceo: lana uino tincta muniendæ ſunt uicinæ partes, ne iuſto latiùs euadat ignis uiolẽtia. Alioqui ſpleniis imbutis oui candido, muccagine pſyllij: ceruſſa è rhodoſtagmate lota, refrigerante ſucco & ijs omnino quæ ἀφλεγμαίνοντα Greci uocant. Cruſta non ſtatim detrahenda: ſed nutare prius oportet, ac ueluti maturitate ſua excidere. Alioqui uis afferri ſolet: profundum ulcus relinquitur: dolor, fluxio, phlegmonæ irritãtur.

Quæ cruſtã detrahunt

Tempeſtiua deduci poteſt butyro & rhodaſtagmate loto, farina tritici in porri uel rutæ ſucco. Lenticula cocta & cum melle mixta, foliis oleaſtri cum melle litis, ſulphure trito ex oleo, contuſis nucum interaneis, porri foliis ſaliua tinctis, & in mollioribus lacte cum melle cocto: albo ſtercore canino, cinere uſtarum hirundinum, & minoris centaurij: humano ſtercore ſiccato, crematis cochlearũ terreſtrium carnibus. Chalcite trita et ſubtriplo melle uel chalciteos unc. 1. ireos ſemuncia per ſe tritis aut cum melle. Nutrito lithargyro cum uſtulato butyro, radice anonidis: columbino ſtercore è melle quod & carbunculos ſcarificat. In ſumma, abſtergente & incidente materia, quæ paregorico & molliente remedio temperari poteſt. Recentiores chirurg. in ſeptis numerãt, ſtuppas canabinas, hermodactylos, bryoniæ radices, alumen, unguentum apoſtolorum. Et in carne dura et multa uitreoli genera et cuperoſã quibus pro chalcantho & chalcite uti ſolent, æruginẽ

Recentiorũ ſepta.

Vnguẽtum uiride Aegyptiacon: Trociſcos è uiuis calcæ unc. quatuor tritis et cum melle iunctis. ſit aũt mellis plus minuſue, ut ſunt corpora. Trociſci capſula figulina ordine collocãtur, ſiccantur in clibano: puluis inde utilis eſt. Succi radicis aſphodeli unc. 6. calcis uiuæ un. 2 auripig. unc. 1. arida ſucco merſa ſub canicula inſolentur, dum ſqualeãt. Calcem uiuam modò melle, modò ſapone incorporant. Cantharidũ uentres fermento cogunt uel ſæpo: ſed à cantharidibus urinæ ardor metuitur: Nã & hæ illitæ capiti id genus uitij inferre poſſunt, cui malo gargariſmus & inſeſſio è lacte ſuccurrit. Eadem quoque parata è paregoricis. Septa adipe uel ſebo excipiunt. In adipibus ſepticus eſt è ranis uiridibus, quas in arboribus uenantur. Quæ ſequitur ex quinto de comp. pharm. κατὰ γένη tranſtulerunt: Malicorij drach. 10. Ariſtolochi:

Trociſci è calce.

loch. rotundæ, gallæ, drach. 8. aluminis ſciſsilis, aloës ana drach. quatuor: myrrhæ, chalcanthi (uitreolũ uertunt) drach. 2. thuris drach. 4. Exedunt ſine morſu: Sandarachæ .i. arſenici rubri, auripig. ana drach. 2. calcis uiuæ, drab. 4. mannæ thuris tantundem: tritis utitor: Sic enim Galenus. Recentiores hoc modo: Calcis uiuæ lib. 1. auripigmenti rubri & citrini, alkali, acaciæ, ana lib. dimid. trita uniantur cũ capitello. Eſt autem alkali, ſal niger, quem è quercu, corylo, harundinis trunco, carbunculatis & aqua dulci uel marina cocti ueteres fingebant: nunc è braſsica marina, betis, & nitroſis rebus comparari poteſt. Alioqui torrefactum ſalem cùm hydragyro, tandiu piſtillo uolutabis, dum ſal nigreſcat. Alij aliter alkali interpretãtur. Capitellum ita fit: Calcis uiuæ ſalis ammoniaci, ana lib. 1. trita ſubigãtur lixiuio è fabaceis ſcapis. Deponuntur olla quæ à fundo habet anguſta rimata: aliud figlinum ſubijcitur, in quod paulatim lixiuium diffluit: ſed uas utrimque ſtatim initio defodi terra opus eſt, ubi ſeptem dies perſiſtet. Cathæreticon, ſepticon, & lene eſcharoticon capitellum eſt. Alij tres partes cineris fabaceorum, unam uiuæ calcis, ſubinde perfundunt aqua, identidem commoluunt, & per quaſillum rarum tranſcolant. Rami ficulnei crematur, cinis aqua maceratur, qui ubi in aquam uim ſuam demiſit, exprimitur & abijcitur, nouus aliquoties reuocatur. Eodem modò è ramis tithymalli & cauſticis cineribus lixiuium parari poteſt. In quo ſpongia ſubinde merſa apponitur. Alia capite de epuloticis: In humido ac ſordido ulcere, pĩgui abſtinendũ: arida inſpergun tur. In calloſo, et ſqualle̅te malo arida pĩgui excepta adhibẽtur. Septica faciunt Arabes quæ à Græcis deſcripta ſunt, & alterum genus relinquunt, quod humido calore cũ fœtore partes corrumpit. Quæ ex hydrargyro fiũt, præcipitatum, ſublimatum cinabrium, braſſicæ ſuco, ſolani, limonum, et ſimilium attemperant. Licet etiam, quod ueteres factitarunt, non tribus, ſed triginta & quadraginta dieb⁹ terere in ſole ſub canicula, bis mutata aqua. Et ut ſunt corpora et uitia, ita magis minusue acria comparari poſſunt: nec lotura ſolum ſed uſtrina et mixtura diluũtur. Miniũ è micis metallicis è ſterili gleba plumbi è ceruſſa uſta, quod alij ſyricon alij ſandicen uocant ad epulotica potiùs referendum. Quod uerò è ſulphure & hydrargyro factitium eſt, in cauſticis cenſeri debet. Vſurpant præter hæc, aquas fortes, & ut dicunt Alchymiſtarum. Salis ammoniaci, auripig. rubri & citrini, cuperoſæ, æruginis ana trita in alẽbicum uitreum bene ſlipatum luto, et undequaque clauſum deponãtur, & ita extillentur lento igni, quod

Trociſci de arſenico.

Alcali.

Capitellum.

Lixiuiũ ficulneum.

Miniũ.

Aquæ fortes.

pri-

mum fluit, uel abijcitur, uel in alembicum repetitur. Ignis augetur duplo: quod ſecundò ſtillat, fideliter reponitur. Alij ex aluminis rotundi, uitreoli Romani ana lib. 1. ſalis nitri aut ſi deſit crematæ fecis aceti ſe ſquilibra aquam eliciunt. hæc calloſis naturis idonea ſunt, ſuſpecta in naſo, labris, palpebris, digitis aut pudendis, mollibus atque exiguis partibus, ubi uena, neruus, arteria inſignis eſt: ac primùm quidem minimum ſit, quod imponitur: deinde ut res exigit, augeatur. Aliquando cerato roſaceo, unguento albo, dialthæas, et ſimilibus mixta retundunturmuniunt uicina: doloribus medentur ut priùs.

DE DOLORE CAP. XII

ACcidunt multa uomicis & uulneribus, quorum remedia aliquot conſperſa locis, ut proximo capite contra callos: alio cõtra uermes, cancroſa, putredines: et quæ rheumata intercipiant, præcidántque phlegmonum cauſas, ac ſeruorem partium a pharmacis extinguant: alia quoque obiter annotata ſunt. Iam de dolore & hæmorrhagia inſtituenda oratio, quæ ut plurimum curandi conſilia interturbant. Itaque dolor omnis fit ſubita alteratione & ſolutione continui, cui quamcelerrimè occurrendum. nunquam enim committendum ut diutiùs crucietur æger, ſic enim rheumata cõmouentur oriuntur phlegmonè, labefactantur uires, conuulſiones rapiunt ægros, ac ſæpe mortes. Et quod ad inſtitutum maximè pertinet, ulcera inde madeſcere contingit: quæ ſicca eſſe, ſeruata naturali ratione, & uacua excremẽtis neceſſe eſt: Ἀνώδυνα uocant & παρηγορικὰ quæ dolorem leniunt, tenui ſubſtantia primo gradu calida, uel ita temperata ut familiaritate elementorum, naturæ partium conſentiãt. Adde ſis uis, quæ qualitate contraria cauſam oppugnant, quale eſt oleum laurinum in refrigeratis, uiolaceum in calefactis, ſiccatis hydrelæum: humiditas non tam qualitate quàm copia dolorem facit. Ideóque phlebotomia, cathartico clyſter, & ſimilia, quæ ſublata copia dolorem tollunt, in hoc genere collocare licet. A calore, et frigore dolor acerrimus: á ſiccitate medio cris: ab humiditate propè nullus, uel ſtupidus excitari ſolet. Tertium quoque genus adijciunt, ſed impropriè: eorum quæ ſtupefacto ſenſu dolori remedio ſunt, quia quod doleat ſentire neceſſe eſt, & extincto ſenſu dolor neceſſario conquieſcit ναρκωτικὰ et ὑπνωτικὰ talia appellant. Anodyna ſunt oleum dulce ætate medium, oleum Chamæmeli, oleum è lini & althææ ſemine, & è dulcibus amygdalinum, oleum

Cauſa doloris.

Ἀνώδυνα, & παρηγορικὰ.

2. genus.

3. genus.

Olea.

lumb.

lumbricorum,uulpinum, melinum, è meli, è pullis cygni, extortum tritico cadenti ferrò,è ſarmentis uitium,ex ouis preſſum, Sambacinum. Sambucinum,è floribus,et alia,de quibus poſtea. In quibus diſtinguenda,quæ non ſolum leniant dolorem, ſed etiam cauſæ repugnant: quale eſt roſaceum,ubi à calore dolor eſt: aut à dolore commotus calor. Chamæmelinũ ubi leniendum ſimul atque diſcutiendum aliquid eſt. In anodynis ſunt butirum,œſypus,lana benè ſuccida,ſuillus adeps,uitulinus,è cercopitheco,et ſimia,gallinaceus,ãſerinus, humanus,ex anguilla et cuniculis,uulpinus,melinus,aſininus, lac mulie bre,et uaccinũ. Althææ,maluæ,ſeminis lini et cydoneorũ,lilij,uiolariæ,pedum arietis, capitum & interaneorum, hœdi ſimiliter decoctum,& hæc lacte coqui melius eſt,aut cocta lacte butyro condiri, uel conteri roſaceo. Crocum, thus, mannam, galbanum & ſimilia pharmacis commiſcent, ut quæ aliquid habeant quod paregoricòn ſit. Calorem temperant,& anodyna ſunt,aqua tepida,oleum roſaceum,uiolaceum,nymphæon,papauerinum,cucurbitinum,& quòd è cãdido alterci ſemine,priuatim uſurpatum feruidis doloribus podagricorum:lactucinum,portulacinum,pſyllinum,cucumerinum. Et ex horum oleorum materia ſuccus ac muccago colligitur,uel eadẽ in lacte coquitur, ex conuenienti oleo ſubigitur: Lintheola in decocto merguntur, ſucco & mucẽagine imbuuntur,& ita iuuant. Ac ſubinde inculcare lintheola & auxilium repetere neceſſe eſt. Cerata & enchriſta è cera alba lota,oleo conueniente,muccagimbus,ceruſſa lota,populeo unguento & ſimilibus confingi poſſunt. Dolores è frigore iuuant,quæcunque ferè in anodynis numerata ſunt;oleum chamæmelinũ,anethinum, è leucoio, meliloto, hyperico, lirinum,atque his magis è baccis lauri & iuniperi uino maceratis extunditur mola,coxarijs,& frigidis articulorum uitijs. In lue uenerea frigidos dolores iuuat galbanarium. Sulphurinum,ſtyracinum,in quo thus, manna,& ſimilia diffuſa ſunt,& quod è nuce myrepſica,incude & candenti ferro preſſa extringitur. Sed eadem conquaſſata, ut & cinamomum oleo incoqui poſſũt: ita è calendula, maiorana,roremarino & ſimilibus parare licet. Irinum ex acori radicibus, centaurio, gentiana,ariſtolochia,bryonia,hyſſopo,thymo, pulegio, ubi craſſus humor impactus cruciat. Sinapinum cnidelæon,et alia id genus efficaciſſima ſunt. Vino ferè & pari oleo materia coquitur, quæ prælo uel mola oleum non reddit. Cum iam uinum exhalauit, ea exprimitur,oleũ reliquum uſui eſt. Terebinthinũ oleum,è terebinthinæ lib. 1. laterum

Adipes.

Materia decoctorũ.

Olea anodyna quæ refrigerãt.

Contra dolores frigidos

Ol tere-bin thinum.

terum antiquorum,uel, ut Albucaſis,recentium,quia plus olei combibãt,unc.1.maſtiches,et ſtyracis ana un.1.lateres igniti extinguũtur oleo:extincti tritique cæteris commiſcentur in Alembico uitreo: tres liquores effluant,quorum tertius eſt optimus.Flores roriſmarini amphora uitrea duplici limbeo obſtipata,deinde etiam cera includũtur: elicitur oleum calida arena,Chymicorum more.Oleum philoſophorũ Meſuæ,petrælæõ,et quod ex euphorbio.Cõtra flatus & dolores frigidos uentris atq; uteri,quod ſequitur,plurimũ facit:Olei anethini lib.1. ſem. agni caſti, ſeminis rutæ ana un.3. cinnamomi unc.6.cõ quaßata hæc 40.diebus inſolentur merſa oleo.uel lento igne incoquãtur.fotus è Chamæmelino & meraco uino calidus, dolores omnium partium corporis compeſcit.E garyophillis oleum,& calamo aromatico efficaciſsimum eſt. Radix cucumeris agreſtis in taleolas cæditur,cum abſynthij cacumine hydrelæo coquitur,hinc fotus & cataplaſma hemicranijs ſingulare.Erinaceus terreſtris oleo et uino excoquitur,dum ſolum oleum reliquum ſit:contra dolores articulorum. E ſex uitellis aßis,myrrhæ drachmæ dimid.ellebori nigri granis 4. oleum exprimunt ſingulare ulceribus puerorum,calloſis ac dolentibus ulcerum labris,putrilaginoſis ac uermiculãtibus uitijs et ſcabiei. Styracis pinguis un.2.uel eo plus in ſeſquilibra olei colliquantur in durine dolente, addita octaua parte ellebori albi,ſcabiei conuenit. Agrippa & Marciato quidam utuntur in frigidis doloribus. Vulgatum eſt,anodynon:mica panis ſoluta lacte uel incocta ex tribus uitellis oui et ſeſquuncia roſacei ſubigitur,cataplaſma fit.Sit panis lib.1 oua momento croci intinguantur.In deſperatis narcotica uſurpantur:unguento roſato, & dialthæas aliquid populei unguenti & opij commiſcetur.Cerati roſacei un.3.opij.drach.1.caſtorei ſcrup.2. unguẽti roſacei unc.1. terebinth.un.dimid.colliquatis adde opij ſcrup. 1.croci grana 4.Aliquid etiam Philonij ſcriptis unguentis et ceratis miſcere licet.Oleum in quo uiua torpedo coxerit,narcoticum eſt. Dialthæa un.2.galbani ſemũcia,opij ſcrup.2.croci grana.6.Grauiſſimis quibuſq; doloribus ſingulari ope ſuccurrit, ex aduerſa parte detractus ſanguis,quẽ ſtatim initio minuere melius eſt:Sic enim præciduntur malorum cauſæ,& quæ nocent uulneribus omnia ferè ſãguinis uitio cõmouentur,dolor,phlegmõe,gãgræna,ſyderatio.Multo magis,ſi affecta parte uenæ ſunt inſignes,quæ oppreſſæ copia dolorẽ cient:poſtea uerò cũ non expirent,gangrænã pariũt et πφάκελον, id eſt

E floribus roriſmarini.

Phlebot.

id eſt ſyderationem: hoc uitium corruptela eſt, primum quidem oſſium, deinde partium reliquarum: cui periculo phlebotomo occurendum, atque etiam cultello ſcarificandus locus eſt, ut leuatus onere & uitio, ad ſpiritum liberè attollatur. Cucurbitula quoque ad hanc rem ſæpe contulit, de qua ſeorſum à nobis libellus æditus eſt.

Scarificatio.

Cucurbitula.

DE HAEMORRHAGIA. CAP. XIII

NON ſolum è recenti, ſed & inueterato ulcere ſanguis effluit, apertis, ruptis, exeſis uaſis. Et ex arteria hæmorrhagia periculoſior: deinde maioribus uenis, quæq; plus ſanguinis effundunt, quas inde αἱμόῤῥους uocauit Hippocrates. Apertis aſtringentia: ruptis, glutinantia: exeſis, ſarcotica, & boni ſucci alimenta remedio ſunt. Aperta ſimul et rupta iuuant plantago, balauſtia, hypociſtibis, rhus, omphacium, galla deflagrans & uino uel aceto tincta, acacia, malicorium, ſymphyti radix, porrum contuſum, polygonon, peruinca, terra ſigillata & figlina, bolus Armenus, rhabarbari magma, rubigo ferri, lapis hæmatites, paſſæ uuæ nucleus, gallæ flos, lanugo quæ cotoneo & maſcula ſalice inſider, quæque in ea paniculæ dependent, fraga herba, cynoſbatus, aqua frigida, uinum aſtringens, acetum, exycratum, & alia quæ in epuloticis, glutinantibus, & repellentibus anteà deſcripta ſunt. Ruptis. Ruptis conueniunt, thus, manna, aloë, maſtiche, tragacantha, amylum, gummi, glutinum, larigna, teribinthina, pix ſicca, colophonia, gypſum, farina piſtrinalis, cochlea cum domo trita: horum alia in puluerem cõminuta inſperguntur: meliora ferè empla ſtica, ideoq; oui candido, reſina liquida, cõueniẽte ſucco ponenda ſunt. Linamenta, pili leporis, lanugo illa ſalicis & cotonei ſuccis liquidis inculcantur, atque inde penicillus aut uermiculus pharmaco madens hianti uaſorum ori inſeritur: floccus ex eadem materia & pharmaco ſaturatus ſuperdatur, ligaturque commode, iniectis uaſi modò tribus, modo quatuor faſciarum orbibus, ad eam partem unde profluit ſanguis, ex quo faſcia radicem uerſus paulatim ad duci debet, ut ſurſum uerſus magis magiſque ſtringas atque illabentem ſanguinem reprimas. Tertio die reſoluenda linthea ſunt,

Vtendi rõ.

neque commutanda linamenta, flocci, uermiculi, ſiquidem firmiter inhærent, ſed tantùm irriganda pharmaco, ac ut prius colligan da. Quòd ſi uacillant, digitus uaſi imprimendus, reuellenda turunda, & reliqua tum noua ut prius omnia repetenda, eademque ex præſcripto uincienda ſunt, idque tandiu reuocandum, dum renata carne, ac bene ſtypato uaſe, extra periculum omnia uideantur. Aliquando uerò ubi in ſuperficiem uaſa exponuntur, digitus impreſſus hæmorrhagiam ſiſtit, coacto grumo. Quæ ſi in profundo latent, nec facile digito continguntur, hamo prehendere, leniter intorquere & laqueo intercipere oportet. Nonnunquã

Ferrum. uolſella capta utrinque funiculo illaqueantur, & media præciduntur, ut extrema in ſe reuulſa coêant. Id uerò in maioribus uaſis non caret periculo. Deſperatis alijs auxilijs, ad ignem &

Ignis. cauteria ueniendum, multo magis ſiquid putre, uermiculoſum, ſerpens, rodens: ſi eiuſmodi locus eſt qui facile computreſcat, qualis eſt ſedes, os, & genitalia, quique uim ignis ſine periculo ſuſtineat.

Eſcharotic. Phlebot. Cucurbit. Sanguiſuge Eſcharotica hoc loco uehementius contrahere oportet, ut firmam nec deciduam cruſtam efficiant. Alioqui maior uis ſanguinis erumpet, ante tempus reſoluta cruſta: In remedijs laudantur phlebotomia, cucurbitula, ſanguiſugæ, uicula aduerſa parte et κατ' ἐνθυωρίαν reuellendo adhibita, & conſtringens epideſis. Cucurbitulæ ratio ex libello noſtro repetenda. De phlebotomia & ſanguiſugis alio quod paranus, opere diſſeremus.

Purgatio. Purgatio ſæpe neceſſaria, ſed tardiùs opitulatur. His ferè remedijs materiæ curſus retrahitur: quã quam non temerè reuocandum ſanguinis: quia ex omni uulnere, niſi ſit in uentre, crebrò ſanguinem fluere utile eſt: Author Hippocrates. Tempeſtiuè ergo ſupprimes, iuſta ratione leuato corpore: ut

Vſus refrigerantium inde ſiccius effectum ulcus celerius poſſit coaleſcere. Ac fortaſſe tutius fuerit ulcus emplaſticis obſtipare: frigidis & aſtringentibus medicamentis uias intercipere, quà ſanguis decurrit. Frigidum enim & aſtringens ulceribus mordax. Et in ijs frigido utendum, unde fluit ſanguis uel fluxurus eſt, non ad ipſa, ſed circa ipſa inquit Hippocrates. Aliæ quoque partes, ut thorax & quæ nerueaceæ ſunt, frigido læduntur magis. Ideóque, iam auerſa materia, neque etiã locis oſibus, frigida adhibere conuenit. Colũbæ ſãguis peculiariter reprimit hæmorrhagias è mẽbranis cerebri.

Spongiæ. Memorabile remediũ eſt quod ſequitur: Spongia noua, alioqui uetus,

uetus, ſed marina uel lixiuio querno repurgata, acerrimo aceto inebriatur, tum inquinatur liquefacta pice, deinde trito bitumine, galla, uel re ſimili conſpergitur, atque ita crematur teſta figulari clauſa, dum ciſtereſcat. Alij aceti loco, taurino ſanguine imbuunt, ex odoro uino propinant, ſingulari ope dyſenteris, menſtruis, & alijs hæmorrhagijs. Emplaſta ſunt, gypſum crudum, gyris, ſi oui candido excipias: Thuris partes duæ, aloës pars una, uel eo plus in duriore natura: Loco thuris uſurpatur manna, ut quæ melius aſtringat, ſed thus ἐμπλαστικώτερον pharmacum reddit: concorporantur liquore oui: uermiculus è molliſſimis pilis leporis medicamento intingitur, & ſi fuerit opus, debiſcenti uaſi immittitur. Ex ijſdē pilis cōficitur floccus qui eodē pharmaco imbuitur: atq; imponitur cauo, ut incūbat uermiculo. Eunucho è manu ſumma, profluēs ſāguis nō eo phar. reſtitit, q deinde linamentis ex dilutiſſimo xycrato preſſis omnino conquieuit. Loco pilorum leporis, linoxylo quod uocatur cotton, & memorata lanugine bene depexa atque carminata uti licebit. In eroſione ubi uniuerſo corpori conſulueris, nec aliter mederi datum eſt: ueniendum ad paſtillos Andronis, Paſionis, Polydæ, ex. lib. 5. de comp. phar. κατὰ γένη. In uehemēti hæmorrhagia primum quidem ualidè aſtringentibus materiæ impetus retūdi debet, quibus paulatim paſtili cōmiſcentur, poſtremo ſolis paſtillis utendum erit. ἴσχαμα ueterum: Chalcitidis drach. 16. alij 8. mānæ drach. 12. alij. 16. terebinthinæ frictæ & aceto extinctæ drach. 12. Chalcitidis drach. 6. mannæ drach. 2. terebinth. colophoniæ ana drach. 4. Mirabile: Chalcitis, reſinæ ana drach. 8. mannæ drach 16. infriata ænea pyxidicula reponuntur, uſus tempore par pondus gypſi commiſcetur. Adduntur his ad cruſtas, Chalcanthum, miſy, auripigmentum, ſandaracha, calx uiua. Debilior cruſta eſt à calcè uiua & auripigmento, niſi aſtringenti materiæ coniungātur, ferrū candens, æs, aurū, et argentum: ſed ab auro et argento mollior eſchara relinquitur. Celerius auxiliū à ferero, cauterio percipitur. E ſubere uel ſpōgia orbiculus tenuis feruida pice imergitur, et ita calēs impingitur. Alij malicorio, galla, radicibus aſtrictorijs prius igniis, cruſtas efficiunt. Recenticrum eſcharotica ſunt: Vitreoli Romani ſemuncia, balauſtiorum unc. 3. aluminis unc. 1. fiat puluis. Colophoniæ unc. 3. boli armeni ſeſquuncia: maſtiches, olibani, ſangui-

Historia.

In eroſiō nem.

Vſus paſtillorum.

ἴσχαμα

Eſcharoticē.

nis draconis, ana ſemuncia: radicis ſymphiti, roſarum, ana drach. 1. utuntur puluere rubro, ſanguine draconis, & alijs, de quibus antea: ac plura eſcharotica ex proximo capite repetenda. Adhibitis remedijs membrum ita collocari debet, ut altior ſit locus, unde haemorrhagia, reliquâ uenâ, quæ radici propior eſt: ut ueluti decliui uaſe quaſi decurſum, ſanguis reſuat. Sit membrum in quiete, et ea figura ſitum, quæ dolorem non afferat: ac mitella confirmare manus, & puluino crura melius eſt: æger quoque aduerſa parte decũbat: Inſtituatur uita unde ſanguis acquieſcat, aquæ potus, et ſimilia. Interdicatur ijs unde efferueſcat, qualia uina quædam ſunt fortia, et calida alimenta.

DE VTILI MATERIA IN VITIIS OSSIVM. CAP. XIIII.

Celeriter medicandi oſſium.

VItijs quæ oſſa fecerint, eodem ferè memento ſuccurrere oportet. Alicqui phlegmone ſuccedunt quæ ſaniem facit, agit cuniculos, ulcera diſpergit alta, exeſa, & curanda mollis: ἰμμέτρως inde uocat Hippocrates. Ex quo denigrantur oſſa, cariem inducunt, & ſyderationem contrahunt. Lacerant fracta, colliſa, fiſſa, forata oſſa, & mota articulis. Acceſſio mali eſt, ſi cum uulnere læſa ſunt, multo magis in articulis, ubi nerui tendines nuda carne & oſſea loca ſunt, in quæ laxa & commota excremenita corporis coire ſolent. Adde quòd ibi cartilago quædam eſt, in qua cicatrix firmari nequit: hic ergo aſperior caſus, dolor, uigilia, conuulſio, deliria, ſæpenumero commouentur. Atque ut maior articulus eſt, ita grauius periculum creare ſolet. Verum nõ alia parte ditior ſupellex ueteris diſciplinæ: nuſquàm hæc curioſa magis, quã in oſſiũ medelis. Infinita propè reperit & literis tradidit, quædem etiam auctoritate principum, are publico in ciuitatibus extruxit, quæ ad hanc curam oſſium pertinerent: ferramenta uaria, cauteria, exciſorios cultros, ſcalpra raſoria, limas, ſpecilla, aliquot terebrarum genera, mediolos, forfices, μυιγγεφυλάκας, uolſellas, ſcalas, ſcamna, repagula, uectes, canales, gloſſocomia, ſphæria, ſtathmia, trochiſcos, pennas, inceratos canaliculos, ſtulas, ſetas, fila byſſo & auro texta, alia quoque plurima, quæ ad purganda, tendenda, reformanda, conſtituenda denique oſſa facerent. Et in una deligandi arte quàm plurima uſu diuerſa ſu-

Vitia in articulis.

Multiplex materiamenta chirurgica.

ſa ſuis etiam nominibus ueteres diſtinxerunt: limbeola, faſcias, hypodeſmidas, ſplenia, apodeſmos, regulas, ferulas, ſpatbulas, habenas, laqueos, mitellas, puluinos modò ſcorteos modò molliuſculos, nodos, acus, acias, & alia ſexcenta: quorum multa quidem retenta, alia antiquata, quædam deſerta, quia uidelicet multis in rebus facilior, nec tam operoſa cura inuenta eſt. Corruptum os ad uiuam ſcobem elimandum, exterebrandum, inurendum, excidendum, etiam ut aſperum, malum eſt. Atque hic medicamentis opus eſt, quæ uehementer ſiccent: quorum materia capite de purgantibus pharmacis & epuloticis inſtituta eſt. Nec antè uias claudere oportet, quæ ad læſa oſſa pertinent, quàm hæc omni carie, nigredine, ſorde, corruptela ſedulo purgata ſint. Quin & præcluſum iter uel anguſtum, ferro ampliare neceſſe eſt, ſpongiáque aut penicillo implendum cauum, ut ne coëat, ſed debijcat uulnus, dum uel integendum carne, uel ferruminandum callo bene purum os & iam incolume, uideatur. In altis cuniculis ſpongia, linamenta, penicilli ſumma parte deuincta ſint filo, quod foràs propendeat, ut illa facile reducantur. Videndum quoque priuſquàm impleas ne qua ſquãma, uel fragmentũ exceſſerit, quæ ſi licet oſſi ſuo coaptãda ſunt, aut ſi acumine carnẽ ſubintrant, molliter ꝑcidere oportet, uerũ incolumi radice: alicqui eliminanda ſcalpro. Quòd ſi nihil moleſtiæ adferunt, uerum non poſſunt oſſi ſuo compingi: in horum altero conſilium eſt: Nam uel medicamentis detrahes uel permittes dum ueluti maturitate quadam & ſponte ſua excidant. Ita enim os celeriter carnem inducet, uel callum cõtrahet: ex quo medicamentis, quæ mediocriter ſiccent, uel aſtringant, cicatrice operies. Quæ uero ſquammæ, ante maturitatem rapiuntur ferro, aut ui reuellũtur, ſi ſiſulas ægrè ſanabiles relinquũt. Omnino ergo declinãda uis ẽ. Squãmas detrahũt medicamenta, tum ſuperiùs capite de glutinãtibus memorata, tũ erucæ radix, cucumeris agreſtis, utriuſque bryoniæ: Ariſtolochia peculiariter elicit teſiulas caluariæ. In abſceſſu paruo oſſiũ deligatio καταγματικὴ idonea eſt, ſed paulò laxior, & ſine ferulis. In magno non eſt deligandum καταγματικῶς. Satisfaciunt ſplenia, inſuccata uino nigro, ſubauſtero, quæ deinceps atque continenter, hinc inde adhibenda ſunt, non ut hæc illi inſideat. Longiores ſunto quàm quæ ſolum ambitum membri comprehendãt: nam ſi quadrãtalis circulus eſt partis, paulò longiores ſplenes trientalibus eſſe oportet. Obliquè inſeruntur membro, et aduerſa parte decuſſant. Sanantur ul-

In deligando quam multa.

Cõpendiaria curatio nis materia.

Aperta ſit uia ad os.

Squamma.

Quæ ſquammas detrahunt.

Abſceſſus.

Splenes magnorum abceſſuum.

Incarnatia ossium abscessus & vulnerum cicatrix.

cera aliis similiter: nisi quòd ossa magis siccantia desiderant, et q̃ continẽter ossibus generatur caro, ut est paulò siccior, ita magis siccantibus pharmacis gaudet: ut uero ducẽda carne ab ossibus recedis, ita uis siccantiũ tẽperãda est, donec iã cicatrix trahẽda sit. Ac carne ossa tegere sæpenuẽro opus ẽ, ubi callũ cogere nõ licet, nimiũ dissidẽtibꝰ fracturæ labris, et ubi in circulũ os excisũ est: uerũ è callo multò stabilius uĩculũ ẽ. In fractis ossibus et luxatis multarũ rerũ cura est: ac circa initia oĩo phibenda fluxio, dolor, inflãmatio. Os ergo quod uel abijt loco, uel fractũ dissidet, oĩno constituere oportet: deinde ita continere, ut ne excidat: In quo hæc sunt præcipuè τάσις, διάπλασις, ἐπίδεσις, ἀπόθεσις uel ὑπόθεσις. Extenditur membrum, ut diductis & adductis marginibus soluti ossis oræ oris molliter consuescant, nihil exasperetur, nihil diffringatur, quod in fracturis dẽticulatis, scabris ac serratis sæpe contingit. Videndum quoque, ne in distentione neruus, uena, arteria, musculus, contra naturam extorqueatur. Extensum membrum & loco redditum, manibus palpari, tractari, atque legitimè conformari debet: διάπλασιν appellant. Quòd si tractatum, tensum, non constituitur os, ad μοχλίσκων, lorum, habenas, et machinas eiusmodi ueniendum erit. Sequitur ἐπίδεσις, quam καταγματικὴν appellant: in qua multorum prouidentia est, sed maximè, ut coniungas, phlegmonem arceas, procures callum. Ac primùm an sit deligandum, sciuere oportet: tum quæ deligandi forma, ac ferè ἀπὸ δύο ἀρχῶν uaria tamen ratione: ex quo decernendum, quibus, quam multis, longis, latis, quàm denique firmis fascijs opus sit. Adhec idonea forma lũbeis quærenda est. Cognoscendum præterea unde primum injicias, quæ sit futura progressio, quàm multi & quales circuli, quomodo distinguendi orbes, quibus interuallis, ubi & quando laxior uel astrictior deligatio, qua parte desinat, quo loco, & qua arte nectantur nodi, aciæ figantur, conducantur habenæ, quando regulæ, ferulæ, puluinaria, mitellæ adhibenda sint: quandiu continere omnia, & quando soluere oporteat. Atque in sano membro probanda priùs deligatio, quàm in ægro periculum facias. Prosiremò prouidendum, ut in ea figura collocetur pars, in qua diutissimè constare possit, & minimè doleat. Iustos hæc commentarios desiderant, uerum hæc breuiter, nec tam docendi, quàm monendi causa dicta fuerint. In fascijs remedia adhibẽtur quæ repellant, & madorem sciſsilium limbeorum contineant: sic enĩ probibetur dolor atque inflammatio: fasciæ initio plures & astrictiores, si neque dolor neque phlegmone, uulnus uel aliquid tale prohibeat. Ac ferè

τάσις.

Διάπλασις.

ἐπίδεσις καταγματικὴ.

Quæ in fasciis repellunt.

ferè inebriantur uino craſſo,nigro,modicè auſtero:uinum hoc ſuperficiem cogit,uim ſuam ad repellendum altiùs imprimit, & ita præcidit inflammationum cauſas. Quod nimium ſtringit,dolorem excitat. Vinum quale.

Tenue,album,giluum,fuluum etiàmſi contrahat, repudiandum tamen eſt,ut reprimentium genus quod humectat, papauer,cicuta, mãdragora,multo magis ſi in articulis & neruaceis partibus labor eſt. Nec enim qualitas ſola.ſed horum etiam corpus intrò penetrat & neruoſa lædit. Atque inde calor qui regit corpus,interdum extinguitur. Vino igitur craſſo,nigro,modicè auſtero faſciæ & ſplenes ſaturandi ſunt. Miniſter adſit, qui ſubinde affuſo uino ligamenta compluat: alioqui cum periculo reſiccantur,quod ne fiat noctu,præcipuè prouidendum erit:hyeme uini loco œnelæo uti ſatius eſt,quo etiam tempore ſuccida lana ſplenibus præferri debet:fumoſo uino & odoro abſtinendum,ne caput feriat. Iuſtum quoque inſuccandis linteis medicamentum ex oui candido,oleo roſaceo uel myrtino. Alij aceto & oxelæo contra phlegmonem faſcias imbuunt. Detur id bene carnoſa parte & ſine ulcere. Ceratum album in uſu eſt,ſuſpecta miniſtri diligentia,ne uidelicet linthea inareſcant:quod uino quidem minus efficax, repellit tamen & phlegmonem inhibet. Verum cerato uti poſt initia ſatiùs eſt, iam abeunte periculo inflammationis,& ubi fractura ſimplex,nec in fragmenta uaria contritum os eſt. Cerato ergo pars ægra,faſciæ,& ſplenes illinẽda ſunt,adhæc extremæ partes,ſed manus præcipuè,ne quod deligatione exſtringitur,infirmũ ſcilicet frigidũq; corpus imbibat: Ceratum κατάγμαϊκὸν è cera pingui & duplo oleo conficitur, oleum ſit recens rhodinon uel myrteum. Cera ſiccior paulo liberalius oleo emollitur. Picato ueteres uſi ſũt ſi quid cõtuſum eſſet,ſiquid coquendum atque mitigandum Liquidiori cerato albo pix addita picatum facit. Omnia uero lenia ſint & mollia ne aſperitate lædant: uitetur pondus,quod callum probibeat & partem opprimat. Perfuſiones fiunt ex aqua tepida,ita calore temperata ut in qua manum iucũdè contineas: In frigoribus hydrelæum melius eſt. Perfunditur pars tertio ac quinto die,quoties uidelicet linthea diſſoluuntur,idque libera liter ut inde prurigo acquieſcat, et materia eius diſpergatur. In articulis tepida,tenſa relaxat,lenit dolentia, & phlegmone aduerſatur Septimo die uel nono iam affunditur, non ut diſcutiat, ſed ut euocet ſanguinem unde concreto poro oſſa conſerantur (πώρωσιν Græcè uocant,& inde πωρωτικὰ quæ callum gignant.) Callus neque caro eſt neque os,ſed inter utrumque ambigit. Itaque depoſito metu inflammatio-

Vitanda.

Oenelæum

Oui candidum cũ roſaceo.

Acetum.

Ceratum album.

Ceratum picatum.

Perfuſiões.

πώρωσις. πώρωτικὰ

mationis,circa hoc tempus omnino cogitandum,ut coëat porus, unde effracta ſolidantur:ſic ergo moderanda perfuſio,ut inde pars uiui do colore efflореſcat,& leniter attollatur:minimum eſt.ſi ſubſidet & pallorem ducit. Alimenta ſunto,quæ probum ſanguinem,multũ,craſſum,uiſcidumque creent. Panis triticeus è farina primaria: triticum legatur graue denſum,unde ptiſana comparetur:chartilagineæ animalium partes,neruaceæ,cutaceæ & pingues, ligamenta, tendines, petioli,uentres,linguæ,roſtra:capita hædorum, ueruecum & porcellorum,agnina caro & ſuilla,palmulæ pingues, caſtaneæ,uinum ſtrin gens,& ſimilia. Medicamenta ſunto emplaſtica,quæ modicè calfaciant è gyri,ſimila,thure,manna,gummi,fabrili glutine,maſtiche, tragacantha,liquore oui, pingui cera,oleo,lachrymis & ſuccis,quibus emplaſticum nec ita calens corpus eſt. Ac iam antea de catagmaticis ,& cephalicis ſermo habitus eſt:ſed hic quoque ea materia locupletanda eſt. Caninum cerebrum in linteo adhibetur:ſuperdatur lana inculcata oui candido:ubi ſqualeſcit remedium,commutari debet: quatuordecim dies ſolidat. Alijs purgatur hybiſci radix, atque hinc medulla eraditur,quæ per ſe farinæ tritici mixta liquori oui, effracta iungit. Radix hæc aquæ indita et ſub dio poſita,aquam cogit. Muſco uiticis utuntur ueterinarij:alij quernũ præferunt. In honore eſt ueteri exemplo,quam conſeruam uocant. Muſcus eſt denſus,herbaceus,ſpongioſus,herens aquatilibus petris. Putator quidã ex alta arbore deciderat cum nibus ferè oſſibus confractis: præſto aderant amici,qui corpus eius uniuerſum eo muſco obligarunt: atque ita relatum domum in quiete tenuerunt, ſubinde conſperſa aqua, ne muſcus emarceſceret: Rarò nec niſi deficiente herba remedium mutatũ eſt: Atque hac medela uix credibili celeritate cõualuit. Aeſtate,bene carnoſo duróque corpore,recenti malo,exemplum uetus liceat imitari. Farinæ triticeæ unc.6. ſanguinis draconis, maſtiches,thuris,ſarcocollæ ana.unc.1. trita hæc cum farina et oui candido ſubiguntur. Triticea farina,gummi,et manna incoquũtur aqua: fit cataplaſma,quod reprimit,continet, & paron generat. Exiguis partibus effractis,pelliculæ affiguntur illitæ gummi & fabrili glutine. Canaliculi afformãtur cauis,ẽplaſto inducti,ut et contineant,et ſolident. Fuligo thuris liquori oui & farinæ tritici coniungitur. Emplaſta quæ pertinaciùs hærent,tepidæ fotu reuelluntur. Panalithes ad contuſa,fracta etiam cum uulnere,uulnera neruorum, uertebrarum, purgandas collectiones,inciſum ſcrotum,beſtiarum etiam uenenata-

Alimenta.

Medicamẽta.

Caninum cerebrum.

Hybiſcus.

Muſcus.

Conſeruam.

Hiſtoria.

Panalithes

uenenatarum morſus, & alia. Olei dulcis, unc. 9. bituminis, ceræ, reſinæ piceæ, picis aridæ ana lib. 1. litharg. ceruſs. æruginis ana drach. 10. iduris, ammoniaci, myrrhæ, alcës, ana drach. 8. opij, ſucci pomorum mandragoræ ana drach. 6. aluminis ſciſsilis, chalcanthi, chalciti dis, croci ana drach. 4. aceti, quod ſufficit. Omnia à litharg. ad crocum in pulueremtrita, & affuſa conducuntur mortario, ut ſit luti craſsitudo: oleum, cera, bitumen in fabales pillulas diuiſum nihil uerſando colliquantur: liquatis pix & reſinæ ammiſcentur, colantur omnia, atque recoquuntur. Aegyptium Andromachi, eadem poteſt, mollit, ac maligna operit. Ceræ, litharg. ana unc. 5. & ſemis, ammoniaci unc. 7. & drach. 6. terebinth. unc. 4. ſuccidæ lanæ uſtæ, unc. 2. & drach. 2. Ariſtolochiæ, iduris, ſquammarũ æris & ſtemmatis, id eſt, perpugati ferri ana unc. 1. myrrhæ drach. 3. opopanacis drach. 2. ol. ricinini, ſicyonij, uel ãtiqui lib. 3. litharg. oleo coquitur, dũ cõcre ſcat: ſquãma injcitur: ubi nõ iquinãt, cera et ãmoniac. exactiſsimè tu ſum ipenuntur: liquatis terebinthi. additur: ſublatis igne thus, et lana rũ cinis inſpergitur: refrigerata manibus ſubigũtur. Nigrũ Aſclepiadæ mirabiliter unit laxata et cõfracta. Litharg. unc. 8. bituminis un. 6. ceræ, picis, ana unc. 3 reſinæ piceæ ſeſquuncia, aluminis, ppoleos ana unc. 1. ammoniaci drach. 6. æruginis drach. 2. & ſemis. ol. quod ſuffi. In oleo litharg. coquitur dum non contaminet: cera & bitumen ſeorſum liqueſcunt, neque commouentur: his pix adiungitur: traiecta colo omnia, lytharguro coctæ uniuntur: ammoniacum uehementer tuſum immittitur atque ita in ſolidum corpus omnia concoquuntur. hic præmollita cera et Appolis coniunguntur: ubi coierint Abè & igne deceſſerint, alumen & æruginem trita inſpergũtur: uerſantur omnia & oxycrato merſa manibus ſubiguntur. Moſchionis ad eadem. Litharg. unc. 3. picis aridæ, adipis uituli, ana unc. 20. terebinth. mannæ ana unc. 10. ceræ unc. 5. æruginis, opopanacis, galbani, ana unc. 1. picis liquidæ, ſelibræ: aceti, ſucci morum, olei ricinini ana lib. 1. litharg. oleo coquitur, ubi efferbuerit, adeps injcitur: Iam non inquinantibus, cera & pix immittuntur, mororum ſuccus cum pice liquida ſeorſum coquitur, cocta hæc alijs permiſcentur: Subductis igni manna & aruginem in pulueremreſoluta inſpergũtur: opopanax, aceto fuſus coniungitur: confectum pharmacum uino in tertium diem macerabitur, & manibus piſtum ſedulo reponitur: uſus tempore thorulum madentem uino, uel faſciam ſuperponere oportet. Alutæ intenditur uel duplo roſaceo dilutum non alitet-

Aegyptiũ Andromachi.

Nigrum Aſclep.

Moſchiõis

ter quàm ceratum album in faſcijs ac plagulis uſurpatur, nam & fracturas conſerit, ulcera coniungit & phlegmonæ aduerſatur.

Signum cõ creti calli. Concreti calli ſignum eſt, quum iam ſine uulnere exudat ſanguis, qui limbea contaminet. Id ferè fit criticis diebus 14. & alijs

Conueniẽs callus. Conueniens callus eſt, qui neque maior neque minor, durior aut mollior quàm oportet, neque diſtortus eſt. Iuſtus callus confirmari debet medicamentis quæ ἔναιμα uocant, quæque cruentis uulneribus adhibentur. Siccant leniter, & callum mediocriter confirmant. Ac de enaimis multa capite de glutinantibus. Perfundunt

Quæ callũ firmant.

Perfuſio. uino quod τεθαλασσομένον & θαλάττιον Græci, Latini ſalſum & marinum uocant, quod ſi deſit, ſalem uino liqueſcere oportet. Roſæ balauſtia, myrta, muſcus è quercu albus, abſynthium & alia uino incoquuntur. Addunt ῥωτικὰ quæ callum contrahant bolum Armenum, galbulos cupreſſi & alia. Sed hic moderatio quædam adhibenda eſt: ne nimium ſtringendo callum ſupra modum at teras. Confirmant ῥωτικὰ: Roſacei unc. 4. reſinæ unc. 3. ceræ unc. 2. colophon, maſtiches, thuris ana ſemuncia, conj cupreſſi, radicis rubiæ maioris ana drach. 1. Melius fiet auctis emplaſticis, minuto oleo & adiecto momento cerei. Thuris, maſtiches, picis, farinæ piſtrinalis, boli Armeni ana unc. 2. ſepi arietini, ceræ albæ ana ſelibra: Liquefactis cera & ſepo reliqua infrianiur: In his limbeum ſæpiùs inculcatum fracturæ imponitur. Sparadrapium uocant.

Sparadrapum. Vtuntur Apoſtolico, oxycroceo, & alijs. Atque hic meminiſſe oportet inſtituenda eſſe calleſis corporibus quæ magis contrahant: mollioribus autem, quæ id mediocriter præſtent. Callus maior extenuandus eſt: decocta parte alimenti & mutata qualitate. Diu leniterque affricanda pars eſt, ex oleo, ſale, nitro: Eademque calida ſalſa foueri debet, inducique malagmatis quæ diſcutiant. Colligandum arctius: oleribus utendum & uomitu. Alterum membrum ſinapiſmo linere oportet, ut eo diuertat alimentum. Paulus in recenti callo qui ſupercreuit uehementer ſtringentia inſtituit, arctiſſimè ligat, lamina plumbea interdum appoſita. In eo uerò qui iam uetuſtate induruit, & unde pudendum ac deforme membrum eſt, neque officium facit, cutem aperit, deradit ῥωτικὸν, lacerat ſcalpro, terebra perfundit, & quantum ſupereſt execat. Quòd ſi nulla inde actio naturæ in-

Callus maior.

Minor callus. tercipitur neq; conſpicuus mẽbri pudor eſt, nullus denique dolor, præſtat abſtinere ferro. Qui uerò infra modum creſcit aut nõ creſcit quidem ſuis terminis alia ratione promoueri debet. Idque cõtingit

plurimum

plurimum, cum nimis ac sæpius fouetur locus: parum conuenienter alligatur, sæpius & ante tempus fasciæ resoluuntur. Sæpe etiam in ratione uitæ peccatum est. Omnia ergo cõmutanda in melius. Quòd si atrophia totius corporis callus non prouenit, imprimis consulendum corpori. Sæpe etiã astrictioribus limbeis, naturæ partis uitio membrum quasi syderatum ac marcidum gracilescit: hic affecto mẽbro instauranda uita est, & laxanda deligatio. Id uero in dropace magna ex parte descriptum est, capite de pyroticis. Extenuatũ mẽbrum uehementer iuuat commoda deligatio, sed contrà quam in fracturis. Marcescente tibia femur superius alligamus, ab inguine ad genu deducta fascia: atque initio quidem arctior, paulatim relaxatur, ut cõmunibus uenis quasi riuis deorsum sanguis exprimatur: femore dextro contabescente uel toto crure, sinistro femori fascias iniicimus à genu ductis orbibus, astrictius quidem, qui cum desinant in inguine, hic etiam ita constringant, ut parte aliqua ueluti diuerticulo, sanguis in gracile membrum deriuetur. Sit autem deligatio ea ratiõe tẽperata, quæ neque dolorem creet, neque uniuersum sanguinem ab incolumi membro reprimat: hoc enim alere frugalius, nutrire tamen statutum est. Eadem ratio in superioribus membris seruari debet. Distortus callus siquidem mollis est, laxante fotu & diaphoreticis eximaniri debet: fouetur tepida, hydrelæo, althææ & similium decocto. Discutitur arida ficu mixta stercori columbino. Sed de ijs generibus medicamentorum capite de resoluentibus abũde dictũ prius est. Si uero occaluit, eadem quæ in supercrescente & inueterato paro, consilia sunt. Mollior astringentibus emplasticis firmari debet. At uix durior esse potest, nisi ea de causa fragilior sit: atque hic tota gignendi calli institutio sæpenumero repetenda est. Est quùm è neruaceis partibus & osseis muccosus humor eliquescit, puri similis, qui ferè in alto latet, nec facilè discutitur: quanquàm laxata parte fusa inciſáque materia conuenientibus pharmacis dissipari debet: alioqui facto uulnere repurgãdus est. Atque is neglectus in scirrhum coit, qui præscriptis antè remedijs capite de malacticis expugnari debet.

Extenuatorum membrorum instauratio.

Distortus callus.

Mollior & cur.or.

Muccosus humor abscedens.

Scirrhus.

FINIS.

Errata in lib.6.de materia chirurgica obſeruata.

pag.358.linea 8.lege conſuetudine naturæ.357.6.ſunt 359.26. aſpa ragis.362,13.qualitate,366.10.ſi uiæ longitudo.374.21 malagmata ſeptimo.377.2.quæ ſit.& 5,myrteũ.380. 14 quale, & 15. ferreo. 381.16.naturâ quidem.384.15.ſolito.389.8.ſuccus ſolani,& 9. extuſus.& 10.oleum quod extillant plumbo.Spodion,antiſpodion,quod fit ex oleaſtri,& 16.percoquantur.391.5.duæ.Ceræ.393.7 balauſtia,394.31.refrigeſcentibus.397.13.quæ cruentis 399.13.tritaque: myrrha,ibidem.Sarcocolla.402,31.tepidæ 404.9.cõueniunt, et 37. reliquũ fit.405.27.parte.406.27.è uiuæ calcis.411. 28,ideóque in oui. 413.14,ſanguis eo pharmaco non reſtitit: & 30. ferrum &c. argentum cauteria ſunt.417.10,fiat,noctu præcipuè.